

N


Pro Sacro
DEPOSITO
FIDEI CATHOLICAE
ET APOSTOLICÆ,
Fideliter à Romanis Pōtificibus custodito,

APOLOGETICVS.

ADVERSVS NOVATORVM CALVMNIAS,
Et præsertim nouissimi M. Antonij de Dominis
Archiapostatæ Spalatensis.

AVTHORE
P. M. F. DOMINICO GRAVINA
ORDINIS PRÆDICATORVM,
Cur. Archiep. Neap. Theologo, Sancti Officij Consultore,
in Vniuersit. R. Sac. doctr. primario professore.

Cum triplici Indice, Capitum, Axiomatum sacrorum, & rerum notabilium.





NEAPOLI Apud Lazarum Scorigium. M. DC. XXIX.



Sanctissimo, ac Beatiss. D.N.

VRBANO

PAPAE VIII.

SVPREMO FIDEI CENSORI, APOSTOLICI DEPOSITI CONSERVATORI.

Et vniuersis contra hæreticam prauitatem S.R.E. Illustrissimis, & Reuerendissimis Cardinalibus, in tota Christiana Repub. Generalibus Inquisitoribus, Octauio Bandino, Carolo Madrucio; Ioanni Garsiæ Millino, F. Augustino Galaminio, Gaspari Borja, F. Felici Centino, Petro Camporeo, Guidoni Bentiuolto, F. Desiderio Scaliæ, Ludouico Ludouisio, F. Antonio Barberino, Laurentio Magalotto, Laudiuiuio Zachiæ, Francisco Barberino.



Tinam (Beatiss. Pater, & S. Inquisitionis generales Quæsitores) Heliodori illius, depositi vidualis, & cæterorum quæ Sacerdotali custodiæ fuerant demandata, prædatoris temeritas, in suo auctore extincta fuisset; proculdubio à Nouatoribus eadem flamma nunquã reaccensa, neq; corporalium gazarũ, quæ in templis seruabãtur, nec cœlestium dogmatum spirituale ærarium, & communes

copiæ temeratæ essent, manu, duplici titulo sacrilega, deprædatoria auri, & fidei. Verum, vt illo temporis articulo, quando de expilando deposito ab impio tractabatur (diuina Historia referente. 2. Mach. 3.)
„ Erat misera commixtæ multitudinis, &
„ magni Sacerdotis cũ populo, in agone cõ-
„ stituti, expectatio, & inuocabant omnipo-
„ tentem Deum, vt credita sibi, his qui credi-
„ derunt, cùm omni integritate conseruaren
„ tur; & Spiritus omnipotentis Dei, magnam
„ fecit ostensionis suæ euidentiam, aggressorem elidendo; vt ab inimicis quoq; probaretur, eo in loco assistens verè quædã Dei virtus: ita pro custodia diuini, & præcipui depositi, doctrinæ inq̃ Catholicæ, & Apostolicę, Dei auxilium atq; virtutem asticisse, ipsa rerum euidentia, exemplis manifestissimis demonstrauit. Cuius diuinæ protectionis fides, adeò in animis Orthodoxis fixa est, vt (quod nostræ fidei caput est) non dormire nec dormitare posse, qui custodit Israel, Catholicam videlicet Ecclesiam, possibile iudicetur; non secus ac in materiali illa custodia depositi, decipi eos, qui credidis-

sent

„ ſent loco, & templo; quod per vniuerſum
„ mundum tunc honorabatur, pro ſui vene-
„ ratione, & ſanctitate, omnino impoſsi-
„ bile eſſe, adiudicabatur. Hanc ergo diuinā prouidētiam, ſacroſanctū Fidei Catholicæ depoſitū indefectibiliter cuſtodientem, per Romanorū Pontificū miniſterium, & magiſterium, & Sanctiſsimæ Inquiſitionis tribunal, velut turrim Libani erectam contra Damaſcum, ideſt, hæreticam prauitatem; hoc tractatu ad fidelium ſolamen, & rebellium hæreticorum peruicaciam retundendam, oſtendo. Faxit D.O.M. quod ſicut cęleſtis cuſtodia Heliodorum proſtrauit, proſtratumque Oniæ Sacerdotis magni preci-
„ bus, vitali vſui reformauit; vt omnia quæ
„ ſub oculis viderat, opera magna Dei, poſtea fateretur: ita Sanctitatis V. ardentiſsima, qua pollet, charitate, zelo, precibus, quas iugiter ad Deum fundit, pertinacia Nouantiū proſternatur, agnoſcatque, ꝙ qui habitat in
„ cœlis, viſitator, & adiutor eſt Eccleſiæ, po-
„ tiori iure, quàm locis illius, & venientes ad
„ malefaciendum percutit, & perdit. Et ſi mea opella. S. V. & ſacræ fidei Inquiſitorib.

ge-

generalibus dicata, Põtificio tamen vestrò calculo approbata, & benedictionis dono sacrata, aliquid proderit, vt errantium corda resipiscant, & nuncient magnalia Dei, non leue præmium reportabo, pro domo Dei mei laborasse, & pro meo modulo defendisse, & vel vnã ouiculam palabundam, ab ouili Dominico aberrantem, rursus ad caulas illius gregis (cuius Pastor es vigilantissimus) reuocasse. Sanctitatẽ V. cum hoc amplissimo sacræ Inquisitionis Senatu, pro religionis amplitudine diutissimè seruet. Neap. E Cœnobio Prædicatorio S. Mariæ Sanitatis die 28. Maij 1628.

S. V.

Pedibus prostratus

Fr. Dominicus Grauina Ord. Prędic.
S.T.M. Sancti Officij Consultor.

Approbationes.

IVſſu Reuerendiſs. P. Fr. Lucæ Caſtellini S.T. Profeſſ. Vicarij, & Procuratoris generalis totius Ord. Prædicatorum, A.R.P. Fr. Dominici Grauinæ S.T. Magiſtri Commentarium de Sac. Apoſtolico totius Eccleſiæ depoſito, qua maxima potui diligentia legi: nihilque in eo contra orthodoxiã, aut bonos mores; quinimo omnia ad catholici theſauri inextimabile pretium extimandum, ad ſummorum Hierophantarum inuiolatam Fidem ſuſpiciendam, & ad vigilem curam Apoſtolicæ Sedis, in eo ſeruando magnificandam, ſeu demonſtrandam, ex varijs Eccleſiæ tabulis ſummo ſtudio comparatum reperi, dignumque publica luce cenſui. Romæ apud S. Petrum in meo Muſęo vi. Kal. Iulii 1628.

Ego Fr. Abraham Bzouius S.T. Mag. Ord. Prçd.

IVbente Reuerendiſs. P. S.T.M. F. Luca Caſtellino totius Ord. Pręd. Procuratore Generali, nec non Reuerendiſs. P.F. Seraphini Sicci eiuſdem Ord. Generalis Magiſtri Vicario, tractatum de ſacro depoſito Catholicæ Fidei, ab A. R. P.F. Dominico Grauina S.T. Magiſtro, eiuſdemmet Ordin. diligenti ſtudio compilatum, pro dicti Sac. depoſiti manutenentia, maiori qua potui diligentia legi, & conſideraui: nihilque reperi quod fidei catholicæ, & Chriſtianis moribus aduerſetur. Vnde ad commodum eorum, qui ad dicti depoſiti cuſtodiam ſelecti ſunt, & omnibus perutiliſſimum, in lucem prodire debere cenſeo, ſaluo meliori iudicio. Dat. Romæ in ædibus S. Nicolai in Campo Martio die 29. Iulij 1628.

Ego Fr. Archangelus Caraccia de Ripalta S.T.M. & Procurator Canonizationis Pij V. S. mem.

Licentia Reuerendiss. Vicarij, & Procuratoris Generalis.

Nos Fr. Lucas Castellinus S.T. Magist. ac totius Ord. Pred. in Rom. Cur. humilis Procurator, & Vicarius Generalis, stante attestatione supradictorũ PP. Magistrorum, quibus iuxta dispositionem decretorum Apostolicorum, Concil. Trid. & Capitul. Generalium strictius demandatũ fuit diligens examen huius libri, quem nos ipsi alijs detentis occupationibus, haud videre potuimus: tenore præsentiũ, nostrique authoritate officij facultatem concedimus tibi R.A.P. Magistro Fr. Dominico Grauina nostræ Congregat. Sanitatis, quantum in nobis est, vt alijs seruatis circa editionem librorum, prælo committere possis librum, qui inscribitur, Pro Sac. deposito fidei Cath. & Apost. fideliter à Rom. Pontif. custodito Apologeticus. In quorum fidem bis nostro sigillo munitis manu ppria subscripsimus die 30. Iulij 1628.

Ita est. Fr. Lucas qui sup. manu propria.

Reg. f. 12. F. Ioannes Spina M. & socius.

Facultas Curiæ Archiep. Neap.

Tantum abest, vt vllus relinquatur ambigendi locus, num hic Apologet. sanam doctrinam contineat, vt potius ad confutãdos hæreticos, & cõuincendas Nouat. calumnias, principem teneat locum; in eo enim potius Christianæ Religionis compendium, & quicquid in PP. scriptis, ad rectè viuendi, & catholicè sentiendi pertinet regulam, reperitur expressum, non solum igitur permittenda est eius impressio, sed ipsi vehementer instandum, ad totius Christianæ Reip. bonum, mille enim clypei pendent ex eo, omnis armatura fortium, vt omnes qui aduersus hæreticos, & Nouat. fallacias pro fide agonizant, hinc communiti, & armati, de hostibus S. depositi facilè triumpharint.

D. Andreas Lanfranc. Cler. Reg. Dep.

Imprimatur. Iac. Terrag. Vic. Gen.

Authoris
PRAEFATIO,
& operis argumentum.



1 FIducia Christianorum, fidelitas Ecclesiæ in custodiendo fidei deposito. Hoc credere veritas fidei cogit, hanc veritatem, Deus quoque in sacris eloquijs manifestauit. Sed hæreticus ridet, Nouator insultat, & de nouitate dogmata Ecclesiæ sugillare non erubescit. Eamque eorumdem artificem in dies noua cudentem, & obtrudentem placita, & pro articulis venditantem, inscitia malitia, odio amore, gratia vel metu, superstitione vel pietatis specie, inflatis buccis conclamat.

Fides Catholica sacrosancto deposito innititur.

2 At hoc malitiæ proprium (ait Chrys. hom. 53. in Gen.) quòd *semper contra virtutem pugnat, & ei sua peccata affricare, & impingere vult: id quod & mulier illa faciebat, adolescentem* Iosephum *quasi intemperantem criminans, & se continentiæ larua induit, & dicit propter hoc & illum reliquisse vestes, & se retinuisse illas: & misericors Deus fieri hæc permittit, vt per omnia famulum suum clariorem efficiat.* Non dissimilis criminationis forma in reformata, verius deformata religione, quæ ne adulterii crimine denotetur, castam matronam, imo virginem, Romanam Ecclesiam de mœchia incusat, venerandamque antiquitatis caniciem exagitat, quòd

Malitia Nouatorum, qui ne de nouitate notentur, vetustatem catholicã de nouitate traducere non verentur.

nouitates admittat, ne de sua nouitiola paratura conuincatur, & depositum Apostolicorum dogmatum permutatum ab Orthodoxis fingit, ne sui professores tanquam fures, & latrones eiusdemque depositi inuasores, & agressores habeantur.

3 Si ergo, ô noui Euangelij ministelli, falsum istud crimen à vobis, vel maioribus vestris illatum, hoc apologetico, & calumniam istam portentosam mendaci stylo fabrefactam conuellere aggredior, ne succenseatis. Vnicuique vi legum maximè in materia religionis, licitum est aduersarios propulsare. Quod si nostrates tanquam depositi violatores apud vestros, & per orbem infamatis; æquum est innocentiam quoque nostram propalare, quæ conscientiæ securitati confisa, in publicum apparere non erubescit, non ad incertas probationes, vel nupera hominum commenta prouocans, sed ad antiquam Fidem Catholicorum dogmatum, temporis authoritate firmatam confugiens, & veterum instrumentorum, ac tabularum authoritate indicans, & demonstrans, eiusdem numero depositi identitatem ab Apostolis, & Apostolicis contestatam, & semel traditæ fidei dogmata diligentissimè à posteris custodita.

Quam rationabiliter orthodoxus de obiecta nouitate immunem se monstrat.

4 Nemo nescit initio quinti Euangelij, repudiata fidei regula, uaria ad credendum principia tradita à vestris Cacangelicis; primo enim ad solam eamque emortuam scripturam se adstrinxerunt: mox videtes nec sua hætherodoxa posse statuere, somnia & enthusiasmos inuexere, vt se Deodactos venditarent. Inde articulos Smalcaldicos, confessionem Augustanam, Apologiam Philippi, Catechismum Lutheri, eiusdemque confessionem e suo cerebro natam (quam verbum Dei, & succum Propheticorum, & Apostolicorum scriptorum

Abiecta fidei regula, Cacangelici noua principia credendi quàm inaniter statuerint.

rum appellarunt) inter principia nouæ Mateologiæ, loco sacri depositi Apostolici, recensuerunt: e quibus tot errores quot conclusiones, tot errorum portenta quot placita, tempori, loco, personis, Principum auribus, & atheismo accomodata deduxerunt, *simulantes fidem, non subditi fidei, sibique fides potius constituentes, quàm accipientes*, vt scripsit quondam de Arianis Hil. lib. 6. de Trinit. se ipsos constituentes regulam veritatis, Apostolica doctrina eierata: extra namque sanæ doctrinæ patientiam positi, populi immorigeri (vt idem scripsit lib. 10.) *per impietatis studium ijs quæ desiderabant, coaceruarunt magistros, apta scilicet cupiditatibus suis doctrinarum instituta cumulantes, nec doceri se cupientes ad id quod optabant congregarunt, vt cumulus ipse conquisitorum, & coaceruatorum magistrorum, æstuantium desideriorum doctrinis satisfaceret. dumque aures prurigine incitatæ, vetera fastidientes, noua exoptantes, nouella desiderij sui prædicatione scalperentur, totos se fabulis destinarunt, & non tam aures ex refricata prurigine oblectatæ, sed miserè exulceratæ, dum secundum desideria studiorum potius, quàm secundum euangelicam fidem, coaceruata doctrina est, quam & incentiua seducentium spirituum suppeditarũt, & simulatæ religionis falsiloquia confirmarunt*, sequitur enim (ait idem) defectionem fidei *hypochrisis mendax, vt sit vel in verbis pietas, quã amiserat conscientia*.

Talia principia, noua Mateologia fabricata est, quæ auribus prurigine laborantibus placerent, quæ potius sunt exulceratæ quam oblectatæ. ex Hil.

5 Sub specie ergo pietatis in verbis, quæ à corde iampridem fuerat ablegata, apostasiam, & fornicationem spiritualem obtegere volens vestra hæresis, nostrũ pallium, furata est, Scripturam, Sacramenta: hypocrititio mendacio, veritati vim illatam ab Orthodoxia inclamat, & veritatis construpatorem, & adulterum & depositi infidelem

Orthodoxiam perperam criminantur Nouatores, quod veritati & deposito fidei vim intulerit.

custodem, imò inuasorem, catholicum extitisse criminatur. Quid Lutherus lib. de concilijs? *Illi sycophantæ, qui parasitantur Papæ, adeò sunt dementati, vt hoc paradoxum audacissimè defendant: Concilia potestatem habere condendi nouos articulos fidei, & mutandi veteres.* Et a. 27. *Permitto quod Papa condat nouos articulos fidei, suis fidelibus, vt panem, & vinum transubstantiari, &c.* Lutheri corculus Martinus Kemnitius apud Payuam lib. 5. de pecc. orig. eidē subscribens dixit. *Pontificios neque scripturam, neque traditiones curare, quando volunt nouos articulos cudere.* Cōuenticulus Smalcaldicus c. de primatu Papæ. *Papa sibi arrogat autoritatem condendi leges de cultibus, de mutatione sacramētorum, de doctrina, & vult suos articulos, sua decreta, suas leges existimari pares legibus diuinis.* Sed fortasse dociliores Caluiniani? minimè: nā cane, & angue peiores, iisdem verbis, & sententijs, sub pietatis specie veluti gehennæ ignibus, nutriunt eandem blasphemiam, vt simul & semel nostros Pontifices offendant, & apud suos promereri de suis synagogis videantur. O pietatem de religione ludentem: sacrificare videntur, & insultant, & obsequium putantes se præstare Deo, fidem sine qua impossibile est illi placere, Deū extra orbem iubent exulare. Audiamus Caluinum truculentam belluam, sua verba resonantem in lib. 4. instit. c. 7. sect. 10. *Fidem nostram suo arbitrio stare volunt, & cadere, vt quicquid ipsi vtrâque in partem constituerint, firmum animis nostris, ratumque sit, vt si quid probauerint, nobis vlla dubitationi probari, si quid damnauerint, id quoque pro damnato esse oporteat. Interim sua libidine, contemptoque Dei verbo, cudūt dogmata, quibus postea fidem, hac ratione sui postulant, nec enim Christianum esse, nisi qui in omnia*

Verba calumniosa Lutheri, catholicam ecclesiam infamantis, quod articulos fidei immutauerit.

Aliæ consimiles calumniæ Martini Kemnitij, & aliorum Lutheranorum.

Caluini calumnia aduersus ecclesiam, à Lutherana non degenerans, quod penes illam sit condere nouos articulos.

nia

nia sua dogmata tam affirmatiua, quàm negatiua certo consentiat, si non explicita fide, tamen implicita, quia penes Ecclesiam sit condere nouos articulos. Iacobus I. Rex Brittaniæ, & Hiberni in suo Basilico Doro in præfatione, multa ecclesiastica dogmata, *vt nouitia, & nupera*, criminatur, & exemplificat de B. Virginis, & Sanctorũ inuocatione, reliquiarum veneratione, &c. & pag. 62. de sua hæresi loquẽs ait. *Ego ingenuè spondeo, quoties religionis quam profiteor vllum caput ostendetur non antiquum, non catholicum, & apostolicum, sed nouitium esse in rebus spectantibus ad fidem, me statim ab eo discessurum*. Philippus Mornæus, qui ense accinctus, sexagenario maior, eiusdem Regis lateri indiuulsè se adhærere promittit in suo mysterio iniquitatis, progressu 50. pag. 346. de vet. Patribus, & Pontificibus dicit, ꝙ *nouos articulos condebant, transubstantiationẽ, adorationem crustulæ in Missa, auricularem confessionem, &c.* & in progressu 62. pag. 546. loquens de communione sub vtraque specie, Laicis ab Ecclesia inhibita, ait. *Ecclesia, seu Concilium suum, supra sanctam scripturam non extollitur tantum, sed supra Deum ipsum assurgit, qui, si ijs fides, pro eorum libidine consilium mutare teneatur*, & postea, *Papa Deum corrigere audeat; verbi sui sensum pro libidine aut commodo cauponetur, &c.* Modestior forte Spalatensis archiapostata? nequaquam: concupiscentiæ enim tartareæ flammis adustus, reformatæ religionis illecebris inescatus, pudorem cum religione exuens in Angliam aufugit, vt suam Venerem in libero regno, canis respersus, exaturaret; sed ne ab Eclesia temerè se recessisse videretur, hanc causam inter cæteras suæ apostasiæ euulgauit, in suæ profectionis consilio cap. 7. pag. 15. *Vidi apertissimè penitusq; prospexi Romæ, absque vllo legitimo fundamento,*

Iacobi I. Regis Brittanniæ calumnia, quod dogmata ecclesiæ Rom. nouitia sint, & nupera.

Philippi Mornæi mendacia, quod pro placito Pontificum Rom. noua dogmata obtrudantur.

Marci Antonij de Dominis friuolus prætextus de sua apostasia; fingendo (quod à recitatis hæreticis hausit, nouorum articulorum intrusionem.

to, imò per summam vim innumeros fidei articulos nouos quotidie cudi, & nobis obtrudi, in his nõ modo, quæ ad fidem diuinam nihil pertinent, sed etiam manifestam in se continent falsitatem. Plurima quoque dicit ad fidei articulos reduci, *quibus animæ fidelium miserabiliter decipiuntur, & in barathrum perditionis ruunt, ob innumerabiles quoque Romanæ Curiæ nouitates, perniciosissimos errores, quibus scandala in Ecclesiam inuehuntur, & regna subuertunt, & schismata fiunt.* Hi sunt adulteræ clamores, vt Orthodoxiam infament. Sed vos compello cum Bernardo serm. 3. de adult. & Susanna. *Vestras, ò Heretici, manus, neque adultera effugit, nec pudica: vestras accusationes, nec sanctus, nec peccator euadit. Dissimulatis peccata vestra, vbi inueneritis aliena, alioquin verò si quis fortè suum non habet, vestrum ei crimen impingitis.* Et cum omnia vestris nouitatibus turbassetis, meretricia fronte huius nos reos criminis facitis, cum nihil magis symmistis vestris cordi fuerit (hic enim proprius est hæreticorum character) quàm vestram nouitatem antiquitatis pallio amicire, nostram vero antiquitatem à sua legitima possessione exturbare; nostrum depositum adoriri, custodes vero eius (Iudaicam impietatem imitando, Apostolos de furto dominici corporis à monumento criminãtem) latrocinij incusare. At nec nouum furibus, rẽ furto sublatam, ne recentis delicti suspicione notentur, vel aliis supponere, vel eosdem de perpetrato delicto proclamare. Etiam impudici illi senes, Susannæ specie excœcati, propriaque concupiscentia velut belluæ illaqueati, ne adulterii crimine inurerentur, castissimã illam mulierem infamarunt, accusarunt, damnarunt: veritas tandem aperta est, cœlo mendacium non ferente, vlciscente, & pudicitiam innocentis detegente. Quod si *plenè*

Contra istas criminationes iniustas, & portentosa mendacia, præclarum dictum S. Bernardi expẽditur.

Nouatores imitãtur custodes sepulchri dominici, ementes mendacium furti.

Sunt imitatores quoque seniorũ illorum, qui falso Susannam accusabant.

plenè absurdus atque improbus, vt scitè Nazianzenus in Apologet. pronunciauit, *qui aliorum res proprijs affectibus perpendit* παντα ατόπως καὶ μοχθηρως κρινεὶ τα τῶν αλλων τοις ἐκεινυς παθεσι; dicant nobis noui isti depositarii, à quibus, quando, sub qua testis præsentia, depositum fidei acceperunt, acceptumque in sua integritate, & identitate seruarint? Vos cum Tertull. conuenio in Apolog. c. 6. *V bi religio? vbi veneratio maioribus debita à vobis habitu, victu, instructu, sensu ipso, denique sermone, proauis renunciastis.* Quomodo ergo illibatum depositum seruari, potuit, qui à maioribus vestris in tot desciuistis? *Laudatis semper antiquitatem*, licet tunc cum Patres recipere simulatis: *& nouè de die viuitis*, nouas cõfessiones, & reconfessiones fabricando. *Per quod ostenditur, dum à bonis maiorum institutis receditis, ea vos retinere, & custodire, quæ non debuistis*, dogmata præcedentium hæreticorum, quæ ab Orco reuocastis; cum quæ debuistis, non custodistis; ea scilicet, quę ab Apostolis, & Apostolicis tradita, vsque in præsentem diem in Ecclesia sunt conseruata.

Obiicientes Nouatores hæc crimina immutationis, & deprauationis depositi, tenentur ad probationem.

Optimum agumentum desumptum ex Tertulliano, quo probatur erga nostrum depositum, ipsorum irreligiositas, & in custodia suæ impiæ doctrinæ infidelitas.

6 Contra verò cum depositi consignationem, publica antiquitatis attestatione, identitatem, fidã custodiam ostendamus in hoc opere, fures quoq; & aggressores depositi denotemus, qui à nostris repulsam passi sunt, & eierati, vestrorum quoque testimonio, vestra etiam dogmata à primipilis vestris magistellis tradita, centies innouata, alieni depositi inuasores, & vestri infidi custodes, superest euincamini.

In hoc opere demõstratur nostrorum fida custodia. Nouatorũ temeraria inuasio, & suorum dogmatum incõstantia.

7 Certè quando alia argumenta deessent ad vestram peruicaciam conterendam, hoc solo, à sacri depositi custodia nostra, & temeraria aggressione vestra haberi debetis extorres à fide, & eierati.

In ipsis consistoriis Geneuēsibus & Anglicanis, p depositario pronunciatur, si idētitas depositi legitimè probetur.

Aggressores depositi habentur inuasores, effractores murorum, arcæ, &c.

Eodem quoque argumento, ab ipsorum Nouatorum politia desũpto, deprehendi potest, qui sint legitimi custodes, qui nam depositi aggressores.

Ordo dicendorũ proponitur.

rati, nam si in subselliis vestris Anglicanis, vel Geneuanis, pro depositario pronunciatur, si eam quam recepit argenti vel auri summam, gemmas, vel lapides preciosos fideliter custodierit, & in eadem identitate concreditam restituat; aduersus vero depositi aggressores procedatur, si clanculò, vel effracto muro, absque claue depositum adorti, thesaurum suffurati fuerint, vel plumbum pro argento, æs pro auro substituerint; rationabilius (cum de illo agatur deposito, in cuius custodia religio, & salus æterna tanquam in vitæ spiritualis fundamento consistit) pro custodibus, non aggressoribus pronunciari, nobis tacentibus, vestris quoque iudicantibus sperat: & satis ostensio nostræ custodiæ, tot nedum domesticis, sed externis indiciis onerata, erit idonea ad depellendum crimen innouationis, cum in vos exprobratio resultabit, qui mendacium, & figmentum colentes, antiquam, & veram religionem, quæ antiquum depositum conseruauit, atque conseruat deseruistis, vetera suffurantes, noua superinducentes. Propositum ergo aggrediamur, ad Dei solam gloriam, methodicè procedentes, ab ipsa depositi notione incipiendo, vt substratis paulatim gradibus feratur gressus ad summa; & ne lector fatigetur, capitulorum connexione primo proposita, iter intelligētię ordinatæ, quasi cliuo molliore lenitũ, lectorem ad legendum inuitet.



INDEX I.
CAPITVM,
QVAE IN HOC OPERE
TRACTANTVR.



Cap.

Cap.17.In explicatione,vel definitione dogmatum,non expectant Romani Pontifices nouas, & immediatas reuelationes, sed ex depositi inspectione,Spiritu-sancto assistente, illustrante, dirigente, tanquam legitimi iudices, & Critirion, quod,decernunt,& definiunt.

Cap.18. Magna sollicitudine, & diligentia curarunt Romani Pontifices controuersias definire ex sacro deposito ostendendo, & præscribendo quid in deposito recondendum, quod abiiciendum.

Cap.19. In huiusmodi definitionibus non temerè, sed maturè depositum inspiciunt Rom.Pont.hoc est.S.scripturam, traditiones, Conciliorum,& prædecessorum decreta,Patrum sensum, atque consensum.

Cap.20.Ex sola *PP.*doctrina sæpe Proceres ecclesię,Cõcilia Romani Pontifices triumpharunt. Ephesina Synodus decẽ numero Patrum authoritate contentà,Nestorium damnauit, minori quoque numero hæretici debellati:ex solo Augustino hostium acies profligatæ.

Cap.21.Diabolus semper,funestius vero hoc sæculo,in Patrum contemptu Atheismum fundasse proinde à Catholicis magna cura adhibenda in PP. authoritate tuenda.


Cap. 22. Mystici canes ex omnibus ordinibus, Dominicani ex sui instituti ratione suam operam latrando impenderunt, fures exterrendo, Pastores excitando,pro custodia depositi,& Patrum doctrina tuenda.

Cap.23. Victrix palma de doctrinarum nouitate (in suo tamen gradu) vnitati, seu consensioni,Vniuersitati,& vetustati doctrinæ Augustinianæ, atque Thomisticae tribuenda est, quę depositum Apostolicum tuetur,& defendit.

Cap.24. Aduersus doctrinam Sanctorum Augustini, &

Scio enim, cui credidi, & certus ſum,quia potens eſt DEPOSITVM meum ſeruare in illum diem. 2.*Timot.*1.

Eſt autem Depoſitum Fides,& prędicatio.Hoc ipſum,qui depoſuit, inquit, integrum inuiolatumque ſeruabit. Omnia patior,vti ne huiuſce theſaurus expiletur. *Chriſoſt.ibid.ho.*2.



INDEX II.
AXIOMATVM
HIEROPOLITICORVM.
Quæ in hoc opere continentur, pro tuendo ſacro depoſito, & ciuitate Dei.



Ro propagatione terrenæ ciuitatis, à filijs huius ſeculi voluitur, & manibus teritur *Cornelius Tacitus*, *ſanè ille mendaciorum loquaciſſimus*, hoc enim titulo à Tertull. in Apolog. cap. 6. cohoneſtatur. Rationabilius Patrum monumenta à filijs ciuitatis Dei pro ſacroſanto fidei Cath. & Apoſt. Rom. depoſito conſeruando, leguntur: è quorum fontibus ſelectiora hæc Hieropolitica præcepta colligimus, iiſque pauperem noſtrum tractatum ditauimus, in obſequium ſponſæ IESV CHRISTI Romanæ Eccleſiæ. *V*el ſerò tandem ſapiant (vt dicam cum *N*azianz. oratione ad *A*rian.) *qui arenā in precio habent, & ipſa mūdi lumina* faſtidiunt, & quod peius eſt, *contumelijs afficiunt, qui denique conchas aggerunt, & margaritas contemnunt*. *V*ale, & fruere.

Index II.

pon-

pondere iudicandum. n. 4. Ex Hieron.

Si nouandarum rerum cupidi Patrum volumina legerēt, plus sapeRent. n. 5. Ex eodem.

Dolor proprius in opinione priuata, causa ecclesiæ non putanda. nu. 6. ex eodem.

Non proprij fœtus nostri, pro dogmatibus venditandi, ne humana putentur pietatis verba. n. 10. ex Basilio.

EX C.VII. *Patres defuncti in ecclesia et nunc fide viuunt, & sua autoritate, & magisterio, & voce adsunt. n.* 9. ex Naz.

Impius, crudelis, qui defunctos PP. lacessit, & in eorum decreta peruersus irrumpit n. 8. ex Hilario.

DD. *Ecclesiæ non tam ipsi docent, quàm in ijs Deus, qui per* Sanctos *loquitur. n* 4. ex Hierony.

EX C.VIII. *Dicere in rebus fidei Patres sibi contradicere, est Spiritum sanctum impugnare. n.* 1. ex Leone Bizantio.

Affectatio est in omni disputatione dominari velle, & in quacumq; quæstione, primariā sedem obtinere. n. 6. Ex Naz.

Etiam in minimis temeritas compescenda, ne maioribus abutantur. ibid. ex eodem.

Sapientia *Chalana turris est, cum diuersorū lingua, contrarijs factionibus scinduntur. n.* 5. ex eodem.

Si reprimi nō pōt curiositas scrutādi diuina, in rebus vbi nullum est periculum, exerceatur. n. 6. ex eodem.

In fidei pietate, periculosum omnibus magistris se imbuendum tradere, & sibi ipsis delectum sequendarum rerum, tā quam malis iudicibus, reseruare n. 6. ex eodem.

Antiqui scriptores cum reuerentia legendi, sine iniuria recentes n. 7. ex Apollin. Sidon.

Sciolorū proprium, impertinentes quæstiones nectere, & soluere, vt sapere videantur. n. 7. ex Naz.

Non est laudabile contra antiquos sapere, & noua comminisci, vt sapientes iudicemur. ibid. ex Cassiod.

Superborum nota est, dicere se solos sapientes, sibi solis mysteria reuelata nu. 8. ex Theodor.

Vna mater superbia, omnes hæreses generat. n. 8. ex Aug.

Despiciens præsentes Magistros, etiam Patres despexisset, si cum illis vixisset. n. 10. ex Chrys.

Dementia est, vnius diei Theologos creare velle, & supra

mum ...

*ditum est. num.*15. ex S. Steph.PP.

*Non est aliquid superinducendum in ecclesia, quod authoritatẽ non habet, & exẽplo destituitur.n.*22.ex Inno.PP.

*Nihil liceat Nouitati, quia nihil addi conuenit vetustati.n.*23. ex Cælest.PP.

Agendum labore communi, vt credita, & per Apostolicam successionem nobis tradita, decreta seruentur. ibidem. ex eodem.

*Solicitè curandum, ne constitutiones PP. ad soliditatem fidei pertinentes, praua cuiusquè interpretatione violentur.n.*24.ex Leone PP.

Nulli fas est, sine sui periculo diuinas constitutiones, vel decreta Apostolicæ sedis temerare.n 25. ex Hil.Papa.

*Pro fidei deposito tuendo, eligendum quodlibet perpeti, quã incidere causas dãnationis æternæ.n.*28. ex Gelas. PP.

*Infirmum satis ostendit affectum, qui quod diligit, vt fidei dogmata, non tuetur.n.*31. ex Hormisda.

*Hæresis radicitus euellenda, ne radix eius in posterum inueniatur.n.*32.& 40. ex Ioanne PP.

*Regiam viam ambulantes PP. vestigia insequendo, in insaniam non prorumpunt.n.*78. ex Steph.VI.

Membra ecclesiæ se non agnoscant, qui capiti ecclesiæ B. Petro, & successoribus reluctantur. n. 93.ex Gregor.VI.

*Humanis coniecturis, & argumentationibus antiqua fides frustra impetitur. n.*95. ex Leone IX.

*Non proprio libito, & adinuentione, Pontifices Rom. determinant, sed veterem, & antiquam fidem, ad credendum proponunt.n.*74.& 98. ex Greg. VII.& Adrian.II.

EX C.XIII. *Ecclesia Rom. tot sustinet argumenta veritatis, quot peruersitatum, & infidelitatis calumniæ mouebuntur. n.*9. ex S.Hil.

*Melius, & optabilius est egregium bellum, pace impia, & à Deo distrahente. n.*11. ex Naz.

*Non permittendum, vt quod mali iure non possunt, temeritate, & desperatione perficiant.n.*12. ex S.Cypr.

Nullo modo cedendum impietati, & iis, qui minantur, non enim diabolus maior est Christo. ibid. ex eodem.

Non plus possunt, ad impugnandum fidem, humana conamina, quã ad protegendũ valet diuina tutela. ibid. ex eod.

Non

Si

Si quandoque haretici, Patres recipere simulant, tunc Rapsacem imitantur.n.5. ex S.Martino Papa.

Qui Patres repudiant, bella contra hareticos confecta retractant, & munitiones secura pacis infirmant. num. 7. ex Prospero.

Romana ecclesia nil aliud pradicat quam qua PP.nostri toto orbe docuerunt. n.3. ex S Leone.

Callidè Haretici Patrum ambigua dicta assumunt, ne soli sentire videantur.n 8. ex Lerin.

Fides, & religio mutuo nexu iunguntur, vt ab illis deuiantes, nec sapientes, nec religiosi videantur.n. 10. ex Lact.

Quod religio firmiter colit in templo, fides primo prascribit esse colendum. n.12. ex August.

Obsequium rationabile prasumptione non turbatur, nec temeritate confunditur, nec simulatione fucatur. num. 13. ex Chrysologo.

EX C.VII. *Quisquis diuinum, et profundum nosse cupit, ad Petri magisterium recurrat, etiamsi quod quaritur non ignoret.n.6.* ex S.Maximo.

In sede sua adhuc viuit S. Petrus, & prastat quarentibus fidei veritatem.n 6. ex eodem.

Christus Dominus adest, pracipuè in suorum congregatione Pōtificū, & per eos sua opera exequitur n.9. ex Leon.

Romano Pontifici diuinitus datum, syncera ab adulterinis discernere, & Patrum fidem sine metu pradicare. n.22. ex S.Basilio.

EX C.XVIII. *Vera & syncera fidei pradicatio, nunquam à Rom. Pontificibus omissa.n.5.* ex Agathone PP.

Facilius cedunt prauè opinantes, cum eorū errores Apostolico mucrone truncantur. n 8. ex Prosp.

Fidei controuersia decisionibus sopiuntur, ne sit infinita inquisitio, & ne Pagani, & haretici nobis insultent. nu.12. ex Const. ad Donum Papam.

Malum haresis sanandum celerius, ne execrandus morbus inserpat.n.14. ex Concil. Carthag.

Citò repellendi haretici, ne putentur vera sentire, cum videntur in ecclesia perdurare.n 13. ex Possessore Episcop.

A Romana ecclesia fideles in dubijs certitudinem se habere

Præ-

Prudentia suas habet excubias, diligentiam, vigilātiā, ne mala suasione fallamur. n. 11. ex August.

EX C.XX. *Compendiosā via hæreses refutādi, ad Patrum antiquorum doctrinam recurrere, & Theodosij. & Theodoræ Augustæ exemplis hæreticos cōfundere. n.* 6 & 7. ex Theophane oratione in S. Niceph.

Decem Patrū numero velut sacrato decalogo, Ephesina synodus Nestorium proscripsit. n. 9. ex Lerin.

Non concorditer loquerentur Patres, nisi ex notissima regula veritatis essent instructi. n. 12. ex August.

Qui PP. repudiant, ecclesiæ decorem tanquam Saræ pulcherrimæ aniculæ castitatem corrumpere tentant. num. 13. ex eodem.

Iidem contra muros antiquissimæ veritatis nouas machinas struunt. n. 13. ex eodem.

EX C.XXI. *Nullus repente, sed gradatim ad impietatem tendit. n.* 1. ex Chrys.

A Patrum abnegatione ad Apostolos, ab Apostolis vsque ad Dei abnegationem proceditur. n. 2. ex Doroth.

Spretis Patribus, ex artificio loquuntur homines, non Theologicè. n 5. ex Basil.

Simulant impij Orthodoxiam, ne de falsitate argui possint. ibidem. ex eodem.

Iidem dissensiones excitant in Ecclesia, vt publicis malis eorum delicta tegantur. ibid. ex eodem.

Incondita epulæ, quas non condit Apicius hoc est, quæ nō de Patrum iure suffumant. nu. 8. ex Hierony.

EX C.XXII. *Canis catholicus prædicator, qui domesticos mulcet, externos latrando insectatur. nu.* 2. ex Nazianz.

Doctores ecclesiæ pie vrgent, & stimulant Pastores, ne zizania crescant. n. 71. ex Chrys.

Laborem promittunt, nec patiūtur, vel temporalē Dominicæ messis videre fœditatem. n. 72. ex eodem.

Tempore manifestatur in doctrinis, quod latebat in gramine, & quod occultabatur in herba, apparet in spica. ibid. ex eodem.

EX C.XXIII. *Nouatores de vna via, obliquos multos tramites, & inextricabiles faciunt. nu.* 3. ex Tertull.

Bellum

Scio enim, cui credidi, & certus ſum,quia potens eſt DEPOSITVM meum ſeruare in illum diem. 2.*Timot.*1.

Eſt autem Depoſitum Fides,& prçdicatio.Hoc ipſum,qui depoſuit,inquit, integrum inuiolatumque ſeruabit. Omnia patior,vti ne huiuſce theſaurus expiletur. *Chriſoſt.ibid.ho.*2.



INDEX II.
AXIOMATVM
HIEROPOLITICORVM.
Quæ in hoc opere continentur, pro tuendo ſacro depoſito, & ciuitate Dei.



Ro propagatione terrenæ ciuitatis, à filijs huius ſeculi voluitur, & manibus teritur *Cornelius Tacitus, ſanè ille mendaciorum loquaciſſimus*, hoc enim titulo à Tertull. in Apolog. cap. 6. cohoneſtatur. Rationabilius Patrum monumenta à filijs ciuitatis Dei pro ſacroſancto fidei Cath. & Apoſt. Rom. depoſito conſeruando, leguntur: è quorum fontibus ſelectiora hæc Hieropolitica præcepta colligimus, ijſque pauperem noſtrum tractatum ditauimus, in obſequium ſponſæ IESV CHRISTI Romanæ Eccleſiæ. *V*el ſerò tandem ſapiant (vt dicam cum *N*azianz. oratione ad *A*rian.) *qui arenā in precio habent, & ipſa mūdi lumina* faſtidiunt, & quod peius eſt, *contumelijs afficiunt, qui denique conchas aggerunt, & margaritas contemnunt.* *V*ale, & fruere.

Index II.

pondere iudicandum. n. 4. Ex Hieron.

Si nouandarum rerum cupidi Patrum volumina legerēt, plus saperent. n. 5. Ex eodem.

Dolor proprius in opinione priuata, causa ecclesiæ non putanda. nu. 6. ex eodem.

Non proprij fœtus nostri, pro dogmatibus venditandi, ne humana putentur pietatis verba. n. 10. ex Basilio.

EX C. VII. *Patres defuncti in ecclesia et nunc fide viuunt, & sua autoritate, & magisterio, & voce adsunt*. n. 9. ex Naz.

Impius, crudelis, qui defunctos PP. lacessit; & in eorum decreta peruersus irrumpit n. 8. ex Hilario.

DD. *Ecclesiæ non tam ipsi docent, quam in ijs Deus, qui per Sanctos loquitur*. n. 4. ex Hierony.

EX C. VIII. *Dicere in rebus fidei Patres sibi contradicere, est Spiritum sanctum impugnare*. n. 1. ex Leone Bizantio.

Affectatio est in omni disputatione dominari velle, & in quacumq; quæstione, primariā sedem obtinere. n. 6. Ex Naz.

Etiam in minimis temeritas compescenda, ne maioribus abutantur. ibid. ex eodem.

Sapientia Chalana turris est, cum diuersorū lingua, contrarijs factionibus scinduntur. n. 5. ex eodem.

Si reprimi nō pōt curiositas scrutādi diuina, in rebus vbi nullum est periculum, exerceatur. n. 6. ex eodem.

In fidei pietate, periculosum omnibus magistris se imbuendum tradere, & sibi ipsis delectum sequendarum rerum tā quam malis iudicibus, reseruare n. 6. ex eodem.

Antiqui scriptores cum reuerentia legendi, sine iniuria recentes. n. 7. ex Apollin. Sidon.

Sciolorū proprium, impertinentes quæstiones nectere, & soluere, vt sapere videantur. n. 7. ex Naz.

Non est laudabile contra antiquos sapere, & noua comminisci, vt sapientes iudicemur. ibid. ex Cassiod.

Superborum nota est, dicere se solos sapientes, sibi solis mysteria reuelata nu. 8. ex Theodor.

Vna mater superbia, omnes hæreses generat. n. 8. ex Aug.

Despiciens præsentes Magistros, etiam Patres despexisset, si cum illis vixisset. n. 10. ex Chrys.

Dementia est, vnius diei Theologos creare velle, & sus- 4 *præ-*

ditum

*ditum est. num.*15. ex S. Steph.PP.

*Non est aliquid superinducendum in ecclesia, quod authoritatē non habet, & exēplo destituitur.n.*22.ex Inno.PP.

*Nihil liceat Nouitati, quia nihil addi conuenit vetustati.n.*23. ex Cæleſt.PP.

Agendum labore communi, vt credita, & per Apostolicam successionem nobis tradita, decreta seruentur. ibidem, ex eodem.

*Solicitè curandum, ne constitutiones PP. ad soliditatem fidei pertinentes, praua cuiusquè interpretatione violentur.n.*24. ex Leone PP.

Nulli fas est, sine sui periculo diuinas constitutiones, vel decreta Apostolica sedis temerare.n 25. ex Hil.Papa.

*Pro fidei deposito tuendo, eligendum quodlibet perpeti, quā incidere causas dānationis æterna.n.*28. ex Gelaſ. PP.

*Infirmum satis ostendit affectum, qui quod diligit, v3. fidei dogmata, non tuetur.n.*31. ex Hormisda.

*Hæresis radicitus euellenda, ne radix eius in posterum inueniatur.n.*32.& 40. ex Ioanne PP.

*Regiam viam ambulantes PP. vestigia insequendo, in insaniam non prorumpunt.n.*78. ex Steph.VI.

Membra ecclesia se non agnoscant, qui capiti ecclesia B. Petro, & successoribus reluctantur. n. 93.ex Gregor.VI.

*Humanis coniecturis, & argumentationibus antiqua fides frustra impetitur. n.*95. ex Leone IX.

*Non proprio libito, & adinuentione, Pontifices Rom. determinant, sed veterem, & antiquam fidem, ad credendum proponunt.n.*74.& 98. ex Greg. VII.& Adrian.II.

EX C.XIII. *Ecclesia Rom. tot sustinet argumenta veritatis, quot peruersitatum, & infidelitatis calumnia mouebuntur, n.*9. ex S.Hil.

*Melius, & optabilius est egregium bellum, pace impia, & à Deo distrabente. n.*11. ex Naz.

*Non permittendum, vt quod mali iure non possunt, temeritate, & desperatione perficiant.n.*12. ex S.Cypr.

Nullo modo cedendum impietati, & iis, qui minantur, non enim diabolus maior est Christo. *ibid.* ex eodem.

Non plus possunt, ad impugnandum fidem, humana conamina, quā ad protegendū valet diuina tutela, ibid. ex eod.

Non

Si

*Si quandoque haretici, Patres recipere simulant, tunc Rapsacem imitantur.n.*5. ex S.Martino Papa.

Qui Patres repudiant,bella contra hareticos confecta retractant, & munitiones secura pacis infirmant. num. 7. ex Prospero.

*Romana ecclesia nil aliud predicat quam qua PP.nostri toto orbe docuerunt. n.*3.ex S Leone.

Callidè Hæretici Patrum ambigua dicta assumunt, ne soli sentire videantur.n 8. ex Lerin.

Fides, & religio mutuo nexu iunguntur, vt ab illis deuiantes,nec sapientes,nec religiosi videantur.n. 10. ex Lact.

*Quod religio firmiter colit in templo fides primo praescribit esse colendum. n.*12. ex August.

Obsequium rationabile præsumptione non turbatur, nec temeritate confunditur, nec simulatione fucatur. num. 13. ex Chrysologo.

EX C.VII. *Quisquis diuinum, et profundum nosse cupit,ad Petri magisterium recurrat, etiamsi quod quaritur non ignoret.n.*6. ex S.Maximo.

In sede sua adhuc viuit S. Petrus, & praestat quærentibus fidei veritatem.n 6. ex eodem.

*Christus Dominus adest,præcipuè in suorum congregatione Pōtificū,& per eos sua opera exequitur n.*9.ex Leon.

*Romano Pontifici diuinitus datum, syncera ab adulterinis discernere, & Patrum fidem sine metu prædicare. n.*22. ex S.Basilio.

EX C.XVIII. *Vera & syncera fidei prædicatio,nunquam à Rom. Pontificibus omissa.n.*5. ex Agathone PP.

Facilius cedunt prauè opinantes,cum eorū errores Apostolico mucrone truncantur. n 8. ex Prosp.

Fidei controuersia decisionibus sopiuntur,ne sit infinita inquisitio, & ne Pagani, & haretici nobis insultent. nu. 12. ex Const. ad Donum Papam.

*Malum haresis sanandum celerius, ne execrandus morbus inserpat.n.*14.ex Concil.Carthag.

Citò repellendi haretici, ne putentur vera sentire, cum videntur in ecclesia perdurare.n 13. ex Possessore Episcop.

A Romana ecclesia fideles in dubijs certitudinem se habere

Præ-

Prudentia suas habet excubias, diligentiam, vigilātiā, ne mala suasione fallamur. n. 11. ex August.

EX C. XX. *Compendiosa via hæreses refutādi, ad Patrum antiquorum doctrinam recurrere, & Theodosij & Theodoræ Augustæ exemplis hæreticos cōfundere.* n. 6 & 7. ex Theophane oratione in S. Niceph.

Decem Patrū numero velut sacrato decalogo, Ephesina synodus Nestorium proscripsit. n. 9. ex Lerin.

Non concorditer loquerentur Patres, nisi ex notissima regula veritatis essent instructi. n. 12. ex August.

Qui PP. repudiant, ecclesiæ decorem tanquam Saræ pulcherrimæ aniculæ castitatem corrumpere tentant. num. 13. ex eodem.

Iidem contra muros antiquissimæ veritatis nouas machinas struunt. n. 13. ex eodem.

EX C. XXI. *Nullus repente, sed gradatim ad impietatem tendit.* n. 1. ex Chrys.

A Patrum abnegatione ad Apostolos, ab Apostolis vsque ad Dei abnegationem proceditur. n. 2. ex Doroth.

Spretis Patribus, ex artificio loquuntur homines, non Theologicè. n. 5. ex Basil.

Simulant impij Orthodoxiam, ne de falsitate argui possint. *ibidem.* ex eodem.

Iidem dissensiones excitant in Ecclesia, vt publicis malis eorum delicta tegantur. ibid. ex eodem.

Incondita epulæ, quas non condit Apicius hoc est, quæ nō de Patrum iure suffumant. nu. 8. ex Hierony.

EX C. XXII. *Canis catholicus prædicator, qui domesticos mulcet, externos latrando insectatur.* nu. 2. ex Nazianz.

Doctores ecclesiæ pij. vrgent, & stimulant Pastores, ne zizania crescant. n. 71. ex Chrys.

Laborem promittunt, nec patiūtur, vel temporalē Dominicæ messis videre fœditatem. n. 72. ex eodem.

Tempore manifestatur in doctrinis, quod latebat in gramine, & quod occultabatur in herba, apparet in spica. ibid. ex eodem.

EX C. XXIII. *Nouatores de vna via, obliquos multos tramites, & inextricabiles faciunt.* nu. 3. ex Tertull.

Bellum

Fasti-

Fastidientis stomachi est, diuersos magistros degustare. nu. 10. ex Seneca.

Absque ordine, & discretione addiscens non proficit, sed puluerem in ventum spargit. ibid ex Hug.

Non turpe est vinci ab eo quem vincere nefas, & ei submitti à quo possis edoceri. n 11. ex Velleio Paterc.

Cum præcipuis DD. in obscuris qq. sapere, vel errare, sapientissimum. n. 11. ex Bernard.

Propriã, non publicam doctrinam consignantes, à multiloquio in falsiloquium incidunt. n. 12. ex Aug.

Scripturæ S. non propria præsumptione, sed maiorum scriptis interpretandæ. n 13. ex Ruff.

Modestorum filiorum est, Patrum dicta, cum dissonare videntur, non reijcere sed conciliare. ibid. ex Nisseno.

Subdolè Hæretici, Patres, & Ecclesiæ DD. interpellant, quorum sententias ipsi culpant. n. 14. ex Athanas.

In consultatione moralium, vbi deficimus, maiori periculo peccatur. n. 17. ex Lact.

Communes sententias respuentes, nouas requirentes, de singularitate sapientiæ volunt gloriari. n. 20. ex Greg.

Post dicta veterum, quæ dici possunt, iam à melioribus ingenijs occupata. ibid. ex Hiero.

Pauperes, & humiles facilius Deo, & Sanctis eius credunt, quia minus terrenis sunt implicati. n. 24. ex Lact.

Mali Doctores sunt, qui auditorum voluptatibus se conformant. n. 25. ex Hieron.

Mundus magis audit Doctores, qui palpent, quàm qui vitia reprehendant. n. 25. ex Hier.

Veri Patres Reip. non quod suauius, sed quod honestius est, proponunt. ibid. ex Plutar.

Discordia in materia religionis, tranquillum statum Reip. turbat. n. 26. ex Nazianz.

Multitudo pace carēs, se ipsam dissensionibus impugnat. ibid ex S Thoma.

Nihil magis animos ciuium ligat, quam religio. ibidem. ex eodem.

Discordiarum materia, nouitas opinandi in materia religionis. ibid. ex Theodosio Imp.

Qui

Bonum DEPOSITVM cuſtodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis. 2.*Timot.* 1.



INDEX VLTIMVS RERVM NOTABILIVM.

Primus numerus caput, secundus capitis numeros signat.

Inter notab. in hoc elencho sunt; Primo quæstiones, quæ tractantur, & vsui esse possunt Scholasticis Lectoribus in lectura 1. partis q. 1. & 2. 2. q. 1. Summa Angelici Doctoris; Secundo præcipua dicta, per ordinem alphabeticum.

A

d lorum

falces

FINIS.

O Timothee, DEPOSITVM custodi: deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ.

S. Paulus 1. Tim. 6.



PRO SACRO DEPOSITO FIDEI CATHOLICAE, ET APOSTOLICAE.

Fideliter à Romanis Pontificibus cuſtodito Apologeticus.

AVTHORE FR. DOMINICO GRAVINA Ordinis Prædicatorum S. T. M.

Quid ſit Apoſtolicum Depoſitum:

CAPVT I.



B ipſa autem nominis notione exordium ſumentes, & huius ſeculi legibus, depoſitum explicamus interdum accipi pro actione, qua res aliqua alterius cuſtodiæ concreditur, & hæc mutuo conſenſu tradentis, & acceptantis perficitur; quandoq; pro ipſa re depoſitata, & cuſtodiæ demandata vſurpari. Primò modo definitur à Iuriſperitis quod ſit, *conſignatio qua aliquid cuſtodiēdum traditur, vt integrum reſtituatur*. Secundò quod ſit aliquid *alicui cuſtodiendum, vel alicuius fidei datum*, cuius cuſtodia illam exigit fidelitatem, vt nedum permutatio, ſed, & eiuſdem vſus inuito Domino, furti iudicio condemnetur; ad quam illicitam contrectatio-

nem cauendam, olim in ædibus ſacris cuſtodienda depoſita tradebantur: modo apud publicos Reipublicæ depoſitarios obſignatis teſtibus, vel ſyngraphis reponuntur.

2 Fidei ergò Catholicæ cōſignatio cunctas opes exuperantis (à cognitione illius promanantis, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei) vel ipſamet Catholica fides, aliàs & ſæpiſſime, regula ab Apoſtolo dicta eſt; depoſitum quoque, metaphora à Forenſibus deducta, rectiſsimè ab eodem nuncupata.

3 Hoc depoſitum, è ſinu Patris acceptum Chriſtus Dominus Apoſtolorum pectoribus primò conſignauit, ipſo dicente Ioannis c.15. *Omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis:* eosq; publicos depoſitarios inſtituit, *quos adlegerat* (ait Tertull. cap.22. lib. Præſcript.) *deſtinatos nationibus magiſtros*. Nec clanculo: ſed palam eos edocuit: quo argumento ipſum Annam Pontificem de ſuæ doctrinæ veritate conuicit, & ſi altiora, ne profanis, & vulgaribus committerentur, ſimilitudinum, & Parabolarum inuolucris abſconderet: eosq; quibus mandabat Euangelij adminiſtrationem, & ſi voluerit non paſsim, vel inconſideratè margaritas porcis, nec ſanctum canibus iactarent; tamen ſicut *idem Dominus palam edidit* (dicit Tertullianus de præſcrip. cap.26.) *ſine vlla ſignificatione alicuius taciti Sacramenti; ipſe quoque præcepit, ſi quid in tenebris, & in abſcondito audiſſent, in luce, & in tectis prædicarent*.

4 Publici ergo huius depoſiti fidei cuſtodes Apoſtoli eandem doctrinam ſeù fidei regulam nationibus euulgauerunt, *& quaſi in depoſitorium diues*, vt dicit Irenæus lib.3. cap.4. *pleniſſimè in Eccleſiam contulerunt omnia, quæ ſint veritatis*, Domini mandatum implentes,

tes, nihil abſcondentes, ideſt Dei verbum, & Chriſti Sacramentum palā prædicantes,& edocentes. Quamquam (vt ponderauit quoque idem Tertull. cap.26.) *& si quædam inter domeſticos (vt ita dixerim) diſſerebant* (nempe difficiliora,& ſenſus altiſsimos plebi non credendo, ſed Epiſcopis,) *non tamen ea fuiſſe credendum eſt, quæ aliam fidei regulam ſuperinducerent, diuerſam, & contrariam illi quam Catholicè in medium proferebant, vt alium Deum in Eccleſia dicerent, alium in hoſpitio*. Vnde Apoſtolus Paulus volens oſtendere Apoſtolicam praxim in legitima, & publica conſignatione depoſiti ait 2.Tim.2. *Quæ audiſti à me per multos teſtes hæc commenda fidelibus. Audiſti*, ait, non quæ inueniſti, nam fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti, quid eſt autem *per multos teſtes?* Non ea inquit, clam audiſti, neque in ſecreto; ſed palàm adſtantibus omnibus. Neque ait, dic & ipſe, ſed *commenda* veluti theſaurum regium, qui tuto loco deponitur.

5 Verùm Diabolus Dei æmulus ſub ipſis quoque Apoſtolorum temporibus exceptiones ad labefactandum depoſitum adinuenit, his dicentibus non integrum depoſitum Apoſtolis commiſſum, ignoraſſeq; plenitudinem prædicationis; illis, non omnem regulā omnibus edidiſſe: his integrum quidem depoſitum ſimpliciter, & plenè Eccleſiæ commendaſſe, ſed eam ſuo vitio aliter accepiſſe, quàm Apoſtoli proferebant & ab Apoſtolis deſciuiſſe; illis aliud depoſitum accepiſſe iactantibus occultiorem quandam ſapientiam in arcanis contentam, quæ Paulo in tertium Cęlum rapto mutire non licuit; vel Enthuſiaſmos introducendo, plura dixiſſe Spiritum ſanctum in ſuis hæreſiarchis

quàm Christum in Euangelio protulerit, immo & maiora, & meliora. Propterea Apostolus ad has hæreticorum exceptiones eradicandas ad Timotheum exclamauit dicens. *Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum qui habitat in nobis* 2.Tim.1. nomine autem depositi Euangelicam, & Apostolicam doctrinam interpretrantur PP. Græci, quibus Ambrosio tributus commentarius adstipulatur. Bonum autem depositum vocat, hoc est perfectum, non mutilum, sed integrum, neque vitiatum, vel supposititium, & à Timotheo expostulat in posterum similiter conseruandum integrũ, & immune ab omni impietate, & hæretica fraude. *Feruent enim cuncta latronibus* (ait Chrysostomus in eum locum) *densissimæ imminent tenebræ; insidiatur Diabolus, nescimus, qua hora, quo immineat tempore*. *Quomodo ergo hoc depositum custodire sufficimus? per Spiritum sanctum, hoc est, si spiritum habeamus apud nos manentem*, &c. quare sicut opus est gratia, & Spiritu sancto, vt vnusquisq; fidem custodiat, vt, & cætera Dei dona, *non enim*, ait idem Sanctus, *humanæ animæ, humanæq; virtutis est tàm multa deposita dignè posse seruare*; ita diuino Spiritu opus est apud Ecclesiam manente, pro illibata custodia depositi, tàm ad dicacitates hæreticorum comprimendas, & exceptiones friuolas, quàm fraudes ad depositum bonum inuertendum excogitatas. Vnde factum est, vt ex assistente Spiritu, à deposito semel tradito diligenter custodiendo, Ecclesia nec de leui culpa possit argui, vtpote directa à Spiritu, præcipuo Custode depositi, non sinente (ait Tertull. cap.28.) Spiritu sancto *Ecclesias aliter intelligere, aliter credere, quàm ipse per Apostolos prædicabat*, & arcente fures, & latrones, ne sub depositi authen-

authentici nomine adulterina, & priuata miscerentur.

6 Sed quoniam hoc eodem loco (Tertull. teste c.24.) antiqui Gnostici abutebantur ad secretiorem illam suã doctrinam de Cęlo lapsam, illa eructantem, quæ Paulo loqui non fas fuit, illi sunt reuincẽdi ex Tertull. hoc modo. *Si hoc se aliqua hæresis sequi affirmat, aut Paulus secreti proditi reus est, aut, & alius postea in Paradisum raptus ostendi debet, cui permissum sit eloqui, quæ Paulo mutire non licuit*; & postea cap.25. *quod hoc depositum est, tàm tacitum vt alterius doctrinæ deputetur? An illius denuntiationis de qua ait: Denuntiationem commendo apud te filiole Timothee: Item illius præcepti de quo ait: Denuntio tibi ante Deum, qui viuificat omnia, & Iesum Christum qui testificatus est sub Pontio Pilato bonam confessionem, vt custodias præceptum.* Quod autem præceptum ex supra, & infrascriptis intelligetur, *non nescio quid suboftendi hoc dicto de remotiori doctrina, sed potius inculcari de non admittenda alia præter eam, quam audierat ab ipso, & puto coram multis inquit testibus quos multos testes, si nolunt Ecclesiam intelligi, nihil interest quomodo nihil tacitum fuerit, quod sub multis testibus proferebatur.*

7 Per hæc eadem vestigia posteriores hæretici incesserunt, non contenti tradita semel, & accepta antiquitus credendi regula, & antiquo deposito, sed noua, ac noua comminiscẽdi in diem querunt (ex Lerinensi, cap.26. contra prophanas vocum nouit.) *semperq; aliquid aliud gestiunt religioni addere, mutare, detrahere, quasi non cæleste dogma sit quod semel reuelatum esse sufficiat; sed terrena institutio quæ aliter perfici nisi assidua emendatione, imò potius reprehensione non possit.* Illud, Apostolicum dictum quo omnes omnium hæresum sce-

leratæ nouitates veluti quodam spirituali gladio sæpe truncatæ semperq; truncandæ sunt. *O Timothee depositum custodi deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ , quam quidam promittentes circa fidem exciderunt*. Audiamus eundem magnum illum Lerinensem hæc verba , coronidis loco omnium eorum,quæ huc vsque dicta sunt, egregiè explicantem . *O Timothee, ò, exclamatio ista præscientiæ etiam pariter, & charitatis, præuidebat enim futuros, quos etiam prædolebat errores. Quis est hodie Timotheus, nisi, vel vniuersa Ecclesia, vel specialiter totum corpus Præpositorum, qui integram diuini cultus scientiam, vel habere ipsi debent, vel alijs infundere? Quid est depositum custodi? custodi, inquit, propter fures, propter inimicos, ne dormientibus hominibus superseminentur zizania super illud tritici bonũ semen, quod seminauerat filius hominis in agro suo. Depositum inquit custodi, quid est depositum, idest, quod tibi creditum est, non quod à te inuẽtum, quod accepisti, nõ quod excogitasti, rem non ingenij, sed doctrinæ, non vsurpationis priuatæ, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam non à te prolatam, in quo non Autor debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens. Depositum inquit custodi Catholicæ fidei talentum inuiolatum, illibatumq; conserua. Quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde. Nolo mihi pro alijs alia subijcias: nolo pro auro impudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta supponas, &c.* Hæc ille explicationem, & notionem Apostolici depositi tradens, & suppositij depositi naturam demostrans, vt legitimum, & verùm depositum sit illud, quod *Ecclesiæ creditum est & traditum doctrinam*

Aposto-

Apoſtolicam continens publica conſignatione, & traditione firmatum, ad Eccleſiæ proceres perductum per ſucceſſiones, cuius ſunt non Autores, vel Inſtitutores, ſed fideliſsimi cuſtodes. Suppoſitium verò depoſitum, res ſit poſterius inuenta, excogitata ab ingeniolis inflatis, priuatè vſurpatum à Nouatoribus, velut Authoribus, Inſtitutoribus, ductoribus primo prolata; pro vero auro, veluti plumbum, & æramenta, ſimilitudinem auri præferens fraudulenter ſuppoſita, & pro verbo Dei venditata. Quod eſt breuiter dicere, quæ de fide ſunt velut adiaphora, & vt ad fidem non pertinentia prædicare, quæ verò de fide non ſunt tanquam articulos fidei ſub pœna perfidiæ in ſacrorum digmatum numero velle concludere.



CAPVT II.

Hoc depoſitum regula fidei aliàs appellatur, & critirion quo finiendarum quæſtionum, quòd ſcriptum, & non ſcriptum verbum comprehendit.

1 IDem verò depoſitum regulæ nomine appellatum, ſacro teſtante eloquio didicimus, ſecunda namq; Corint. 10. prædicationem Apoſtolicam *regulam noſtram* Apoſtolus vocat; in illa permanendum (Philip. 3.) cum aliter ſapimus inculcat, *& ſi quid aliter ſapitis* in rebus ſcilicet cõtrouerſis, &c. *& hoc Deus reuelabit*, ideſt quod non rectè ſapitis, exponit Anſelmus, vel quicumque ſic author eorum commentariorum, *qui enim* (ſubdit) *in pace catholica permanet, ſi quid aliter ſapit quàm oportet, humili Deus reuelabit, ſi illud ſuperbus defendit, Deus abÿciet: Veruntamen* ſubdit Apoſtolus *ad quod peruenimus, vt idem ſapiamus* (nempe in credendo ex Anſelmo) *in eadem permaneamus regula*, hoc eſt ex Chryſoſtomo, *eadem fide, eodem præſcripto*.

2 Eſt autem regulæ proprium ex Chryſoſtomo in eodem loco, *quæ nec addi ſibi quicquam, nec demi ſuſtinet, alioquin hoc ipſum quod regulæ eſt amittit, & perdit;* Eiuſdem quoque regulæ eſſentialis proprietas, vt ſit prima in ſuo genere, vt non per aliud meſuretur, ſed alia per ipſam menſurentur: ex quo infallibilitatem obti-

obtinet, cum non per aliam oporteat regulari, quæ si regulanda esset, vel ei quicquam adderetur, vel minueretur, à regulæ nomine, ne dum ratione deficeret. Hinc ab hac regula deuiantes seductos à Pseudoapostolis Galatas corrigit, vt aduertit Tertull. sup. cap. 27. dicens. *In Christo Iesu non valet, neque circumcisio, neque præputium, sed noua creatura, & quicumque hanc regulam secuti fuerint, &c.* Gal. 1. & diuersa, vel aduersa sentientes, hoc est regulæ addentes, vel minuentes, anathematis mucrone percutiens inquit. *Sed licet nos, aut Angelus de Cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus, anathema sit.* Hoc est ex Lerinensi cap. 12. *etiam si Petrus, etiam si Andreas, etiam si Ioannes, etiam si postremo omnis Apostolorum chorus euangelizet vobis, præterquam euangelizauimus vobis, anathema sit: tremenda districtio propter adserendam primæ fidei tenacitatem, nec sibi, nec cæteris Apostolis pepercisse.* Hæc ille. Vide prudentiam Apostolicam clamat Chrysostomus, ad Galat. Hom. 1. *ne quis diceret illum sua ipsius ostentare dogmata, etiam seipsum deuouit. Cæterum* subdit Chrysost. *quoniam ad authoritatem confugiebant, & vbiq; celebrabant Iacobum, & Ioannem, hac de causa Angelorum meminit. Ne mihi (inquit) Iacobum narres, & Ioannem; etiam si quis Angelorum è Cœlis descenderit corrumpens Euangelij prædicationem, anathema sit. Neque dixit, si contraria annunciauerint, aut totum Euangelium subuerterint. Verùm si vel Paulum euangelizauerint præter Euangelium quod accepistis, etiam si quiduis labefactauerint, anathema sit.* Hæc eleganter Chrysost. addens: *per hoc quod euangelizans, & Angelos pronuntiauit anathema, omnem dignitatem comprahendit, per*

hoc

hoc verò quod seipsum quoque pronunciat anathema, omnem familiaritatem, ac germanitatem complexus est; quasi diceret (subdit Chrysostom.) *Ne mihi dixeris (inquit) collegæ tui, & socij Apostolorum hoc dicunt, nec mihi parco, si diuersa prædicem. Neque verò Paulus hæc dicit quod damnaret Apostolos tanquam euangelicæ prædicationis præuaricatores, absit, ait enim siue nos, siue illi sic prædicamus* (quæ est conditionalis particula non ponens in esse) *sed vt ostenderet personarum dignitatem non recipi,* (vel familiaritatem, ac germanitatem) *quoties expenditur veritas,* & ad denotandum, quod, vt dixit Lerinens. *Etiam si fiat, quod nō potest fieri, quis quis ille traditam semel fidem mutare tentauerit diuersa, vel aduersa inducendo, anathema sit.*

3 Ipse quoque Paulus vt suo præiret exemplo, cum non ab homine, neque per hominem accepisset Euangelium, ne in vacuum curreret, & orbi quis arbitraretur aliam superinductam regulæ fidei prædicationem, Hierosolymam ascendit ad cognoscendos, & consulendos Apostolos, ne non secundum illos credidisse, & non secundum illos euangelizasse crederetur. Denique vt cum Authoribus contulit, & conuenit de regula fidei dexteras miscuere, & exinde officia prædicandi distinxerunt, vt illi, nempe Petro, ad Iudæos, Paulo ad Gentes & nationes, vt eleganter Tertull. prosequitur eodem lib. cap. 23.

4 Sed quæ sit regula fidei adæquata operosius inquirendum est. Lutherani, & Caluiniani solam, eamq; integram, & adæquatam regulam fidei, dicunt esse verbum Dei, quod in scripturis legitur. At præter Dei verbum scriptum, tradito inhærendum esse, scriptum quoque verbum quod ex tradito manauit, apertè demostrat.

mostrat. *Tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram*, ait Apostolus 2.Thes.2. Alij symbolum Apostolorum cum scriptura coniunctum regulam fidei integram esse asseuerant: Sic Lutherus, & Georgius Cassander. At Apostolo contradicunt 2.Corint.10. *spem* ait *habentes crescentis fidei vestræ, in vobis magnificari secundùm regulam fidei nostram in abundantiam, etiam in illa, quæ vltra vos sunt, euangelizare, non in aliena regula in ijs quæ præparata sunt gloriari*, quæ verba Clemens Alex.l.6. strom. sic interpètratur, *docet cogitationem quæ est perfectio fidei abundare vltra catechesim, conuenienter maiestati doctrinæ Domini, & regulæ ecclesiasticæ*. Certum est autem in catechesi Symbolum tradi, & vltra hanc dicit Apostolus regulam prædicationis abundare, non est ergo adæquata fidei regula symbolum solùm scripturæ adiunctum, cum regula catechesim excedat.

5 Adæquata ergo regula, seù critirion quo fit Iudicium, est euangelica, & Apostolica prædicatio, cuius quædam ait S. Dionysius lib. de eccles. Hierarch. cap.1. *in Sanctis, ac Theologicis commendata sunt libris, quædam verò sacratiori, & purgatiore, & propinqua quodammodo cælestis Hierarchiæ doctrinæ, Sanctos Duces Præceptores nostros didicisse, & ex animo in animum medio intercurrente verbo sine litteris transfudisse*, quæ etiam idem Sanctus, *non scriptas institutiones vocat*. Hæc ergo euangelizatio, seù prædicatio scriptũ & non scriptum verbum complectens est depositum, & regula adęquata fidei, seù critirion, quo, vt quicunque ab ista regula discedat, Apostolicę doctrinę, & ipsi verbo scripto aduersarius esse manifestè deprehendatur.

C A-

CAPVT III.

Quibus vijs, & regulis indagari possint sacræ traditiones, in deposito consignatæ.

1 VErùm cum varia scrupulositatis videamus obijci incitamenta ab aduersarijs veritatis, qui traditionem (inquiunt) reciperent, & Apostolico deposito, & regulę fidei se, & sua regulanda subijcerent, si de vera eis (aiũt) traditione constaret; vię, & regulę tradendę sunt, quibus certas à nothis traditionibus secernamus.

2 Prima est. Si ex originalibus Apostolicis, hoc est, quę ab Apostolis fundatę sunt Ecclesijs, & pręsertim Ecclesia Romana habeamus aliqua dogmata, vel consuetudines, ex traditione descendere dephęndimus. Hęc ponitur à Tertull. de Pręscrip. cap. 21. his verbis. *Quid autem prædicauerint, idest quid illis Christus reuelauerit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tùm viua (quod aiunt) voce, quàm per epistolas postea*, & subdit ibidem, *si hæc ita sint, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis, matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenẽtem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, & Christus à Deo suscepit. Reliquam verò omnem doctrinam de menda-*

tio præiudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei. Deſignans autem cap.36. Eccleſias Apoſtolicas, enumerat Corinthum, Theſſalonicam, Epheſum, & ſuper omnes Romam, ſubdens: *ſtatu felix Eccleſia cui totam doctrinam cum ſanguine ſuo profuderunt*, nempe Petrus, & Paulus.

2 Ex ſola verò Romana Eccleſia, quando ex aliijs non poſſemus deprehendere quid ceteræ ſentiant, efficax argumentum ſumi poſſe, eleganter demoſtrauit Auguſtinus dicens Iuliano Pelagiano libro primo contra eundem. *Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare, cui Eccleſia Præſidentem B. Innocentium ſi audire voluiſſes, iam tunc periculoſam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes*. Cuius rationem reddens ſubdit. *Quid enim potuit vir ille ſanctus Africanis reſpondere Concilijs, niſi quod antiquitus Apoſtolica* Sedes, & *Romana cum cæteris perſeueranter tenet Eccleſijs?* Ex vna ergo Romana Eccleſia (cum in ea communicent Eccleſię cęterę, & cum quibus ipſa quoque communicat) quid Apoſtoli prędicarint habetur, cùm Romana Eccleſia vetuſtam fidem tradat, eamq; numero quam per totum orbem Apoſtoli prędicarunt, ipſiq; Principes terrę Petrus, & Paulus tradiderunt.

3 Hanc viam tradidit quoque Irenęus lib.4. cap.43. *Quapropter eis qui in Eccleſia ſunt præsbyteris obaudire oportet, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, vt oſtendimus, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum ſecundum Patris placitum acceperunt*. Et lib.3. cap.3. per traditionem Eccleſiarum quas fundarunt

darunt

darunt Apoſtoli, maximè Petrus, & Paulus *confundi eos, qui præterquam oportet colligunt*; & addit de Romana Eccleſia. *Ad hanc propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem Ecclesiam conuenire, hoc eſt eos, qui vndiq; ſunt fideles, in qua ſemper ab ijs, qui ſunt vndiq; conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio*. Quouis ergo tempore Eccleſia Romana aliquod dogma definiuit, videlicet numerum librorum canonicorum, ſeptenarium numerum ſacramentorum, & huiuſmodi, quod ex ſcripturis deſumi non potuit, Apoſtolicę id traditioni aſcribendum.

4 Similiter cū aliquid decreuit, quod pręter Deū nullus poteſt ſtatuere, vt quod diſpenſare poſſit in votis vel iuramentis, &c. traditione id acceptum fateri neceſſe eſt: cum enim nihil ſub fide cadat, niſi quod à Deo reuelatum eſt; quod autem reuelatum eſt in ſcripturis, & viua voce Apoſtolorum contineatur, ſi ſcriptum non eſt, in viua voce eſt; alioquin ſi nec in viua voce eſſet, ſub fide non eſſet. Abſit autem, vt dicamus verbum hominum pro verbo Dei obtrudi potuiſſe, non enim accepiſſet chariſma veritatis, quod cum acceperit, decepi non potuit. Cumque Eccleſiarum conſenſus, omnium pręcipuè, non ſit humanę ſapientię opus, diuinam originem dogmatis arguit, nec enim eſſe poteſt, vt tot Eccleſię errauerint, (vt ponderauit quoque Tertull. cap.28.) & non ſint inductæ à Spiritu-ſancto in veritatem; & prædicationem, & depoſitum ipſis traditum fideliter non cuſtodierint, diuerſam, vel contrariam fidem inducendo.

4 Secunda via agnoſcendę traditionis eſt, quam tradit S. Auguſtinus epiſt.118. *quod vniuersa tenet Eccle-*

sia

ſta nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur. Regula hęc rationabiliter conſtituta eſt, nam doctrina Apoſtolica, eſt Catholica, & vniuerſalis: vnde reſpicit vniuerſalitatem temporum, locorum, & perſonarum, cuius doctrinę Apoſtolicę veſtigia ſunt, Antiquitas, quę tempora; Vniuerſitas, quæ loca; Conſenſio, quę Apoſtolicorum virorum ſenſum reſpicit; vnde illud Catholicum à Lerinenſi dicitur (cap. 3. contra prof. vocum nouit.) *Quod ſemper, quod vbiq; quod ab omnibus creditum eſt*. Itaq; ſi dogmatis alicuius prędicationis initium non reperiamus; ſed retroactis tẽporibus per ſingula ſecula excurrẽdo vſque ad Apoſtolos, reperimus à viris Apoſtolicis factam eſſe mentionem, & ſemper retentum eſſe, ad traditionis Apoſtolicæ depoſitum, illud dogma pertinebit. Vnde Tertull. 4. contra Marcionem cap. 5. ſic dixit. *Id verius quod prius, id prius quod ab initio*, & de pręſcriptionibus, cap. 31. *illud*, ait *eſſe Dominicum, & verùm, quod prius ſit traditum, id autem extraneum, & falſum, quod ſit poſterius immiſſum*. & S. Ignatius ad Philippenſes; *relinquentes* ait *vanitates multorum, & falſas doctrinas, ad illud quod traditum eſt nobis à principio verbum reuertamur*.

5 Rurſus, ſi alicuius dogmatis doctrina per vniuerſam Eccleſiam prædicatur, non poteſt niſi de Apoſtolica doctrina deſcendere. Vnde Tertull. lib. de pręſcriptionibus cap. 29. ait. *Cæterum quod apud multos, vnum inuenitur, non eſt erratum, ſed traditum*, & optimam ibidem affert rationem, *& quid veriſimile eſt vt tot, ac tantæq; Eccleſiæ, in vnam fidem errauerint? nullus inter multos euentus eſt vnus, exitus, variaſſe* *debue-*

debuerat error doctrina Ecclesiarum.

6 Si constantissimè secundum suorum temporum successionem Patres aliquod tanquam dogma tradiderunt, oppositum refutando, ad depositum Apostolicum pertinere dicendum est. Vnde Sanctus Irenæus lib. 3. cap. 3. sic dicit. *Traditionem Apostolorum ergo in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire, & habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesijs*, per successiones eorum, *vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt quale ab his*, nempè hæreticis, *deliratur*. Ergo quando ex antiquitate, ex vniuersitate, ex consensione, aliquod dogma fulciri cernimus, iam tuto ex his regulis in Apostolico deposito reponi potest, & illam doctrinam tuto Pontifex summus definire, & sua authoritate ad credendum proponere.

7 Regulam secundam Sancti Augustini etiam Aduersarij aliqui expresse acceptant, vt Fieldus lib. 4. de Ecclesia cap. 21. pag. 242. cuius capitis argumentum est, *de regulis quibus vera traditiones à falsis dignosci poterunt*, & Vuhitgiftus Superintendens Cantuariensis in defensione sua contra Cartuurightum pag. 351. hanc regulam tamquam certam Apostolicę doctrinæ notam vrget dicens. *Quandoquidem hæc nomina, Metropolitanus, Archiepiscopus, &c. tam sunt antiqua, vt origo, & initium eorum (quantum ego quidem legendo assequi potuerim) inueniri nequeat, existimandum est illa ab Apostolis manasse. Hanc etiam regulam, vt memini, statuit Augustinus epistola* 118. & *pag.* 352. (ait idem) *recepta est ab Authoribus nostri temporis*, Zuuinglio, Gualtero, *Caluino, & certè neminem*

minem puto doctum ab illis diſſentire. Non minus ergo cætera dogmata, fideiq́; capita controuerſa, quæ initio carent, &c. in ſcrinio Apoſtolico collocanda, quàm nomina, Metropolitanus, Archiepiſcopus, &c. quæ propter res Eccleſiæ vſurpandas retinere voluerunt fures iniqui, & latrones Superintendentes, & ad Apoſtolicum depoſitum pertinere, rectiſſimè ex noſtra veritate inſtructi docuerunt. Conſequutionem iſtam videns Cartuuightus apud eundem pag. 352. initio, & 103. curauit hanc regulam, ſe tantum Iudice, abijcere pronunciando quod, *per illam aditus patet ad omnem Papiſticam doctrinam*, & iterum. *Appello iuditium omnium, ſi hoc Auguſtini dictum probare, non ſit Papiſmum poſtliminio reducere*. Sed dum omnia dogmata, quæ vocat Papiſtica, ex Auguſtini regula ad Apoſtolos referuntur, ſuo ore velit nolit Aduerſarius, ad depoſitum Apoſtolicum pertinere ſatis, ſuperq́; euincitur.

8 Hæc autem omnia ſimul iuncta, *antiquitas*, *vniuerſitas*, *conſenſio*, cum mirifico nexu inter ſe connectuntur traditionẽ oſtendunt; vnde cũ præſentis doctrinæ vniuerſitas, & mirificus conſenſus deprehenditur, tunc tanquam effectus à cauſa originem ducit, non ſecus ac flumina à mari, riui à fonte. Vnde ſicut riui quando cum ſua origine non continuantur decreſcunt, ac deficiunt, ita præſentis Eccleſię vniuerſitas, & conſenſio, ſi non continuaretur cum ſuo primario fonte deficeret. Quare Sanctus Cyprianus epiſtola ad Pompeium ad cognoſcendũ an aliqua conſuetudo ex antiquitate profluat, hoc exemplo riui vſus eſt. *Si canalis* inquit *aquam ducens, qui copioſè prius, & largiter profluebat ſubitò deficiat, nonnè ad fontem pergitur*,

tur, vt illic defectionis ratio noscatur, vtrumne arescentibus venis in capite vnda siccauerit, an verò integrè inde, & plenè procurrens in medio itinere destiterit, vt si vitio interrupti, aut bibuli canalis effectum est, quominus aqua continua perseueranter, ac iugiter flueret, refecto ac confirmato canali, ad vsum, atque ad potum Ciuitatis aqua collecta, eadem vbertate, atque integritate repræsentetur, qua de fonte proficiscitur? Quod, & nunc facere oportet Dei sacerdotes diuina præcepta seruantes, vt si in aliquo nutauerit, atque vacillauerit veritas, ad originem Dominicam, & Euangelicam, & Apostolicam traditionem reuertamur.

9 Respectu tamen nostri non semper in quocumque dogmate, vel traditione Ecclesiastica, Vniuersitate, & consensione firmata, caput, vel principium innotescit, nec primæ ætatis habere possumus positiua testimonia, vt positiuè antiquitatis testimonio probari possint: nihilominus cum dogmatis initium non legamus in Concilijs posterorum; sed semper cum de illo per præcedentes ætates, tanquam de re non tunc recenter instituta, sed omnium hominum memoria antiquiore facta sit mentio; negatiuè, hoc est, ex non probatione initij alicuius, sufficienter arguitur, non aliunde, quàm ex antiqua traditione descendere; quæ licet non appareat ex rationabili Patrum silentio, in sua natura (cum ab illa descendat) suo fonti nempe antiquitati coniungitur, non secus ac Nilus, qui necessario à suo capite originatur, & tamen nobis continuatio ista non innotescit: de quo Lucanus, cecinit.

Nullaq; non ætas voluit conferre futuris
Notitiam, sed vincit adhuc natura latendi,

Hac

Hac via multa ad ſacrum depoſitum pertinere definiunt Eccleſia, nempe ex non probatione initij, vt etiam fatentibus Aduerſarijs, vt ſupra viſum eſt, aliquod dogma ad Apoſtolicam traditionem referri debere arguamus.

CAPVT IV.

Antiquitas traditiones atteſtatur, & dogmata ad depoſitum pertinere.


1 CVM ergo depoſitum Apoſtolicum ijs conſignatum ſit (ex Tertulliano cap. 20. de præſcrip.) quibus plenitudo prædicationis, & omnis regula fidei euulgandę in nationes commiſſa eſt, vt per eos ad poſteros per intermedias intercurrentes ætates perueniret, merito dogma aliquod à plenitudine Apoſtolicæ prædicationis deſcendere depræhenditur, quod antiquitatis teſtimoniis comprobatur. *Veneranda* (ait Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 29.) *ſunt vetuſta dogmata, quod ob antiquitatem, seù quandam caniciem habeant aliquod reuerendum*. Vnde Cęleſtinus Papa aduerſus Neſtoriũ curabat maximè ne cani à proceribus Eccleſiæ euellerentur, vt vetuſtas, & antiquitas qua dogmata Apoſtolica depræhenduntur, innoteſceret. *Deſinat*, aiebat, *nouitas inceſſere vetuſtatem, deſinat Eccleſiarum quie-*

tem inquietudo turbare. Conantur sæpè naufragio mergere, quos intra portum stantes statio facit fida securos. Quod testimoniū pro vetustate à Sācto prolatum commendauit S. Prosper dicens, lib. contra Collatorem, cap. 41. *Sancto manifestauit eloquio euidenter pronuncians, quantum sibi istius præsumptionis nouitas displiceret, qua auderent quidam aduersus antiquos magistros insolenter insurgere, & indisciplinata calumnia prædicationi veritatis obstrepere.* Hoc est enim mandatum, scripsit dilectus Ioannes 2. epist. 1. *vt quemadmodum audistis ab initio, hoc permaneat in vobis*, & Iudas pro antiquitate eiusdem fidei supercertandum rogat dicens, *deprecans supercertare semel sanctis fidei.* Ad hoc ipsum Hierem. fideles tunc etiam sui temporis prouocabat cap. 6. *state super vias vestras, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea.*

2 Etiam in scientijs humanitùs partis, & proprio ingenio comparatis, conclusiones quę nouiter educuntur è principijs, scientiam non pariunt, quousque ad principia quæ vetustiora sunt, non reducantur. In Philosophorum quoque Academijs spurium, & adulterinum dogma reputabitur, quod antiquitatis præsidio non fulcitur, vnde Eusebius quidam Philosophus (referente Stobęo ser. 4.) dicere solebat. *Homines multa potius scire, quàm vera dicere, studio teneri proinde multos, dum contrarias veteribus opiniones probant, veri cognitionem de rebus maximè necessarijs efficere dubiam.* Ad eorum quoque superstitionem tuendam Ethnici antiquitatis suffragium assumebant, à scripturis nostris suffurantes. Vnde Socrates ad Nioclem. *In his quæ ad Deorum cultum pertinent, ita facito, quemadmo-*

admodum est à maioribus præceptum: nouitatem semper abhorruerunt sapientes. In ipsis quoque subsellijs cum de possidenda hęreditate controuertitur, illi res adiudicatur qui antiquitatis iure prior depręhēditur lib. 3. Cod. de seruit. & aqua. l. si quis diuturno vsu, §. de acquir. possess.

3 In antiquitate gradum fixit Apostolus, cùm (vt dicit Tertullianus 4. contra Marcionem cap. 2.) *authoritatem antecessorum, & fidei, & prædicationi suæ optauit*, propterea Hierosolymam ascendit ad cognoscendos Apostolos, & consultandos, ne fortè in vacuum cucurrisset. Ex Antiquę fidei regula Galatarum nouellam perfidiam idem Apostolus confutabat cum diceret cap. 1. *miror quod sic cito transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium*, eosq; deprǽhendit adulteros monetæ fabricatores, quia antiquitatis charactere relicto nouum characterem fabricarent; vel quia de antiquitatis vero numismate pauca corroserant, *duo solummodo*, vt aduertit Chrysostomus, *circumcisionem, & dierum obseruationes* innouantes, & ob hoc nouum Euangelium, vetere relicto, rectè conquestus est Apostolus, *& vt ostenderet*, (vt subdit Chysostomus) *quòd pusillum quidam perperam admixtum totum corrumpit, dixit subuerti Euangelium. Quemadmodum enim in moneta regia, qui paulum aliquid amputarit de expressa imagine totum numisma reddit adulterinum: ita quisque sanæ fidei vel minimam particulam subuerterit, in totum corrumpit, ab hoc initio semper ad deteriora procedens*. Et quasi pręuidens Adiaphoristas nostri temporis, qui vetusta Apostolorum dogmata, de sanctorum intercesione, cœlibatu, &c. ad indifferentia pertinere dog-



matizant, & non ad fidei fundamenta, & articulos (quos vocant) Capitales, sic eos euincit. *Vbi sunt igitur qui nos, vt contentiosos damnant, eo quod cum hæreticis habemus dissidium, dictitantq; nullum esse discrimen inter nos, & illos, sed ex principatus ambitu proficisci discordiam? audiant quid dicit Paulus, nimirum illos subuertisse Euangelium qui paululum quoddam rerum nouarum inuexerant. Isti verò nempe hæretici* quales etiam sunt Nouatores, & Lutherani, *non simpliciter pusillum quiddam innouant, nam qui pusillum qui filium Dei prædicant creaturam, &c.* quod etiam Neariani nostri temporis renouarunt: Vnde ex tali nouitate permotus Apostolus anathematis fulmine percusit antiquitatem relinquentes, & nouitias paraturas inducentes; *sed licet nos aut Angelus de Cœlo Euangelizauerit vobis præterquam quod Euangelizatum est, anathema sit.*

4 Sed cum pari nisu Hæreticus cum catholico certet de dogmate, vnoquoque contendente se Apostolicam fidem tueri, cui fides adiudicabitur in pari concertationis gradu, nisi per antiquitatis funem res deducatur? scilicet vt cum depræhensum fuerit pro dogmate controuerso antiquitatem suffragari, ad depositum pertinere cognoscatur. *Quid enim* dicebat S. Irenæus lib.3. cap.4. *& si cui de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oportet in antiquissimas recurrere Ecclesias in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum, & liquidum est?* Exempli gratia vt cum Tertulliano discurramus lib.4. contra Marcionem cap.4. *Si ego meum dico verum (Euangelium) Marcion suum: ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum, quis inter nos determina-*

minabit nisi temporis ratio, ei præscribens authoritatem quod antiquius reperietur, & ei præiudicans vitiationem quod posterius reuincetur? in quantum enim falsum est corruptio veri, in tantùm præcedat necesse est veritas falsum. Sic, & de quo vis dogmate controuerso de fide, operibus, iustificatione, sacrificio, &c. an plumbum, an aurum sint, hoc est ad Apostolicum depositum pertineant nec ne, temporis ratio præscripta erit testis, & iudex.

5 Per hanc lineam antiquitatis incedentes quot quot hæresum monstra insurrexerunt eliminata sunt, & de posteritate proscripta: nam sicut Catholici dogmatis initium, aut à nobis nouatæ fidei nunquam potuerunt rebelles ostendere; sic orthodoxi nouellæ perfidiæ caput, & originem demonstrarunt, & non ad aurum, & argentum; sed ad æramenta pertinere comprobarunt. Certè non potest esse (vt scripsit Tertull. de præscrip. cap. 38.) vt ante sit hæresis quam vera doctrina, sed in omnibus veritas imaginem antecedit, postremo similitudo succedit. Cæterum satis ineptum est vt prior in doctrina hæresis habeatur, vel quoniam ipsa est, quæ futuras hæreses prænunciauit. Etiam acutè idem inuehitur in Marcionem. *Si Marcion nouum testamentum à veteri separauit*, sicut quilibet hæreticus se separat ab orthodoxa doctrina, *posterior est eo quod separauit, quia separare non posset nisi quod vnitum fuit, vnitum primo antequam separaretur, postea factum separatum. Similiter prior res est passione, & materia æmulatione* 4. cõtra Marcion c. 4. cumque omnis hæresis ex passione, & æmulatione procedat, prius est id circa quod, vel contra quod versatur passio, & æmulatio, id autem est catholica doctrina, quæ semper antiquior demõstratur.

6 Nulla verò hęresis (dicit Lerinens. cap. 34.) *nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore ebulliuit. Quis vnquam hæreses instituit, nisi qui se prius ab Ecclesia Catholicæ vniuersitatis, & antiquitatis consensione discreuit? quod ita esse luce clarius exempla demonstrant. Quis enim vnquam ante prophanum illum Pelagium, tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrij, vt ad hoc in bonis rebus per actus singulos adiuuandum necessariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigiosum discipulum eius Cælestium reatu præuaricationis Adæ omne genus humanum negauit astrictum? Quis ante sacrilegum Arium Trinitatis vnitatē discindere; Quis ante sceleratum Sabellium vnitatis Trinitatem confundere ausus est? Quis ante crudelissimum Nouatianum, crudelem Deum dixit, eo quod nollet mortem morientis, quàm vt reuertatur, & viuat? Quis ante Magum Simonem Apostolica districtione percussum, à quo verus ille turpitudinum gurges vsque in nouissimum Priscillianum continua, & occulta successione manauit, autorem malorum idest scelerum impietatum flagitiorumq; nostrorum ausus est dicere creatorem Deum? Quippe quem asserit talem hominum manibus ipsum suis creare naturam, quæ proprio quodam motu, & necessariæ cuiusdam voluntatis impulsu, nihil aliud possit, nihil aliud velit, nisi peccare.* Innumera sunt alia quæ breuitatis studio prætermittimus, &c. vt de imputatiua iustitia, de Canalistica in Cœna manducatione ab helluonibus adinuenta.

7 Tanti ponderis huius Sancti verba existimata sunt etiam ab aduersarijs, vt ea contra alios Symmistas vrgeant. Ita Sarauia in defensione tractatus de diuersis ministrorum gradibus, cap. 23. Iuellus respons. ad Hardingum. Frustra verò & inaniter laborarunt No-

uato-

uatores noſtra dogmata de nouitate taxare? Et quomodo veriſimile erat Eccleſiam loco antiquæ fidei noua dogmata, momento non leuia, numero non pauciora, creditu difficiliora, ſenſui, & carni non ablandientia confingere potuiſſe, & nec domeſticos, nec extraneos, nec noſtros, nec aduerſarios reluctaſſe? qui proculdubio reluctaſſent, ſi vel ortum, vel initium reperiſſent recentiſsimi dogmatis: vnde calumnia exiſtimatur, exempli cauſa, quod dicunt aduerſarij, *Honorium III.* qui ſedit 1220. *Eucharistiam idolatricè adorandam propoſuiſſe*; nam & Foxus non ignobilis hæreſum confarcinator in actis, & monumentis pag. 846. deſperans authorem eius dogmatis non poſſe reperire, tandem dixit. *Si Honorius hanc Euchariſtiæ adorationem non introduxerit, ſe alium eius authorem non inuenire.* Ipſiq́; met Centuriatores Argi oculos aſſumentes ad næuos, & ſtipulas (vt dicebant) inueniendas, videntes ſingulorum penè capita controuerſorum hodie dogmatum à primis ſęculis vſque ad nos, antiquitatis teſtimonio roborata, non auſi ſunt ea appellare recentia, nec initium deſignarunt, niſi quod venerandos antiquitatis canos ſugillarunt, vel earum authoritatem eludendo, vel aſſerta & tradita ab eis dogmata tamquam næuos & paleas, vel paradoxa æſtimando: cum tamen cogitare debuiſſent, ea antiquitatis, & Sanctorum Patrum teſtimonia aptiſsima eſſe (vt in ſimili confutat, S. Auguſtinus Pelagianum Iulianum) qui alieni ab omni ſtudio partium antequam nos, & illi naſceremur ſuffragia tulerunt, & pro nobis pronunciarunt.

8 Illud leuius aura quod prætexunt aduerſarij (Sancti Vincentij regula exterriti) non eſſe neceſſe cum aduer-

aduerſum nos diſputant, vt de nouitate conuincant, initium dogmatis prædicati oſtendere, quando (inquiunt) crines non ſubitò, ſed imperceptibiliter caneſcunt: rimæq́; paruulę in ędificijs vix queunt diſcerni, & paulatim terminant in ruinas ædificiorum. Sic ait Vuitakerus ratione 7. contra Campian. & Gabriel Pouelus in conſiderat. pag. 102. Sed valdè diſſimilis noſtro propoſito, ineptaq́; ſimilitudo allata caniciei, & rimarum exemplum, nam canicies, vt ſit ſuis numeris abſoluta, non vnum, vel alterum capillum album expoſcit; nec vna vel altera rima ædificia ſubuertit. At in materia religionis, vt ſcripſit Gregorius Nazianz. de fide ad Ruff. *vno verbo, ac ſi veneni gutta ſimplex fides dominica, & exinde Apoſtolicæ traditionis inficitur?* Et vel leuiſſima rimula ædificium rectæ fidei corruit; vnde in doctrina religionis nec vnam ſyllabam Patres immutari paſſi ſunt; vnde & in Concilio Ariminenſi mutatione facta ab impijs vocis illius Homouſion, in Hemiuſion, cui cum ſine dolo ab orthodoxis ſubſcriptum eſſet, ac proinde hęreticis ouantibus aduerſus illos eſſet inclamatum, detecta fraude ſunt eierati, & anathematizati, litterula illa abolita, & depoſitum vetus non paſſi ſunt nec in vno apice immutari. Etiam vt ſcribit Epiphanius epiſt. ad Ioannē Epiſcopum Hier. contra Origenem, *propter vnum verbum, aut duo quæ contraria fidei ſunt, multæ hæreſes abiectæ ſunt ab Eccleſia*. Sed ſi ipſi oculos lincęos habere iactant, proferant mutatiunculæ etiam imperceptibilis initium & authores. Cumque proferre non poſſint, & è contra totius doctrinę Luthericę initium à Luthero, & Caluino aſsignetur, dum vocant ſe Apoſtolos, reformatores, Luciferos orbis, &c. reſtat manifeſtè

nifestè probatum, vt põderauit Lerinen. cap. 34. *apud omnes hæreses quasi solemne esse ac legitimum, vt semper profanis nouitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidiant: & per oppositiones falsi nominis scientiæ à fide naufragent. Contra vero Catholicorum hoc ferè proprium deposita Sanctorum Patrum, & commißa seruare: & sicut dixit Apostolus. Si quis annunciauerit præterquam quod acceptum est, anathemate feriatur.* Hæc iste elegantissimus scriptor, vetustatis, & antiquitatis monimenta confirmans.

9 Sed nouitas nobis obiecta nunquam probata, cum ipsorum nouitate certet. Si oculos ad ipsorum dogmata conuertas, mox occurrent fides illa saluifica, imputatiua iustitia, canalistica cœna, gratiæ & prędestinationis certitudo: & negatiua tota fermè ipsorum doctrina, videlicet quod nõ detur liberum arbitrium, non transubstantiatio, non septenarius Sacramentorum numerus, non vota seruanda, non inuocandi Sancti, non ieiunandum, &c. quæ quando cœperint Lutherus testis, dicens pręf. in corpus doctrinæ Lypsiæ 1561. *Christum à nobis primo vulgatum audemus gloriari*, Caluinus de necess. reformat. Ecclesię, *reformatorem* ecclesiasticorum dogmatum se iactat: Caluiniani ministri, *reformatæ religionis* à suis nuncupantur. Nostra vero quando cęperint, designari non possunt, imò ipsi quod nunquam efficere potuerunt, designare audent. Amplius controuersorum dogmatum antiquitatem non diffitentur, nec clam intrusa; sed in Concilijs promulgata pro nostra sententia Patres referunt; nam vt canonicos libros habitos primum, & secundum Machabæorum ex 3. Concil. Carthag. testatur Lubertus de princip. Christiani dogmatis, c. 4. pag. 8.

pag.8. Nubere non posse religionis voto sacratos ex Concil. Chalced. can.16. testatur Osiander in epit. cent. 5. pag.539. nec sacris ordinibus initiatos ex Niceno, testatur Fulconius in testam. Rhemens. in Matt. sect.3. col.14. minores ordines à 4. Concilio Carthaginensi cũ suis cuiq; officio debitis instrumentis agnoscit recenseri Osiander epit. cent.5. pag.4. Ex eodem Concilio can.33. vt virgines sacrę ab Episcopo consecrarentur. Ne Bigamus fieret sacerdos can.69. vt pęnitentia, & absolutio impositione manuum celebraretur can.76. & 78. Eucharistia pro viatico ministraretur can.77. & 78. vt sacrificium pro mortuis offerretur can.79. quę omnia idem Osiander in notis super canones illos agnoscit. Ex Concilio Laodiceno agnoscit Sacerdotem non eligẽdum à populo can.13. osculum pacis, & secreta in Missa can.19. peregrinationes ad sepulchra Martyrum can.34. Item ex Concilio Arausic. secundo noscit traditam doctrinam de operum possibilitate can.25. Meritum operum can. 18. Omnium controuersorum dogmatum, antiquorum Patrum testimonia ferè recẽsent Centuriatores, & Osiander, & alij, quę videri possunt in apologia protestantium pro Romana Ecclesia apud Barlęum tract. 2. cap.1. sect.3.

10 Cum ergo nostra antiquissima sint, & vetusta dogmata ex ipsorum confessione, non ab vno vel altero, sed publicis Ecclesiæ comitijs tradita, non tum primo promulgata, sed tradita à prioribus Patribus, & vicinis Apostolorum temporibus; saltem nostra antiquiora esse, suis nouitatibus fateri adstringuntur, quas dum ideo ab eis adinuentas dicunt, vt pristinam labescentem reformarent religionem, iam nostram faten-

tur

tur antiquiorem, atquè affirmatiua dogmata vetuſtiora probant, dum negatiua obtrudunt, prior enim affirmatio eſt negatione. Iam ergo cum noua ſint ab eis inuenta; vetuſtiora noſtra: & mirum eſt *quod poſt hæc* (ait Lerinenſis cap. 26.) *inueniantur aliqui, qui tantæ inueteratæ frontis duritia, tanta impudentiæ incude, tam adamantinæ pertinaciæ, qui tantis eloquiorum cœleſtium molibus non ſuccumbant, tantis ponderibus non fatiſcant, tantis malleis non quaſſentur, tantis poſtremò fulminibus non conterantur. Deuita, inquit* Apoſtolus, *prophanas vocum nouitates: non dixit antiquitates, non dixit vetuſtates, imò planè quid è contrario ſequeretur oſtendit. Nam ſi vitanda eſt nouitas, tenenda eſt antiquitas: & ſi profana eſt nouitas, ſacrata eſt vetuſtas:* dicamus & nos. Si plumbum, aes, ſtipula, nouitas; aurum argentum & lapides precioſi antiquitas, quæ in depoſito Eccleſiæ merito conſeruata atque ſeruanda eſt.



C A-

CAPVT V.

Ex vniuersitate pariter aliquod dogma de traditione Apostolica descendere, & ad depositum attinere demonstratur.

1 
Niuersitas quoque locorum, & Ecclesiarum antiquitati testimonium perhibet. Nam cum Apostoli in omnem terram prædicationẽ euulgarint, quicquid in doctrina eorumdem conspirans reperitur, ad depositum pertinet. Vnde Iren. 1. lib. cap. 2. *Ecclesia per vniuersum orbem vsque ad fines terræ seminata, & ab Apost. & discipulis eorum accepit eam fidem*, &c. Et iterum. *Ecclesia quidem hanc fidem, in vniuersum disseminata diligenter custodit quasi vnam domum inhabitans, & similiter credit ijs, videlicet quasi vnum possidens os. Nam & si in mundo loquelæ dissimiles sunt; sed tamen virtus traditionis vna, & eadem est. Et neque quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ aliter credunt, neque hæ quæ in Celtis, neque quæ in Oriente, neque quæ in Lybia, neque hæ quæ in medio mundo sunt constitutæ*. Irenæi consimile testimonium affert Nicep. lib. 4. cap. 3. ad veritatem consubstantialitatis adstruendam. *Huic* nempe veritati, *omnes vbiq; Ecclesiæ assensæ sunt, vt Hispaniæ, Brittaniæ, Galliæ, Italiæ, totius Dalmatiæ, Mysiæ, Macedoniæ & cunctæ Græciæ, & omnes Africæ, Sardiniæ, Cypri, Orien-*

tis

tis deniq; Ecclesiæ, exceptis paucis quæ secta sunt Arianæ, lege aliud simile in Theodoreto 4.Hist. cap.3.

2 Hinc merito PP. ad decidendas fidei controuersias & sacra probanda dogmata, & depositum indagandum hoc medio vsi sunt. S. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap.29. contra quosdam nolentes in glorificatione & adoratione Spiritus Sancti admittere particulam *CVM*, quam admittendam docebat Basilius, cum Patre scilicet, & Filio Sanctum conglorificandum Spiritum, ad vniuersitatem tanquam ad sacram confugit anchoram dicens. *Quin & Cappadoces sic iux. regionis morem loquimur, iam tum in linguarum diuisione dictionum vsum prouidente Spiritu. Quid porrò Occidens totus, propemodum ab Illyrico vsque ad fines nostri orbis, nonne per hanc vocem orat? qui fit igitur, vt ego sim innouator, & recentium verborum architectus? quum totas nationes, ciuitates, & consuetudines omni hominum memoria vetustiores, insuper & viros Ecclesiæ columnas, & omni scientia ac virtute Spiritus venerandos Duces, & authores huius vocis exhibeam.*

3 S. Hieronymus epist. ad Marcum presbyterũ Celdensem, orbem integrum præponit orbis particulæ Ariana lue infectæ dicens. *Hæreticus vocor* nempe *ab æmulis, homousion prædicans Trinitatem; Sabellianæ impietatis arguor, tres subsistentias veras, integras, perfectasq; personas indefessa voce pronuncians. Si ab Arianis, meritò. Si ab Orthodoxis, qui huiusmodi arguunt fidem, Orthodoxi esse desierunt, aut si eis placet hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Aegypto, hoc est cum Damaso Petroq; condemnent. Quid vnum hominem exceptis socijs criminantur? si riuus tenuiter fluit, non est aluei culpa, sed fontis. Pudet dicere, de cauernis* cellu-

cellularum damnamus orbem, &c. optimè arguebat scilicet ex vniuersitate orbis ad partem, quæ à fide excideral euincendam, stulteq; orbem damnari ab orbis particula demonstrabat, ac proinde stultissimè hæreseos se damnari & insimulari, cum quo Oriens, & Occidens cõspirabat: quinimo orbis particula damnanda esset, vbi à toto terrarum orbe manifesta & publica professione in asserenda & propugnanda consubstantialitate personarum salua distinctione, contradicebatur. Illud etiam Hieronymus aduersus Pelagianos ex vniuersitate ductum validissimum vrgebat argumentum, contra paucos, nempe, *Apostolicam Sedem vniuersamq; Romanam Ecclesiam, Romanumq; Imperium, quod Deo propitio Christianum est, fuisse commotum.* Cuius argumenti formam à suo præceptore, S. Gregorio Nazianzeno iam pridem didicerat, nam in oratione prima cõtra Iulianum Imperatorem commotionem orbis cum commotione Christianę Religionis, tamquam mutuò se inferentia probauit, dicẽs. *Nunc autem salutifera doctrina longè lateq; fusa, ac circa nos maximè vigente, Religionem Christianam inuertere, & labefactare conari, nihil aliud fuerit quam Romanum Imperium conuellere, omnibusq; Reipublicæ partibus periclitari.*

4 Eodem ariete Pelagianos S. Augustinus impetebat, cum enim Iulianus temerario ausu Occidentales Patres à testimonio repulisset, & ad solas Orientales prouocasset; S. Pater ad consensum Orientis confugit, vt eos proteruos, per eas, quas cupiebant Ecclesias Orientales, reuinceret. *Non est ergo*, dicebat libro primo contra Iul. cap. 2. *quod prouoces ad Orientis Antistites, quia & ipsi vtiq; Christiani sunt, & vtriusq; partis orbis*

orbis terrarum fides vna eſt, quia & fides ipſa Chriſtiana eſt; & te certè Occidentalis terra generauit, Occidentalis regenerauit Eccleſia. Et mox Orientalium Eccleſiarum antiſtites affert, ad eius procacitatem retundendam.

5 Illud idem antitodum præparauit Lerinenſis, cap.4. ſciſcitando enim; *Quid faciet Catholicus, ſi ſe aliqua Eccleſiæ particula ab vniuerſalis fidei communione præciderit?* Reſpondet. *Quid vtique niſi vt peſtifero corruptoq; membro ſanitatem vniuerſi corporis anteponat?* Sed iam pridem à noſtræ fidei authore Chriſto domino idem pręparatum antitodum accepimus: exurgentibus enim Pſeudoprophetis & falſis DD. atque dicentibus: *Ecce hic eſt Chriſtus. Ecce illic*, non exeundum admonuit. *Nolite*, inquit, *exire. Nolite credere:* Vbi Hieronymus in eum loc. Matt. cap.24. eleganter. *Nolite*, inquit, *credere quod filius hominis ſit; vel in deſerto gentium, vel in penetralibus hæreticorum: ſed quod ab Oriente vſque in Occidentem, fides eius in Catholicis Eccleſijs fulget*.

6 Porro iſta eccleſiarum vniuerſitas adeò pręſto eſt in Concilijs, & definitionibus eccleſiaſticis efformandis, vt ad finiendas & componendas controuerſias expeditum, & efficax medium ſemper ſit adiudicatum, compendioſa enim via eſt ad reperiendum depoſitum illudq; fidelibus conſignandum. Vnde Theodoretus loquens de definitione Nicæna aduerſus Arium, docet lib.4. cap.3. quod multis ibi benè & rectè, nonnullis perperam ſentientibus, obtinuit illa, *quæ tunc per vniuerſum orbem vicerat ac diuulgata* fuerat fidei confeſſio; *dicens, quòd, hanc*, nempe conſubſtantialitatis fidem, *confirmarunt SS. Nicææ coacti. Huic omnes Ec-*

C clesiæ

clesiæ assensæ sunt, &c. & quamuis pauci huic fidei contradicant, non tamen præiudicium inde potest orbi terræ fieri vniuerso. Vide Historiam Tripartitam lib.2. cap.5. & 10. Et S. Leo magnus epistola decima cap.2. in Eutychete hoc criminabatur; *quòd, quæ per totum mundum omnium regeneratorum voce depromebantur, illius adhuc senis corde non caperentur.* S. Cyrillus quoque Nestorium ita euincebat in Conc. Ephesin. in epistola Synodica. *Non sufficit tuæ religioni solummodo Symbolum fidei confiteri, quod expositum est per idem tempus Sancti Spiritus largitate à venerando & magno Concilio apud Nicæam congregato; sed consequens est, & iureiurando fateri te quod anathematizes quidem tua profana, & polluta dogmata: sentias autem, & doceas quæ nos vniuersi per Orientem, seù Occidentem Episcopi, & magistri Præsulesq; populorum credimus, & docemus.*

7 Sed vt damnaretur Origenes in Prouincialibus Concilijs, sic scribebat Theoph. ad Epiph. (quę epistola inter Hieron. epistolas recensetur.) *Dignationis tuæ est, quæ in huiusmodi certaminibus sæpe ante nos pugnauit, & positos in prælio consolari, & congregare totius Insulæ Episcopos, ac synodicas litteras, tùm ad nos, quàm ad Constantinopolitanæ vrbis Episcopum, & si quos alios putaueris mittere, vt consensu omnium, & ipse Origenes nominatim, & hæresis nefaria condemnetur;* Et paulò post. *Curæ igitur tuæ sit, vt cunctis Episcopis, per Isauriam, atque Pamphiliam, & cæterarum Prouinciarum, quæ in vicino sunt, rei ordinem pandas, & nostram si dignam putas epistolam subijcias, vt omnes vno spiritu congregati, cum virtute Domini Nostri Iesu Christi tradamus*

damus

damus eos Satanæ in interitum impietatis, quæ poſſidet eos. Hæc ille.

8 Adeo verò vrgens hoc medium habitū eſt, vt abſque Synodi Generalis, vél Prouincialis, aut Nationalis congregatione, quando de vniuerſitate conſtabat, multi errores pululantes repreſſi, vt reclamantibus Hæreticis, & ad Synodos maximè generales prouocantes, reiecti fuerint. Vnde S. Ambroſius epiſt. 32. ad Valentin. *Si ad Synodum prouocat Auxentius, vt de fide diſputet, licet non ſit neceſſe propter vnū tot Epiſcopos fatigari, qui etiāſi Angelus de Cœlo eſſet, paci Ecclesiarū nō deberet præferri; cum audiero Synodum congregari, & ipſe non deero*. Pelagiani quoque apud S. Auguſtinum 4. libro contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 8. impiè conquerebantur, *non minus*, vt dicebant, *ſtultum quàm impium dogma eſſe ſuſceptum, & ſimplicibus Epiſcopis ſine congregatione Synodi, in ſuis locis ſedentibus, ad hoc confirmandum ſubſcriptionem quæruntur extortam; cum potius eorum prophanas vocum nouitates Eccleſia Chriſti & Occidentalis, & Orientalis horruerit*. Ijdem inimici gratiæ ſub laude naturæ (eodem Auguſtino teſtante lib. 1. contra Iulianum) dicebant, Catholicos idcirco eſſe victores, quia ipſis Pelagianis non erat datum, ſicut ipſi deſiderabant, & expoſcebant, examen. Quibus quęrelis, & murmurationibus gratię defenſor S. Auguſtinus ad Vniuerſitatem recurrens Apoſtolici depoſiti indicem, ſolum abſque Synodi congregatione ad eos errores cauendos ſufficere, elegantiſsimè his verbis oſtendit. *An verò Congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur? Quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit, quum potius rariſſimæ inueniantur*

propter quas damnandas necessitas talis extiterit, multaq; sint ac incomparabiliter plures, quæ vbi extiterunt, illic improbari, damnariq; meruerunt, atque inde per cæteras terras deuitandæ innotescere potuerunt. Satis ergo ex Sanctorum documentis ostensum, multa ex ista consensione definita, & ad depositum Apostolicum pertinere, etiam absque Synodi congregatione, sæpissimè declarata.

9 Fortasse suspectos in nostra causa nos esse conclamabunt. Ergo ipsi inimici nostri, eius quam probamus veritatis, sint iudices; vniuersitatis enim argumento conuicti, vel tandem inuiti eidem testimonium perhibent. Et vt Centuriatores omittam, alios producam. Dauid Cythræus in oratione habitæ apud Academiam vrbis Rossarum anno 1559. docet inter alia, *Apud omnes gentes cuncta esse missarum plena, Sacramenta 7. dispensari, sanctis inuocationem, honores, imagines saltem pictas adhiberi: Ecclesiam per Hierarchiam à Patriarchis in Archiepiscopos, Episcopos, &c. descendentem administrari. Constantinopoli esse Christianorum templa. Hos, & Georgianos veterem Iberiam, & Albaniam incolentes inter Colchos, Caucasum, mare Caspium, & Americam in octodecim episcopatus distribui, Syros Liturgiæ suæ authorem D. Basilium laudare, &c.* Quod testimonium cum alijs subsequentibus legi potest apud Genebrardum 4. Chronol. pag. 747. & 754.

10 Philippus quoque Nicolai Protestans in comment. de Regno Christi lib. 1. cap. 35. loquens de Missæ sacrificio, cui tot nationes testimonium perhibent, ad Armenos descendens dicit, *quòd, in ipsorum Liturgijs forma inuocationis est, & intercessionis Sanctorum. Et oblationis sacrificij mentio fit*, pag. 22. *Hoc*, ait, *teneant* Chri-

Christiani Lectores non modo Græcorũ Ecclesias, verũ & Ruthenos, & Georgianos, & Armenos, & Aethiopes, qui Christo nomen dederunt, veram & realem corporis & sanguinis Domini fateri præsentiam, vbicumque Eucharistia celebratur, & pag. 56. *Non desunt*, ait, *qui sentiant in Arabia sparsim adhuc nonnullos Christiani nominis Mozarabes superesse, quos in Africa & Hispania superioribus seculis religionem Christianam haud multum ritibus Pontificijs absimilem, excoluisse constat*. Et de remota India pag. 45. & 46. de illis populis ait, *quod in ingressu templi lustralibus aquis, perinde vt Pontificij asperguntur. Eodem etiam ritu mortuos, & eadem religione sepeliunt, &c. pro illorum sempiterna salute Christum inuocantes, &c. Sacerdotes in capite ita sunt attonsi, vt Crucis imaginem in vertice summo contineant. Sunt & apud illos Monachorum sodalitia, & virginum sacrarum cœtus ædibus semotis inclusa; ab omnibus illis pudicitia cum summo probitatis & abstinentię & religionis studio conseruatur. Ieiunia temporum, quę Aduentum & Quadragesimam appellamus, strictè obseruant: in Thomę honorem diem festum agunt*, pag. 64. *de remotis Chatayamis*, dicit (Vide horum populorum iam pridem, non nuperam fundatam fidem,) *Sua habent sacella, in quibus pro mercatorum, & peregrinantium incolumitate, ritibus, missisq; litatur*. Si ergo hæc omnia ab ipsis Nouatoribus explosa, ab omni natione, quæ sub cœlo est recipiuntur, eorumq; placita in solis angulis delitescant Anglię, Galliæ, vel Germaniæ, erubescant de tam parua portione sub suis vexillis militante, cum per vniuersum orbem Catholica religio ipsis fatentibus sit dilatata, & ad depositum dogma-

ta Catholica pertinere cognoſcant, & ab illis deſcendere de quibus ſcriptum eſt Pſal.18. *In omnem terrã exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terrę verba eorum.*

CAPVT VI.

Patrum doctrina ſiue conſenſio, & per omnia ſibi conſonans magiſterium, traditionem, & depoſitum oſtendunt.

1 T. ſi antiquitas vel vniuerſitas argumenta non ſuppeditaret, tunc ex magni Vincentij Lerinēſis doctrina cap.4. ad magiſterium Patrum, eorum ſententias conferendo, confugiendum eſt, vnde depoſitum colligamus, his conditionibus, & legibus. Primo vt conferantur ij, qui diuerſis locis, & temporibus docuerunt: Secundo vt ij inſpiciantur, qui in Catholicæ fidei communione magiſtri probabiles extiterunt: Tertio vt non quicquid vnus, vel alter, ſed omnes vel penè omnes tradiderunt, diligenter inſpiciatur: Quarto vt non omne quod per tranſennam, vel perfunctoriè ab illis prolatum, vt ad depoſitum pertinens accipiatur; ſed quicquid vno eodemq; conſenſu, apertè, frequenter, perſeueranter tenuiſſe, ſcripſiſſe dępręhenditur, ſine ambiguitate accipiendum, & paucorum hominum inſcitię prępονendum.

Hæc

2 Hęc doctrina apertiſsimè his verbis tradita eſt à Lerinenſ. *Quid si tale aliquid emergat, vbi nihil eiuſmodi reperiatur? tunc operam dabit, vt collatas inter ſe maiorum conſulat, interrogetq; ſententias, eorum dumtaxat, qui diuersis licet tẽporibus, & locis, in vnius tamen Eccleſię Catholicę communione, & fide permanentes Magiſtri probabiles extiterunt: & quicquid non vnus, aut duo tantum, ſed & pariter vno eodemq; conſenſu, apertè frequenter, perſeueranter, tenuiſſe, ſcripsiſſe, docuiſſe cognouerit, id sibi quoque intelligat abſque vlla dubitatione credendum.*

3 Prima conditio ſatis rationabiliter apponitur, nam conſonantia in doctrina diuerſis locis, & tẽporibus, omnem ſuſpicionem, & ſcrupulum aufert, quod ſit conſpiratio, & humana adinuentio: nec enim niſi ab illo, qui facit concordiam in ſublimibus, in vno ſenſu conuenire potuerunt loco, & tempore diſtantes, & in veritate concordes, vnde Gregorius lib. 29. moral. c. 15. aſsimilat PP. Eccleſię Pleiadibus ſtellis, *quod simul quidem sitę ſunt, & tamen lucis ſuę variatim radios fundunt: ita omnes Sancti alijs, atque alijs ad prędicandum temporibus apparentes, & disiuncti ſunt per visionem ſuę imaginis, & coniuncti ſunt per intentionem mentis. Simul micant quia vnum prædicant, ſed non ſemetipſos tangunt, quia in diuerſis temporibus partiuntur*, & tandem poſt multa concludit, quod, quia *ſolius diuinæ virtutis eſt, & diſiunctis temporibus miſſos in fidei prædicatione coniungere, & diſſimilibus virtutibus præditos fulgore intentionis vnire*, rectè dicitur: Nunquid coniungere valebis micantes ſtellas Pleiades?

4 Secunda conditio rectè appoſita eſt, vt magiſtri eccleſiarum ij accipiantur, qui vt probabiles in Eccleſia

Christi habiti sunt, & in fide Catholica permanserunt. Cum enim eorum testimonia assumantur ad decidendas fidei quęstiones, eorumdem quoque fides diligēter inspicienda, *nullus enim* (dicebat Hieron. epist. ad Theophil. 62.) *magis ecclesiasticus est, quàm qui hæreticus numquam fuit*; Vnde d. 15. cap. Sancta Romana Ecclesia Gelasius Papa sic dicit; *Item opuscula atque tractatus omnium PP. orthodoxorum, qui in nullo à Sanctę Romanę Ecclesię consortio deuiarunt, nec ab eius fidei prędicatione seiuncti sunt, sed communionis ipsius gratię Dei vsque ad vltimum diem vitę suę participes fuerunt, legenda decernimus*. Enumerat autem ibi Sanctus Pontifex Cyprianum, Nazianzen. Basil. Athanasium, Cyrillum, Chrysostom. Theoph. Alex. Hil. Ambrosium, August. Hieron. Prosp. Orosium, Sedulium, Iuuencum, &c. Sic autem eos suscipit, vt non singula verba & apices (dogmatica tantum Leonis PP. epistola ad Flauianum excepta) probet, & canonizet, quicquid dixerit Gloss. in decret. d. 9. Agnoscit si quidem aliter habendos canonicos scriptores, aliter cęteros fidei tractatores; illos semper vera dicere, istos in quibusdam, vt homines aberrare, vt dicit Hieron. epistola ad Theophil. aduersus errores Ioh. Hierosol. Cęteros vero Patres qui vel priuata dogmata docuerunt ab Ecclesia separati, vt Tertull. Origenes &c. vel hæreticis applauserunt, vt Faustus, Cassianus, & alij (quos propterea Gelas. inter Apochryphos doctores censet habendos,) sic esse accipiendos idem Gelasius voluit, vt illa lima Apostolica præ manibus haberetur nempè. *Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos*, 1. Thess. cap. 5. Vnde Hieronymus hunc delectum habendum docuit epistola ad Pammachium, & Oceanum

loquens de lectione Tertulliani, Euſebij, &c. *vę, inquit Eſaias, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, & qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum: Nec bonis aduerſariorum, ſi honeſtum quid habuerint, detrahendum eſt, nec amicorum, laudanda ſunt vitia; Et vnumquodq; non perſonarum, ſed rerum pondere iudicandum eſt*. Et ad Tranquill. *Ego Originē propter eruditionem ſic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Nouatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Eccleſiaſticos Scriptores, Gręcos pariter, & Latinos, vt bona eorum eligamus, vitemusq; contraria, iux. Apoſtolum dicentem: omnia probate, &c.* Et poſt allegatam Eſaię ſententiā ſubdit. *Nec enim propter doctrinam eius*, ſcilicet Origenis, *praua ſuſcipienda ſunt dogmata, nec propter dogmatum prauitatem, ſi qui commentarij in ſcripturas ſanctas vtiles, penitus reſpuendi ſunt* (vnde, & Gelaſius calculo Hieronymi legenda vult eiuſdem Origenis opuſcula) & ſequitur. *Quod ſi contentioſum inter ſe amatores eius, & obtrectatores funem duxerint, vt nihil medium appetant, nec ſeruent modum; ſed totum aut probent, aut improbent; libentius piam ruſticitatem, quàm doctam blaſphemiam eligam*. Et tandem epiſt. ad Minerium, & Alex. *Meum propoſitum eſt antiquos legere, probare ſingula, retinere quę bona ſunt, & à fide Eccleſię Catholicę non recedere*. Lege eundem in cap.9. Daniel.

5 Tertia conditio rationabiliter adducitur à Sancto Vincentio, Patrum enim conſenſio vniuerſalitatem perſonarum reſpicit, ſicut & antiquitas vniuerſalitatem temporum; vniuerſalitas autem perſonarum plures reſpicit, non vnam, vel alteram: vnde cap.3. dixit conſenſionem tunc inueſtigari, *cum omnium*,

vel

vel penè omnium Sacerdotum, *& magistrorum definitiones*, *sententiasq; sectamur*, vnde, & propter hoc ait cap. 38. contra paucorum inscitiam, multorum, atque magnorum consentientes magistrorum sententias esse sequendas. Sic aduersus Heluidium fecit Hieronymus. *Nunquid*, ait, *non possum tibi totam veterum scriptorum seriem commouere*, *Ignatium*, *Polycarpum*, *Irenęum*, *Iustinum Martyrem*, *multosq; alios Apostolicos*, *& eloquentes viros*, *qui aduersus Hebionem*, *& Theodorum Bizantium*, *& Valentinum hęc eadem sentientes plena sapientię volumina scripserunt? quę si legisses aliquando*, *plus saperes*. Benè verum est (vt dicemus infra) cum ex notissima regula veritatis Patres aliquid pronunciant, duos etiam posse sufficere vt traditionis testes, quod patrum testimonio comprobabitur.

6 Quando autem vnus, vel alter à communi sententia PP. recedit, communi magisterio nullo pacto derogant tales sententiæ, sed inter priuatas opiniones, vel etiam lapsus recensendę sunt, vnde idem Hieronym. in dialogo contra Luciferianos, *cap*. 8. ait, *conatus est*, *& Beatus Cyprianus contritos laqueos fugere*, *nec bibere de aqua aliena*, *& idcircò hęreticorum baptisma reprobans*, *& ad Stephanum tunc Romanę vrbis Episcopum*, *qui à B. Petro vigesimus sextus*, *super hac re Africanam Synodum direxit*, *sed conatus eius frustra fuit*; & epist. 62. ad Theoph. cap. 2. *Nouum defensionis genus*, *sic Origenis vitia non negare*, *vt cum illo cęteros crimineris*, & cap. 4. *ex quo*, ait, *perspicuum est dolorem proprium*, *causam Ecclesię non putandum*, *nec stomachum vnius hominis*, *imò per illum aliorum*, *generali Ecclesię vocabulo nuncupandum*. Ex hoc deducitur conditio sequens.

7 Quarta cōditio rationabilis quoq; est. Nec enim vnius,

vel

vel alterius opinio vel etiam plurium, reclamante communi Sanctorum choro firmum Theologo prȩstat argumentum, tunc enim non idem sensus eademq; concordia apparet, vt traditionis vestigium appareat, sed vniuscuiusq; particularis sententia probanda, vel approbanda relinquitur: vnde S. Hieronym. in simili loquens in cap.9. Danielis, ait. *Scio de hac quæstione ab eruditissimis viris variè disputatum, & vnumquemq; pro captu ingenij sui dixisse quod senserat. Quia igitur periculosum est de magistrorum Ecclesiȩ iudicare sententijs, & alterum præferre alteri, dicam quid vnusquisq; senserit, lectoris arbitrio derelinquens, cuius expositionem sequi debeat*. Et tunc in talibus discordia nullo modo Patrum authoritatem infirmat, sed firmat: nam in hoc apparet non proprios fœtus obtrudi, vel eorum placita, & opiniones pro fide venditari, sed solam fidem eorum testimonio contestatam proponi: vnde idem Hieronym. de dissensione huiusmodi placitorum loquens, tertia ad Ruff. cap. 1. sic dicit. *Nonnè & Apostoli saluis inter se amicitijs dissenserunt, cum Paulus, & Barnabas propter Ioannem cognomento Marcum stomachati sunt? & separauit eos nauigatio, quos Christi Euangelium copulabat. Nonne idem Paulus in faciem Cephæ restitit, quod non recto pede incederet in Euangelio? & tamen præcessorem suum, & columnam Ecclesiæ vocat, & exponit cum eo prædicationem; ne in vacuum curreret, aut cucurrisset. Nonnè etiam in religione etiam liberi à parentibus, & coniuges à maritis salua pietate dissentiunt? vos si ita habetis, vt habemus, cur nos odistis? si aliter creditis, quid vultis occidere? an qui à vobis discesserit occidendus est?*

6 Talia etiam sunt in quibus dissentiunt interdum diuino

uinorum eloquiorum tractatores, vt ad fidem non pertineant. Tunc enim in his, & similibus diuinæ legis quæstiunculis, (vt dicit idem Lerinensis cap.39.) fidem certam Patres non adstruunt, V. G. cum controuersum est, an dies illi qui recensentur in rerum creatione, fuerint veri, & naturales? vbi affirmatiuam partem tenent Basil. hom.2. Hexam. Ambr. in Hexam. c.7. Chrysostomus in c.1. Genes. & hom.22. in Io. Greg. lib.32. moral. cap.10. Damasc.2. de fide orthod. cap.7. Hil.12. de Trinit. negantem vero tenent August.11. de ciuit. cap.9. & ad Orosium lib.4. in Genes. cap.8. & vtramq; probabilem existimat S. D. 1. par. quæst.74. art.2. & quæst.4. de creat. in disput. art.2. vocans Augustini sententiam subtiliorem, oppositam planiorem, & superficiei litteræ magis consonam, *& quia* (ait S. D.) *neutra à fide discordat, & vtrumque sensum litteræ circumstantia patitur, vtraque sustineri potest*. Item in illa celebri quæstione, an Moyses in hac vita viderit diuinam essentiam: partem negantem asserunt Dionys. de Myst. Theol. Nanzianz.2. oratione Theol. Cyrill. in Ioan. cap.22. Hieron. epist. ad Damas. & lib.3. contra Pelagianos, & in Esaię cap.6. Chrys. hom.14. in Ioan. & in 2. epist. ad Cor. cap.12. Greg. PP. l.13. moral. cap.37. Euaristus PP. epist.1. decretal. Affirmantem sequitur Basil. in hexam. August. epist.112. de videndo Deo, quem secuti sunt Anselmus, & Beda 2. Cor. cap.12. S. Tho. 1. par. quæst.12. art.11. Neutrum ad fidem attinet, vnde vtraque opinio sustineri potest: qui enim negant, in lege communi fundantur; qui affirmant in priuilegio. Vnde quotiescunque contingit aliquos PP. aliquem locum scripturæ vniformiter explicare de lege, si contingat alios, vel etiam

vnum,

vnum, aut alterum aliquem ex priuilegio à communi lege excipere ob aliquam rationem, non præstatur indubitatum argumentum Theologo ex communi, eodemq; illo PP. consensu.

7 Multa sunt alia in Theologia exempla, vt de illa quæstione, vtrum omnes sint morituri, qui in iudicij vniuersalis articulo erunt superstites; nam communis sententia est Patrum affirmatiua, & Hieronymus in specie docet epistola ad Minerium, & Alex. Ecclesiam in ea magis acquiescere; verùm alios in contrarium PP. in eadem epistola commemorat: vnde propter horum Patrum reuerentiam in 1. Cor. 15. in ea verba, *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, ait S. Thomas, hanc contrariam opinionem non esse contra fidē, vnde alludit quod Patres affirmaiuè loquētes, ad legem communem respexerint. Quamuis tempore S. Thom. antequam decretum de vulgata editione editum esset, in qua hæc lectio retinetur, *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, fauens affirmatiuæ, & non illa Græcorum, *omnes quidem non dormiemus*, fauēs posterioribus Patribus, probabilitate non careret: modo (ait Soto 4. sent. dist. 43. quæst. 2. art. 4.) audacia esset illam defendere, iam probata vulgata lectione à Tridentino: nec excipi, ait, vllus potest ab illa lege, *Terra es, & in terram ibis*, antequam de diuino priuilegio constiterit, hęc Soto.

9 Sed, & vltima conditio rationabiliter ponitur: cum enim aliquod tradere PP. volunt vt dogma, & ad Apostolicum depositum spectans, non circunductili animo, sed firma, stabili, clara, & frequenti sententia pronunciant. Tunc ergo apertè Patres tradunt, cum illud dicunt à maioribus traditum, vel ab Apostolica traditione de-

ne descẽdere, sic Basilius dicit lib. de Spiritu Sãcto, *à maioribus acceptam formam glorificandi Spiritum Sanctum*, vel cum ab alijs de hac antiquitate testimonium perhibetur, sic dicit August. lib. 1. contra Iul. quod Patres confitentes peccatum originale dum *vno ore credunt*, *vno ore fatentur*, *Pelagianorum nouitiam præsumptionem, catholica antiquitate subuertunt*. Idem docet lib. 4. cap. 12. Item cum dicunt illam esse, *Christianam fidem*, vel ad *notissimam regulam fidei* attinere. sic Augustinus lib. 2. in Iul. cap. 2. *ex notissima fide Christiana* à PP. asserit haberi originale peccatum, & 6. contra eundem cap. 4. eandem veritatem vnanimiter ab omnibus PP. contestatam, dicit *ita esse vulgatam, & apud omnes confirmatam istam Catholicam fidem, vt nec notitiam effugiat popularem*.

10 Rursus aperte aliquid tradunt Patres, cum ea quæ afferunt non veluti suos fœtus proponunt; sed tanquam citra omnem contentionem recepta, & indubitata, & praxi vsitata. sic dũ apud Dyonis. in Ecclesia Hierarch. S. Ignatium epistola ad Antioch. cernimus fieri mentionem de minoribus, & maioribus ordinibus, item ab his & alijs PP. de cœlibatu, de inuocatione Sanctorum, & huiusmodi, non propria sententia refertur; sed quod tot lustris, vel annorum centurijs summa diligentia est custoditum, & traditum euulgatur. Qua in re illud ab Augustino prolatum, locũ firmũ obtinet, secundo lib. in Iul. propè finem. *Quod inuenerunt in Ecclesia tenuerunt, quod didicerunt docuerunt, quod à PP. acceperunt, hoc filijs tradiderunt*. Quare nihil magis cauebant Patres, ne paleas pro tritico venditarent, & opiniones & noua inuenta pro indubitatis dogmatibus commendarent, vnde Basil. ad Eccles. Antioch. dicebat. *Fidem*

autem

autem nos neque recentiorem ab alijs conscriptam acceptamus, neque ipsi mentis nostræ fœtus alijs obtrudere audemus, ne humana putentur pietatis verba, sed quæ à SS. PP. edocti sumus, ea rogantibus nos, annunciamus. Rursus etiam apertè tradunt, cum ad probandum aliquod incertum certa aliqua sententia vtuntur. Sic dogma tunc controuersum à quibusdam tempore Augustini, quod deberet propter adulterium, matrimonium dissolui, idem S. August. lib. 2. ad Pollentium destruxit, ex receptissimo, & à nemine controuerso dogmate, characteris baptismi, quod sicut qui ab Ecclesia separatus est Sacramento non caret, sic nec caret vinculo illo coniugali mulier à viro separata, etiam si nunquam reconcilietur viro.

11 Frequenter verò tradunt dogma aliquod, cum non in vno, vel altero loco de illo mentionem faciunt, sed pluribus in locis, secundum quod se se offert occasio disputandi. Tunc tradunt perseueranter quando id quod docent minimè retractant, sed vrgent, inculcāt, probant, mordicus illud tuendo, consignando, defendendo, fidelium cordibus imprimendo. Hinc est quod vel quando propriam opinionem referunt, vel verbis dubitatiuis vtuntur, vel alienas sententias referunt, & quæ in aliorum opinione sunt posita, vel per transennam aliquid dicunt, & obiter præter institutum de quo agitur, vel quando sentētias proprias retractāt, seù (vt dicit Basilius epist. 64.) *contentiosè*, non *dogmaticè* loquuntur, infallibilia documenta non præstant. Plura in tertio tomo nostrarum Catholicarum præscriptionum in prima controuersia generali art. 9. §. de cautelis obseruandis in Patrum lectione, scripsimus.

12 Hoc igitur vno firmoq; Patrum consensu, Patres here-

hæreticos debellarunt, quod pluribus eodem tomo 3. demonſtrauimus. Vnum Auguſtinum in medium afferre ſufficiat. Is cum plures SS. ſententias ad euertendum Pelagianiſmum adduxiſſet, tandem ſic concludit lib. 1. cap. 2. contra Iulian. Pelagianum. *Tu interim habes in conſpectu, non ſolum Occidentis, verum etiam Orientis Epiſcopos, nam qui nobis deeſſe videbantur, plures Orientis inuenimus. Omnes vno eodemq; modo credunt, per vnum hominem peccatum intraſſe in mundum, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines pertranſiſſe, in quo omnes peccauerunt;* Et poſtea. *Quod credunt, credo; quod tenent, teneo; quod docent doceo; quod prædicant prædico. Iſtis cede, & mihi cedas, acquieſce iſtis, & quieſces à me.* Et lib. 2. *Hoc autem probauimus catholica authoritate Sanctorum, ac per hoc non eſt conſequens vt hoc falſum ſit, quia illa vera ſunt. Tales quippe, ac tanti viri ſecundum catholicam fidem, quæ vbiq; toto orbe diffunditur, & hoc & illa vera eſſe confirmant, vt veſtra fragilis, & quaſi argutula nouitas ſola authoritate conteratur iſtorum.* Sufficienter ergo ex Patrum conſenſiente magiſterio aliquid ad depoſitum Apoſtolicum pertinere demonſtratũ eſt; ſed plenius in tertio noſtro tomo præſcriptionum, qui iam prælo mandandus præparatur.

C A-

CAPVT VII.

Posteriorum Pastorum, & DD. sensus, & fidelium consensus, ad inueniendum Apostolicum depositum, argumenta subministrant.

1 

Osteriores quoque Pastores, & Doctores vsque ad præsens à diuina prouidentia destinatos, hęreditatem paternam cōseruasse adeò ex scripturis ipsis manifestum, vt nec Nouatores huius seculi ausi sint id denegare. *Spiritus meus, qui est in te* (ait Esaias c.59.) *& verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui etc. amodo, et vsque in sempiternū.* Quod de propagatione Doctrinæ Catholicæ verificari tradunt Patres in eum locum, & fatentur Nouatores. & iterum. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* ps.44. & Apost. ad Ephes.3. in Ecclesia (ait) Deus *posuit Pastores, & Doctores, donec occurramus omnes in vnitatem fidei.* i. (Fulcone Nouatore etiam interprete) *in æternum*; Vnde, & ipse Calu. in Instit. Geneuens. 1550. c.8. de fide §.37.38. & Vvitake. de Ecclesia contra Bellarm. pag.281. *Ecclesiam*, aiunt, *nunquā carere posse Pastoribus, & Doctoribus, cum enim Euangelij prędicatio vsque in finem mundi* dilatanda, & propagāda sit; *Prędicabitur* (ait Christus Dominus Matt. c.24.) *hoc Euāgeliū regni in vniuerso orbe, etc. et tūc ueniet consummatio*, ministros oportet esse, & præcones verbi Dei, & pastores à quibus legitimam obtineant prædi-

candi missionē, tamdiù duraturos, quamdiù Euangeliū vsque in finem prædicabitur.

2 A posterioribus ergo Pastoribus, & Doctoribus, hoc est à præsentibus atque futuris desumi quoque potest, (si consentiant in aliquo dogmate) firmum argumentum, ijs conditionibus, & legibus, vt de Patribus dictum est: nempe si concorditer, firmiter, perseueranter, tradendo, firmando, consignando aliquid edocuerint. At hæc inter se se connexa sunt, traditio Patrum sensus, posteriorum atque pręsentium pastorum, atque doctorum consensus, vt inuicē se statuant, ac firment. Nam vt ordinatè à primo ad vltimum descendimus, sic ab vltimo ad primum ascendimus: & recurrentibus partibus in controuersijs fidei, ad legitimos iudices; ad inuestigandum posteriorum, & pręsentium pastorum, & magistrorum doctrinam, ad sciendum Ecclesiarum consensum (quod fit in Cōcilijs generalibus, & in consultationibus Romanorum Pōtificium cum aliquod dogma definiēdū est) mox ipsi animati controuersiarum iudices currūt; à posteriorum PP. & doctorum sensu ad præcedentium Patrum documenta inspicienda recurrunt, ex Patribus depositum traditionis venantur, inde multa dogmata ex traditione finiuntur, scripturæ consignantur, sensus verus ex eadem traditione præscribitur.

3 Horum Pastorum primo, & DD. quos vnoquoque tempore præsentes habet Ecclesia, sensum infallibilem esse, & certam viam ad Apostolicum depositum repe- riendum, & argumenta firmissima ministrandi (quod sine errore negari non potest) dicimus, & fatemur. Nam cum fides Ecclesiæ ex doctrina Christi dependeat, & hæc per Apostolos eius comites descendat, eaque per apostolicos vsque ad cuiuscunque ętatis pastores, & do-

ctores

ctores perueniat, & per hos magistros populus in dogmatibus instruatur, non est possibile aberrare à veritate eos, per quos populi sunt saliendi, & illustrandi. Cumq; sint Ecclesiæ oculi, non est credendum eos cœcutire à vero aberrando (aliàs essent cæci ducesque cæcorum.) vnde à sancto Spiritu continuo influxu restaurantur, ne caligent. Et licet omnes DD. & Pastores (secluso Pontifice) non sint infallibilis regula credendorum, sicut est summus Pontifex, vel Concilium à Pontifice approbatum; tamen, verum est quod si non sunt primaria regula, ita vt ex illis per se dependeat Summus Pontifex, ceterum sunt regula secundaria; quatenus talis cōcors doctrina non promulgaretur ab ipsis, nisi è scripturis, traditionę, vel definitionibus Ecclesiæ descenderet, quam idcircò etiam definitiones Pontificum, & Concilium suspiciunt, in quantum ex his fontibus originantur. Sed de hac re in 3. tomo nostrarum præscriptionū diffusius.

4 Hunc vero sensum non solum intelligimus illum quē apertè in scriptis eorundem legimus, sed rationabiliter etiam eum, quem in eorum cordibus cernimus exaratum: non enim nisi à Spiritu sancto potest fieri, vt omnes DD. & pastores idem sentiant, atque concorditer in eodem sensu conueniant. Quamobrem cum idem sentiunt, ab illo est qui gratiarum est fons, vt ex gratia gratis data (quæ fides vocatur ab Apostolo. 1. Cor. 12. hoc est super eminens quædam cognitio, & certitudo) sint potentes in actu primo exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. vnde tunc etiam de his Doctoribus verificatur, quod de Patribus scripsit S. Hieron. in c. 1. ad Galatas. *Doctores Ecclesiæ non tam ipsi docent, quàm in eis Deus, qui ad sanctos loquitur*, & propterea S. Prosper. 2. de vita contemplat. c. 2. hos vocat *Fundatores*

tores Ecclesiæ post Apostolos, fidelis populi Duces, veritatis assertores, & praua doctrinæ hostes. Rationabiliter verò tuemur, eos Ecclesiam decipere non posse, quia nec ipsi vniuersaliter decipi possunt: & ex quo conuincimus Ecclesiam totā errare non posse, nec prędicando, nec falsum dogma sentiendo; ita similiter non solum non possunt errare in docendo (quod certissimum est) sed nec in sentiendo, quod rationabilissimum est: & miracula multiplicare non est necesse asserendo, quod contra veritatem omnes sentire possint, & tamen vera docere contra suum sensum valeant.

5 Ex praxi Ecclesiæ quod dictum est manifestatur, nullum enim dogma (ait noster Magister sapientissimus Cano in lib. 8. de locis c. 5.) quod cōmuni DD. Scholasticorum consensu tanquam de fide receptum est, quod ab Ecclesia tanquam de fide non sit approbatum: nec vllū est quod vniuersaliter à DD. sentitur (etiam si non doceatur) quod ex ijsdē fontibus non prodeat, quando scilicet non opinatiuè, sed firmo assensu in aliquo dogmate, eoque ad sanam doctrinam spectante, cōspirant. Quare ex tali consensu possunt quæstiones fidei absq; vllo dubio terminari.

6 Communem vero cōsensum intelligimus Pastorum, & DD. qui varijs ætatibus floruerunt, quos, quid docuerint non est difficile enumerare, & cognoscere, cum in definito sint numero, & famigeratissimi sint eorū libri. Sunt autem præcipuè inter hos Scholastici DD. qui eādem doctrinam Patrum distinctius, & apertius enuclearunt, & quę illi de religione tradiderunt distinctiori methodo explanarunt. Numerus vero eorum in suis seculis viuentium, qui vnum eumdemque sensum habuerūt in aliquo dogmate non potest cognosci, sicut nunc nec

omnes

omnes Epiſcopi,& DD. congregari poſſunt, nec interrogari quid ſentiant.Quare difficile ex horum omnium ſenſu,poteſt ſumi argumentum,ſi mathematicè res expendatur: ceterũ moraliter,omnium conſenſus cenſetur, quando auctores graues recenſentur,conſideratis, & attentis omnibus qualitatibus v.g. ſanctitatis,pietatis, eruditionis, vt non tàm ſectatores attendamus,ſed Duces,& DD. claſsicos; non nouos,ſed veteres potius Scholaſticos &c. vt alij reſpectu eorũ, diſcipuli potius, quam Magiſtri habeantur,& tunc firmum præſtatur argumentum. Vnde,ſicut dixit Lerinenſis c.3. *Conſenſionem ſequemur*(loquendo de Patribus)*ſi in ipſa vetuſtate Sacerdotum omnium,aut pene omniũ definitiones,ſententiaſque ſectemur*; ita & de ijs doctoribus dicendum eſt,qui pro Patribus nobis dati ſunt,poſteriores ſcilicet Epiſcopi,Patres,& Eccleſiarum doctores. Cum hac tamen differentia , quod conſenſum Patrum ſine errore ante Eccleſię definitionem reijcere nõ poſsimus,Scholaſticorum vero dogmata communia , ne grauiori nota inuramur, ſaltem ſine erroris proximitate.

7 Sed an omnes pręſentis ſeculi Doctores,& Patres ſiue ſeorſim,ſiue ſimul iuncti accipiantur, poſsint,in aliqua ad fidẽ pertinente quæſtione,decipi , tenendo non piè, vel opinatiuè, ſed certo, & infallibiliter aliquid velut de fide quod ſub fide non eſt , & repudiare aliquid quod ſub fide eſt,caſus eſt impoſsibilis. Primo quia impoſsibile eſt errare omnes oculos Eccleſiæ,& columnas Eccleſiam ſuſtentantes. Secundo quia quod ita firmiter ſentitur, non aliunde niſi ab antiquitate potuit deſcendere(ſecus ſi nõ firmiter,ſed piè,& opinatiuè) quare id impoſsibile eſt falsũ eſſe;niſi antiquitatem velimus damnare,cui conſenſio teſtimonium perhibet.

8 Hinc deducitur, quod impossibile est vt omnes Patres cum antiquitate in aliquo dogmate sint cõcordes, &, ex cõsensione, posteriores conuenientes, à Patribus discordent. Primo, quia fides respicit vniuersalitatem personarum, locorum, & temporum: quod ergo ab omnibus, vbique, quod semper est creditum, tanquam dogma accipiendum, & ex hoc retro seculorum fides optimè demonstratur, quia scilicet antiquitas non contradixit, vt supra explicatum est. Secundo, quia à Spiritu sancto contrariæ non possunt prodire sententiæ, cumq; Spiritus sanctus sit locutus per os sanctorum, & nũc loquatur per Pastores, & DD. impossibile est, vt omnes à vero aberrent, sicut impossibile est PP. nostros in tradendis dogmatibus errare potuisse. Tertio, quia insipiẽtis est prætendere Patres veteres à præsentis seculi doctrina Theologica discordare (vt falsò existimauit M. Antonius de Dominis in consilio profectionis suæ cap. 5. infra allegandus) & illos à pręsenti magisterio esse secretos. vnde meritò argui potest contra ipsos, sicut cõtra Iulianum Augustinus disputabat. *Si Episcoporum Synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si tales possent illic facilè sedere tot, quia nec isti, nec vno tempore fuerunt:* loquebatur autem Augustinus de Chrysostomo, Basilio, Olympio, Ireneo, & alijs Pastoribus vita functis, quorum testimonium nihilominus, etiam si vita functi essent, adeò Aug. magnifecit, vt ijs de Iuliano Pelagiano triumpharit. Vnde, eodem lib. 1. c. 2. circa med. dicebat, *Tantum ne apud te possunt Pelagius, & Celestius; & à solis ortu vsque ad occasum tot ac tantos Catholicæ Fidei DD. & defensores, antiquos, & nostrę ætati contiguos, dormientes, & manentes, non solum deserere, verum etiam Manichæos audeas appellare?* ecce quomodo


modo antiquos cum contiguis, dormientes cum manentibus Doctoribus Auguſtinus copulauit; & quòd impiè tanquam Manichæi fuerint traducti, obijcit Iuliano. Sed & S.Hilar. eo titulo Conſtantium ſugillat (contra eundē ſcribens) quod veteres Patres mortuos putabat aduerſari ſui æui Doctoribus. *Ceteri* (ait) *quidem mortales ſemper cum viuis bella geſſerunt, dum homini ad hominem vltra mortem nihil cauſæ eſt. Tibi vero inimicitiarum nullus eſt finis, receptos enim in æternam requiem Patres laceſſis, & in decreta eorum peruerſus irrumpis. Apoſtolus communicare nos memorijs.SS.docet, tu damnare coegiſti.* Non ergo, quia mortui, eorum ſenſus à præſenti ſenſu diſcordare putandum.

9 Huius rei rationem aſſignauit Caſſianus lib. 7. de Incarnat. Verbi cap. 28. eleganter, dicens. *Loco fides non imminuitur, & quid ſit quis, non vbi ſit conſiderandum, præſertim cum religio omnes vniat, & hi qui in fide vna ſunt, in corpore quoque vno eſſe noſcuntur*; & allegans S. Greg. Nanzianz. vita functum, ſic dicit. *Qui cum iam vita functus ſit, & nunc autoritate, & fide viuit: & cum iam olim in corpore abſit ab Eccleſijs, tamen magiſterio, & voce ab Eccleſia non recedit.*

10 His annectitur fidelium conſenſus in dogmate aliquo, vel cultu; nam vt ſignum conſenſus Eccleſiarum, & Paſtorum adducitur. Paſtores enim & DD. ſic ſentire arguimus, quia eorum oues cum à Paſtoribus & DD. erudiendas ſe tradunt, à Paſtorum voce non recedunt. Secùs autem quando contra Paſtores, & DD. inſurgunt, & ſentiunt. Et in hoc ſenſu dixit Magnus ille Vualdenſis 2. lib. doctrin. fidei ca. 20. Eccleſiam, cuius eſt determinare doctrinā fidei, teſtimoniū

omniũ fidelium non excludere, ſed includere. Quod teſtimonium, quando, & quibus circumſtantijs ſit efficax, vel inefficax ſit nempe Populi Christiani conſenſus, inferius in proprio titulo diſcutietur.

11 Satis ergo expoſitæ ſunt viæ, per quas incedendum eſt ad Apoſtolicum depoſitum inueſtigandum, nempè traditio, antiquitas, vniuerſitas conſenſione conteſtata. Quia vero contingit in multis poſteriores à prioribus Patribus atque Doctoribus diſſentire, inquirendum eſt, quibus nam magis ſit inhærendum prioribus, vel poſterioribus Doctoribus vbi hos ab illis contingerit in rebus grauibus diſcordare.



C A-

CAPVT VIII.

Eorundem Doctorum posteriorum sensus atque consensus in fidei rebus cum veterum doctrina conspirans, ad depositum attinet. Non præponendi autem vetustioribus, nec moderni Scholastici antiquioribus, vbi hi ab illis dissident.



OC pallio suam apostasiam colorare studuit M. Antonius de Dominis Archiapostata Spalatensis, mentiens, quòd discrepantiam inter Theologos, & Patres deprehendisset. Sic ergo ait cap. 5. Consilij profectionis suæ. *Obseruabam hinc in theoricis dicta PP. valde communi doctrinæ, qua imbutus in Scholis fueram, in multis aduersantia, & ea vel prætermissa à meis magistris, vel non fideliter adducta, vel non sufficienter, aut etiam perperam explicata*. Futilis causatio, ad tuam colorandam apostasiam. Dato enim quod Magister tuus (Antoni) quędam dicta Patrum non explicasset, deerant forte in Ecclesia Christi doctissimi, & eruditissimi viri, qui tibi laboranti suppetias ferrent? Cur pietate, doctrina, & eruditione pręstantes Patres Societatis Iesu (cui nomen dedisse inaniter gloriaris, in illa non perseuerando) iniquè criminaris, qui lacte Catholicæ doctrinæ, bonis moribus, adolescentiam tuam informare curarunt, quam postea tua instabilitate notasti, & tuæ denigrasti

sti turpitudine senectutis? Verum hæc non tua noua, sed vetus fuit, quoque Nestorij fraus; sic enim Leo Bizantius (lib. 1. contra Nestorium,& Eutychetem) scribit. *Eos (Nestorianos) conari Theologos ad contradictionem adducere, & dicere, à se ipsis dissentire. Hic conatus susceptus non est contra nos, sed contra illorum gloriam, iam vero contra Paulum, & adhuc contra Spiritus sancti authoritatem, & Christum, qui in Paulo loquebatur: post enim Apostolos, & Prophetas, DD. posuit in Ecclesia Deus, secundum prouidentiã Spiritus sancti incomprehensam in opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi.* Ita à simili cum Patres, & Scholastici secundum suorum temporum successionem, diuinitus sint prouisi ad ædificationem corporis Ecclesiæ; eos conari ad contradictionem adducere, seù asserere, quòd in dogmatibus ad inuicem discordent, est Spiritui sancto contradicere, qui illos ad docendũ destinauit. Vnde rectè Gregorius eiusdem, & aliorum Nouatorum temeritatem corrigens lib. 36. Moral. cap. 12. ait. *Dicunt hæc nescientes, quia omnipotens Deus Ecclesiam suam digna sine administratione non deserit*, &c. *dẽ quibus eidem Sanctæ Ecclesiæ dicitur: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*, &c. *in virtute quippe antiquorum PP. si qui postmodum prælati sunt, subrogantur; quia, & cum annosa arbusta succiduntur, in eorum robore tenera virgulta succrescunt.* Pro patribus ergo nati sunt filij, nempè Scholastici, in eorum hæreditate, & deposito conseruando succedentes. Et lib. 36. cap. 5. exponens illud: *Qui aufert stillas pluuiæ*, &c. ait. *Cum Prophetas abstulit, eorum vice Dominus Apostolos misit, qui in similitudine gurgitum pluerent.* Et mox. *Reductis ad superna Apostolis, per expositorum sequentium linguas,*

guas, diuinæ fluenta scientiæ diù abscondita largiori effusione patefacit. Nam quod illi sub breuitate locuti sunt, hoc exponendo multipliciter auxerunt. Vnde, & non immeritò ipsa expositorum *Prædicatio*, *gurgitibus comparatur*, *quia dum multorum præcedentium dicta colligunt, ipsi in eo, quod adstruunt profundius dilatarunt, nam dum testimonia testimonijs iungunt, quasi ex guttis gurgites faciunt.* Vbi nota, quod sicuti guttæ, & gurgites eiusdem substantię, & naturæ rationem participant, ita eandem doctrinam Apostolicam retinent Patres cum Scholasticis, vt in substantia posteriorum sapientia, à priorum doctrina non sit in dogmatibus absimilis, sed conformis.

2 Sed non propterea, quia Apostolorũ doctrina guttis, gurgitibus verò assimilantur Apostolici Patres, & Doctores, existimandum est extitisse Apostolis sapientiores; sed tantum habetur, quòd quæ guttæ strictius sunt locuti, gurgites dilatarunt; hoc est, quod pressius Apostoli, vberius Apostolici explicarunt. Vnde, subdit idem Gregorius, ad hanc obiectionem dissoluendam. *Sed nequaquam se eisdem Apostolis expositores in scientia prǽferunt, cum exponendo latius loquuntur: meminisse quippe incunctanter debent, per quos eiusdem scientiæ inuentiones acceperunt.*

3 Ita, & de Scholasticis, & posterioribus Doctoribus dicendũ est per comparationem ad primos Scholasticos, Albertum, Thomam, Alensem, Bonauenturam, Scotum, &c. qui Patribus fuere proximiores; quòd nullo modo (& si illi sint veluti pluuiæ, hi veluti gurgites) sint vetustioribus illis præponendi, præsertim in controuersijs grauioribus, quę pietatem, & religionem concernunt: nam, & si posteriores respectu antiquio-

quiorum diffusius quasdam materias, vel quædam argumenta pertractarunt, agnoscere debent humiliter pluuias, per quas profecerunt, & à quibus inuentiones acceperunt. Et sola hæc differentia cernitur, quod guttę pluuiæ paruæ seorsum, adunatæ, gurgites produxerunt: & concisè, & Laconicè nonnulla quæ veteres Scholastici tractarunt, vberius pluribus argumẽtis, testimonijs, exemplis posteriores illustrarunt. Semper tamen pluuiarum stillæ gurgitum sunt parentes, & procreatrices, & quamcumque habent gurgites qualitatem, stillis attribuunt.

4 Vbi ergo sunt, qui moderniorum aliquot sapientiam, philautiæ morbo laborantes, ex librorum multitudine definiunt, & veteribus Scholasticis supradictis Alensi, Alberto, Thomæ, Bonauenturæ, Scoto, audent comparare, immo, & præferre? Si ex multitudine librorum authoritas iactatur, iam iactare possent sapiẽtiam etiam Mathæologi, qui aduersus pietatem cartas repleru nt, sic eo titulo S. Basilius epist. 74 ad Occidentales Episcopos scripta, Apollinaristas perstrinxit, quòd supra Patres, de multitudine librorum ab Apollinari compositorum, gloriarentur. *Alter* ait *ex illis de quibus vos admonemus est Apollinarius, haud parum, & ipse Ecclesias contristans: facilitati namque scribendi, quæ per occasionem ad quosuis irrepsit, coniunctam habens sufficientem linguæ facultatem, orbem libris suis repleuit, contempto Ecclesiaste, qui cauendum esse dicit, ne multi libri fiant. In multitudine autem certũ est, quòd multa delinquantur. Nam quomodo potest in multiloquio vitari peccatum? Sunt verò quæ scribit, etiam ad Theologiam penitentia, non ex scripturæ probationibus*, & alijs locis Theologicis, *sed ex humanis argu-*

argumentis adſtructionem habentia. Sed ſi multos *ſpecietenus* Aquinates, Albertos, Bonauenturas, &c. in librorum copia imitantes, Neotericos aliquos celebrari audire contingat, *quaſi in vmbris* (vt loquar cum Nanzianz. in laudem Baſilij) *nimirum illis dedero, ſi eos reſonabili Echus voci ſimiles eſſe dixero; nam illa quamuis poſtremam dumtaxat ſermonis partem expreſſius tamen refert atque exprimit, hi autem longius ab eo diſtant, quàm quantum accedere concupiſcant*. Vocẽ certè imitatur Echo per reuerberationem è concauis locis, vt euidentius ſermonem exprimere videatur; extremas tamen ſyllabas reddit, & à voce dependet, nec integram vocem format, vel reddit (propriũ.n.Echo eſt, extremarum ſyllabarum additio cum fortiori ſono) ſic multi ab eo dependent, vt de Principe Theologorum S.Thoma noſtro exemplificem, de quo dici poteſt, *vox ſermonum eius, vt vox multitudinis*, Daniel: cap.10. vt non integram vocem cum ſua mente, ſed extremas ſyllabas reddant voci ſuperadditas, & ſuperinductas; vt ipſius Echo addititia cum ſono, & rumore ſint propria; articulata verò vox, & animata intelligentia proferenti attribuatur. Aufer vocem, & mox Echo tacebit.

5 Sed qua fronte modernioribus etiam quibuſdam ſupra Scholaſticos claſſicos in ſubtilitate, & in profunditate plus deferendum in multis quoque grauioribus ſententijs aliqui iactant? nonnè hoc eſt canalem prædicationis Euangelicæ inuertere? nonnè ea pars, quæ viciniori contiguitati Apoſtolicæ ætatis fonti copulatur, poſterioribus, & vltimis poſtponitur? Diuinæ illuminationis ordinem hac via confundimus, nam ex Nanzianz.de moder. in diſput. ſeruanda, *aliter Moſes,*

aliter

aliter Aaron, aliter Ithamar, & Eleazar eruditi sunt: si quidem Moyses Deum adijt, & facie ad faciem allocutus est. Secundo loco ascendit Aaron, sed extra nubem in propinquo constitit. Tertio loco veluti in tertia sede quiescentes, gradū fixerunt Ithamar, & Eleazarus, belluis, & plebeis à monte procul sub pœna capitis ablegatis Exod. 19. Primo loco cum Deo loquentes, fuerunt Prophetæ, & Apostoli, mox Apostolici in propinquo constiterunt; in tertia classe Scholastici. Verum inter eos ille ordo, qui seruabatur in arcæ ministerio, seruādus est; nam ex eodem Nanzian. præscriptū erat, vt distribuerentur *alij præstantiores eius partes, alij inferiores minoresq. pretij, prout cuiusq. dignitas ferebat. Et quoniam eam quoque custodiri oportebat, quidam eam quoque modo custodiebant, alij videlicet aliud latus, alij aliud: nec quicquam indistinctum, & perturbatum erat, nec minimarum quidem rerum.* Sic in custodia doctrinæ cęlestis, dignioribus, & vetustioribus Doctoribus (nempè classicis) locus dandus est dignior: modernioribus seruandus suus est locus. Sed cum ordo inuertitur, iam in id incidimus, quod S. Gregorius deplorauit supra dicens. *At nos si exiguam quamdam gloriam, nominisq. splendorem assecuti fuerimus, ac ne id quidem persæpe, verum temerè duo, aut tria scripturæ verba, eaque imperitè, & concisè perdidicerimus, illa videlicet sapientia est vno die parta, & Chalanæ turris, qua linguæ præclarè diuisa sunt.* Super alios enim sapere festinamus, & cælum artificiosè conscendere, & altiores videri, cæteris super terram incedentibus: inde ad æmulationem contendentibus, linguæ quoque diuiduntur, vt tot sint capita quot sententiæ, & diuisas Babylonicas linguas repræsentent, & exuperent. Proin-

6 Proindè (dicit ibidem S. Pater) ad iſtam ſuper ceteros ſupereminentiam cauendam; *Non graue, & intolerandum putes, ſi non in omni diſputatione domineris, atque in omni quæſtione, & problemate primariam ſedẽ obtineas*, etiam ſi minima ſint, quę in contentionem cadunt, & ſubdit infrà. *Proinde nobis cura eſſe debet, vt quemadmodum in prima inſtitutione puerorum animos formamus, vt in ſequentis ætatis improbitatem nequitiamq. fugiant, ita nos quoque ne in leuibus quidem paruisq. momenti diſputationibus, temeritatis ineptiæq. ſpecimen edamus, ne ea tandem diuturna conſuetudine in maioribus abutamur. Minoris enim laboris eſt in ipſis principijs improbitati non cedere atque accedentem fugere, quam progredientem, altiuſque graſſantem excidere, ac profligere; non ſecus, ac petram initio firmare, & retinere, quam ruentẽ ſurſum retrahere.* Quod ſi tamen immodica, & *inexplicabili diſputandi cupiditate flagras, nec morbum ſiſtere, ac reprimere potes, hæc meditare, in his eſto, ambitionem iſtam in ijs rebus à quibus periculi nihil impendet, effunde. Quòd ſi* hoc repudias, *nec linguam fræno coercere, animique impetus frangere, ac comprimere potes, ſed tibi furere atq. inſanire certum eſt, angelisq. minimè cedere, niſi tantum ijs quorum cognitionis modus eſt conſtitutus, altiuſq; omnino aſſurgere, quàm ex vtilitate tua ſit; at illud ſaltẽ tibi impera, vt fratrem non condemnes, nec timiditatis* eos cenſurando, aut arguendo, *impietatis nomen imponas*, &c. Ergo ſi prioribus Magiſtris, & vetuſtioribus non cedemus, & nos nec erudiendos tradamus, & in minimis quoque palmam deferamus, ſed potius condemnemus, & in impietatis, & erroris imponamus notam (vt quidam, vt dicetur infra, in S. Thomam nu-

per

per ausi sunt facere.) Verendum est (vt idem Nazian. dixit ibidem) *ne propter animi elationem cadant, pennisq; propter volatus sublimitatem liquefactis misere corruant.* nam,& si non sint ex eorum numero,& de prędictę classis impietate, qui in fide errent,eas operationes habendo quas domo secum afferant, vel qui glorię dominandi studio iniquitatem in excelsum loquuntur, aduersus sanam doctrinam insurgentes, vt hęretici faciunt; tamen *in tertia classe* (ait Nazianz. in Apologet.) *collocantur, qui per imperitiam eiusque comitem temeritatem, aduersus omnem doctrinam suillo quodam affectu gradiuntur, pulchrasq. margaritas conculcant; vel in vltima classe, qui nec certam* (inquit) *vllam opinionem, nec diuinæ doctrinæ, vel probam vllã, vel vitiosam formam, impressionemque secum ferentes, verum sermonibus omnibus magistrisq; sese subijcientes, tanquam ex omnibus id, quod melius certiusque est electuris, ac sibi ipsis, hoc est malis veritatis iudicibus, confidentes, à disertis postea verbis, & ad persuadendum comparatis subinde circumferuntur, atque versantur: omnibusq; sermonibus obruti, protritique Doctoribus permutatis, ac multis litteris velut puluere in ventos facile abiectis* (ò insignem vecordiam) *omnes, puræq; fidei doctrinas fastidiunt, perniciosamq; formam sibi ipsis insculpunt, ipsam videlicet fidem nostram, vt incertam, nihilque sani habentem irridentes, & aspernantes, stultèq; à doctrinæ professoribus ad doctrinæ condemnationem transeuntes.* Ad hunc autem impietatis barathrum, Lutherum, ex Scholasticorum Sancti Thom. Bonauenturę, &c. contemptu, descendisse, suo loco demonstrabitur infra.

7 Non graues, & sapientes huius temporis ex omnibus

bus ordinibus scriprores, ac celebres Theologos perstringimus; Illud enim præclarum, quod de Lampridio Oratore refert Sidonius, dicere solitum: *Antiquos cum reuerentia lego, sine iniuria recentes*, & Plinius: *Sum ex ijs, qui miror antiquos, non tamen, vt quidam, nostrorum temporum ingenia despicio*: Sed sciolos quosdam admonemus; qui eo pertingere solent, vel possent, vt veritatis terminos transgrediantur, *quibus*, vt dixit Nazianz. oratione prima de Theol. *non aures dumtaxat, sed etiam lingua, atque adeo manus quoq; ipsæ, vt video, pruriunt, prophanis videlicet vocum nouitatibus, & contentionibus falsò nominatæ scientiæ, pugnisq. disputationum, nullam vtilitatem afferentibus*, &c. *qui omni pietatis via sublata atque deleta, hoc vnum sibi proponunt, vt quæstiones nectant, vel soluant, quemadmodum, qui in Theatris palæstræ artem profitentur, eaq; certaminum genera, quæ non iuxta palestræ leges, ad victoriam ferunt, sed imperitorum dumtaxat oculos perstringunt, ac laudem à spectatoribns captant, &c.* maximè venditando mulroties probabilia pro certis, & certa, vt probabilia creando; vt *periculum sit* (ait idem Sanctus) *ne magnum fidei nostræ mysterium, in argutatricem quandam artem desciscat*; Sic Paulum Samosatenum constat fecisse ex Euseb. lib. 7. Ecclesiast. Hist. cap. 28. *quia in congregationibus Ecclesiasticis volebat à viris, & mulieribus sibi noua dicenti applaudi, & acclamari, antiquis PP. scriptoribus, & defunctis insultari*. Sic & alij, de quibus Cassiodor. in lib. instituit. cap. 11. quem locum ponderat Vualdens. 3. to. doctr. 4. contra Vuitcleph. qui putabant, *laudabile esse si quid contra antiquos saperent, & aliquid noui, vt periti viderentur, inuenissent*. Perbellè, qui hos imitantur, diser-

tissimè perstringuntur à Clem. Alex. lib.7.strom. his verbis. *Ex ijs,qui declinant à veritate,* ait Cle. Ale.*alij se ipsos solos, alij vero propinquos quoque conantur fallere, atque ij, qui appellantur δοξόσοφοι idest opinione sapientes,qui se veritatem inuenisse existimãt, nullam habentes veram demonstrationem,se ipsos decipiunt,quorum non parua est multitudo: & quæstiones declinantiũ propter confutationes, & doctrinam vitantium propter condemnationem. Qui autem eos,qui accedunt decipiunt, hi sunt valdè callidi,& astuti. Qui etiam si satis sciant se nihil scire,probabilibus tamen argumentis obscurant veritatem.*

8 Superbus fuit ille Arianorum tumor,ex Alex.Alex. ep.Encyclica ad Orient.Episcopos apud Theod.lib.1. cap.4. *qui etiam neminem volunt ex antiquis patribus sibi comparari,neque illis, quibus nos ab ineunte ætate vsi sumus præceptoribus,se pares existimari sinunt. Imo vero, ac vnus quidem collegarum nostrorum,vel ad mediocrem sapientiam peruenisse censent, sed se solos, sapientes,solos egestatem voluntariam sectantes, soli dogmatum inuentores,& sibi solis,& ea doctrina patefacta esse mysteria, quæ in nullius vnquam sub sole cogitationem,mentemq. venerint,*arbitrantur. aduersus quam temerariam vocem Episcopus ille exclamare conatus est. *O impiam arrogantiam,ò insaniam, ò inanem gloriam cum furore coniunctam. O Spiritus planè Satanicos, qui impijs eorum animis velut callum malitiæ obduxere: non diuina veterum scripturarum claritas vllum ipsis incussit pudorem, non consensiens collegarum,& pia de Christo doctrina eorum audaciam repressit. Scelus nefarium,ne homines quidem,quippè qui sedulo caueant, ne vllã omnino maledicã,& contumeliosam vocem con-*

tra

tra Filium Dei eloquatur omnino ferre videntur. Eundem morem depingit in Manichæis S. Vinc. Lerin. cap. 14. *Nobis inquiunt authoribus, nobis principibus, nobis expositoribus, damnate quæ tenebatis; tenete, quæ damnabatis: reijcite antiquam fidem, paterna instituta, maiorum deposita; & recipite, quænam illa tandem? horreo dicere, sunt enim tam superba, vt mihi non modo affirmari, sed nec referri quidem sine aliquo piaculo posse videantur*. Vnde S. August. in Psal. 67. *vna mater superbia omnes hæreses generat*. Verendum est, vt sicut antiquos Patres suorum temporum Neoterici illi aspernabãtur, & illis subijci detrectabant, & propterea paulatim in errores prolapsi sunt, ita formidandum, ne dum Classici DD. in rebus grauibus nouitiolis adinuẽtionibus postponuntur, & super sapientiam antiquorum, quidam se sapere, plura vidisse, & inspexisse gloriantur, vt in absurda, & commentitia incidant.

9 Obmurmurat gloriolæ cupidus, aliã esse de Patribus, aliam de Scholasticis rationem: illos immane piaculum esse reijcere; istos sine erroris periculo explodi posse: Si in patrum choro Scholastici numerarentur, illis reuerentia debita æqualiter impenderetur: At nunc cum Scholastici, etiam veteres, sint in inferiori gradu, non mirum si illis præferri possint multi Neoterici, cum ratio cogit ab eorum placitis discedere.

10 Sed hanc technam olim S. Chrysost. hom. 45. in imperfectum Mathæi propulsauit, exponens enim illam fictam Pharisæorum religionem, qui dicebant, *si fuissemus in diebus PP. nostrorum, non fuissemus socii eorum, in sanguine Prophetarum*, ait S. Doctor. *Semper Iudæi præteritorum Sanctorum cultores fuerunt, & præsentium contemptores, & inimici viuentium, & amici*

mortuorum : non enim sustinentes increpationes Prophetarum suorum, persequebantur eos, & occidebant, & concludit. *Cum audieris aliquem beatificantem antiquos DD. proba illum qualis est circa suos doctores. Si enim illos sustinet, & honorat cum quibus viuit, sine dubio, & illos honoraturus, si cum illis vixisset. Si autem suos contemnit; verè & illos contempturus fuisset, si cum illis vixisset*. Si ergo hi Patribus solis se erudiendos tradant, & veteres Scholasticos subsequentes sibi æquant, & ab illis erudiri non se permittunt, quomodo recepturi essent Patres, si illis seculis vixissent, si posterioribus seculis nobis proximis debita reuerentia non præstatur? Sint posteriores Scholastici classici Patribus, non ne antiquiores omnibus etiam Neoreticis? Quod si antiquiores, meritò hoc solo titulo præferendi, quando cetera argumenta deessent. Sed si super antiquos iactent se Neoretici aliqui de eximia sapientia, illud Platonis obijcimus in Timæo, quod refert Theodoretus tom. 2. de Græcan. affection. cur. lib. 1. *O Solon Salon, vos quidem Græci pueri semper estis, senex autem Græcorum nemo; nulla enim est apud vos sapientia, quæ senio incanueris*. Sed & S. Hieron. in Ezech. de quibusdam sui temporis magistellis dicebat, quòd *sunt quidam Ecclesiastici viri, qui dogmatum non custodiunt veritatem, sed de corde suo confingunt, magistiramque habent præsumptionem suam. simili errore detinentur, qui cum populo persuaserint vera esse, quæ fingunt, & cum theatralem modum plausus concitauerint, & clamores; immemores fiunt imperitiæ suæ, & adducto supercilio libratisq; sermonibus, atque trutinatis, Magistrorum sibi assumunt authoritatem.*

9 Quod si obijcias; ergo ne vllus erit in Ecclesia Chri-

Christi religionis profectus? *Habeatur planè, & maximus*, dicam cum Lerinensi cap. 28. hanc obiectionem repellente, *sed ea lege, vt verè profectus sit ille fidei, non permutatio: Si quidem ad profectum pertinet, vt in semetipsa vnaquæq. res amplificetur: ad permutationem vero, vt aliquid ex alio in aliud transuertatur*. Et postea concludit post multa: *Fas est enim, vt prisca illa cælestis Philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur, sed nefas est, vt commutentur, nefas vt detruncentur, vt mutilentur: accipiant licet euidentiã, lucem, distinctionẽ, sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem:* dicant nouè, non noua; antiquitatem expoliant, non vetustatem nouitate corrumpant; super humeros gignatum veluti pueri positi, & si tectum attingant, meminerint super Pelion, & Ossa innixos, & ab humeris excussos, nanos apparere, & humi repere. *Esto autem* (dicam cum Nanzianz. oratione prima de Theol. *sis ipse altus, & sublimis, & sublimibus sublimior, & nubibus altior, si ita lubet, rerum ab ocultis remotarum spectator, & arcanorum auditor, post Heliam in sublime raptus, post Moysem de conspectione dignus habitus, post Paulum in Cælum euectus: quid tandem est, quod alios quoque vnius diei sanctos fingis* (vocando hunc, vel illum alterum Basilium alterum Augustinum) *& Theologos creas*, dicendo hunc, vel illum non inuidere Thomæ, nõ Bonauenturæ, *eruditionemque ipsis velut inspiras, & multa eloquentium indoctorum Conciliabula facis. cur arenarum telis infirmos illaqueas, ex eoque tibi scitus, ac magnus videris? cur contra fidem crabrones excitas?* idest ex Billio num. 6. dando occasionem Ethnicis, vt fidem ex ista varietate, & nouitate traducant? *cur Diale-*

Ethicorum agmen nobis ex tempore producis non aliter, ac fabula olim gigantes? Cur leuissimos quosque homines supra veteres viri nomine indignos, velut colluuiem quādam in vnum torrentem cogens, & verborum illecebris, magis, ac magis effęminatas nouam officinam condidisti astutè interim eorum amentia ad vtilitatem tuam abutens, ex eaque messem faciens?

10 *Quod si* his SS. documentis *quoque contradicis (* talis enim est quorumdam Theomachia) *nec parturientem linguam vlla arte retinere potes, multa quoque alia, & honorifica argumenta tibi suppetunt, ad quæ morbū istū* contradicendi, & nouandi, & arcana rimandi contra veteres, *non sine fruge conuertere queas;* Theologica linque: *Pythagoræ silentium, & fabas illas Orphicas insectare, &c. Stoicorum supercilium deijce, Cynicorum in gluuiem, & scurrilitatem impete; vacuum illud nugarum certè plenum incesse, &c. de mundo vel mundis philosophare, de materia, &c. in his enim argumentis, & scopum assequi vtile est, & aberrare minimè periculosum,* & nullum piaculum est contra veteres Philosophos aliquid innocare; in Theologia verò, vt inscitia veniam meretur, sic temeritas contra veteres in rebus grauibus sapiendi, pœnam habet,

CA-

CAPVT IX.

Non pertinet ad depositum populorum sensus cum à DD. Ecclesiæ discrepat, nec illis præponendus, sed ab illo regulandus.



St quidem & de communibus sapere in Dei rebus (scripsit Tertull. de resurr. carnis c. 3.) *Sed in testimonium veri, non in adiutorium falsi*, quod sit secundum diuinam, non contra diuinam dispositionem. Quædam enim natura nota sunt, quædam vero apud sapientes. In ijs quę apud omnes nota sunt, ex communi consensu populorum, adeò efficax est argumentum (vt idem Tertullian. lib. de testimonio animæ cap. 1. ad probandam Dei existentiam, animorum immortalitatem.) vt communem etiam indoctorum hominum aduersus Philosophos sensum produxerit dicens. *Nouum testimonium aduoco, imo omni litteratura notius, omni doctrina agitatius, omni conditione euulgatius, toto homine maius;* Animam, simplicem, impolitam, *nō quę scholis formata, bibliothecis exercitata, quę nec Academijs, & porticibus Atticis sapientiam eructat*, sed quam in animo legebat veritatē impressam, ad christianæ defensionis argumentum, & humanam incredulitatem ad fidem inclinandam, ita pronuntians. *Si Deus voluerit, si Deus dederit, Deo cōmendo, Deus red*

det, Deus inter nos iudicabit, vt mirum sit (*o grande testimonium veritatis*) quæ dogmata Christiana suadeat, *& apud ipsa Dęmonia testem efficit Christianorum*.

2 Quędam vero nota sunt apud sapientes, à quibus imperiti & rudes, conceptiones communes habent, quæ lumine quidem naturali sciri possunt, ab imperitis sciri tamen non possunt, credi tamen possunt, & conari debent, vt discere possint; qui cum non discunt nec maioribus se submittũt, adeò obscuratur insipiens cor eorum, vt hæc ipsa notissima apud plures (vt quod anima sit immortalis, vel apud omnes sapientes, vt quod Deus sit) diffiteantur, vt si hinc cõsciẽtia populi contestantis Deum, vel animarum immortalitatem, audiatur, ibi vox Athea insonet, *non est Deus*; & iterum apud Tertull. de resurrectione carnis cap. 3. *Mortuum, qnod mortuum, & viuendum viuis, et post mortem omnia finiuntur*; tunc ex his locutionibus, & si communes essent, *meminero* (ait Tertull.) *cor vulgi cinerem Deo deputatum, & ipsam sapientiam sęculi stultitiam pronunciatam*. Quisquis ergo sedem arguendo in erroribus popularibus sibi strueret, vt contra immortalitatem animarum, & huiusmodi Ethnicos Philosophos, vel vulgares locutiones attenderet insipientium; cum contra Dei dispositionem, hoc est diuini luminis impressionẽ, hæc omnia adstruantur in adiutorium falsi, non pertinerent hæ sedes ad pietatis rudimenta, sed impietatis elementa. Audi Tertull. *Si hæreticus ad vulgi vitia, vel seculi ingenia confugerit, discede dicam ab Ethnico hęretice, et si vnum estis omnes, etc. redde illi suos sẽsus, quia nec ille de tuis instruitur. Quid cęco duci inniteris si vides? quid vestiris à nudo si Christianum induisti? quid alieno vteris clypeo, si ab Apostolo armatus es? ille potius*

discat

diſcat à te carnis reſurrectionem, immortalitatem animorum confiteri, quàm tu ab illo diffiteri. Quia *ſi à Chriſtianis eam negare oporteret, ſufficeret illis de ſua ſcientia, non de vulgi ignorantia inſtrui* aufert. (ſubdit) *Hæreticis, quæ cum Ethnicis ſapiunt, vt de ſcripturis ſolis ſiſtant, & ſtare non poterunt,* & ſubdit rationẽ, *omnes enim ſenſus ſimplicitas ipſa commendat, & compaſſio*, ſeù ſympathia, vel mutuum reponſum ſententiarum, & familiaritas opinionum, *eoque fideliores exiſtimationes, quia nuda, & aperta, & omnibus nota definiunt:* facillimè enim capiuntur mentes, de communione fauorabili ſenſuum: cæterum ratio diuina in medulla eſt, non in ſuperficie, & pleruque æmula manifeſtis: nam quæ vulgaria ſunt, ſenſui accomodata, mulcentia aures populorum, ſenſum, & imaginatione non tranſcendentia, & propterea notiora, & plauſibiliora; quę à vulgi capacitate remota ſunt, altiora, ſublimiora, abſtruſiora, reconditiora. Perſequar ergo propoſitum. Si communes vulgarium ſenſus, atque conſenſus è limpido rationis fonte promanãt, quæ & ſenſus quoque carnis corrigit, & emendat, certè malus eſt, qui eius teſtimonio non credit, tunc enim credens animæ in ſua puritate, Deo credis naturæ authori, & animæ credens, tibi credis. Si verò phantaſmatibus decepta anima, vel familiaritate opinionum, vel philautia paſſionum ex ſympathia ſententiarum aliquid ſibi contra veritatem elegerit, quod à lumine naturali diſcordat, ſuſpectam habeas conuenientiam prædicationis. Quod ſi excedant eædem conceptiones communes intelligentiam plebium; quis rudis populi teſtimonium aſſumet ad corrigendos ſapientes?

In

3 In illis autem quæstionibus, quæ lumine naturali cognosci nequeunt, sed ex diuina reuelatione dependent, distinguendum est. Quædam enim res ita sunt ad fidem pertinentes, vt cum ad notissimam veritatis regulam pertineant, omnesque fideles ad ea credenda astringāt, ex populi quoquè sensu arguēdi locum subministrant. Hinc quia Baptismi effectum omnes tenentur credere, ex populi voce, per baptismum dari peccatorum remissionem adnotat Augustinus de pec. mer. & rem. lib. 1. c. 24. *Optimè Punici Christiani, baptismum ipsum nihil aliud, quam salutem; & Sacramentum Corporis Christi, nihil aliud*, quàm vitam vocant. Et in communibus Christianæ fidei capitibus, ait de vtilit. cred. cap. 17. *idem, imperitum vulgus marium fœminarumque in tam multis, & diuersis gentibus, credit, & prædicat*. Et Iuliano Pelagiano obijcient dogma de peccati originalis existentia esse *murmur populi*, eruditè respondit 1. lib. cap. 7. *Non tibi sicut calumniaris, solum populi murmur opponimus, quamquam, & ipse populus aduersum eos propterea murmuret, quia non est talis quæstio, quæ possit etiam cognitionem populi effugere. Diuites, & pauperes, excelsi atque infirmi, docti, atque indocti, mares, ac feminę nouerunt quid cuique genti in baptismate remittatur*. Notissima enim regula veritatis est, quam nec fæmellas effugit, omnes nos cōcipi in originali peccato, & baptismi Sacramentum esse necessarium ad puerulos quoque abluendos. Et S. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 29. ex populi sententia, qui hymnum ad accensionem lampadarum canere solebat, probat conglorificationem Spiritus sancti cum Patre, & Filio dicens. *Quis autem fuerit autor illorum verborum, quæ dicūtur in gratiarum actione*

apud

apud lucernas, dicere non possum Populus autem antiquam profert vocem, neque cuiquam visi sunt impietatem committere, qui dicunt: laudamus Patrem, & Filium, Deum cum Spiritū sanctū. Item ex S. Aug. 22. de ciuit. ca. 29. loquens de futuro aduentu Eliæ ad iudicium ait. *Celeberrimū est hoc in sermonibus cordibusq. fidelium.* Et de liberatione Adæ à Limbo sic ait ep. 99. *De illo quidem primo homine patre humani generis, quod eum ibidem soluerit, Ecclesia ferè tota consensit, quod eam non inaniter credidisse credendum est, etiam si scripturarum canonicarum expresiè non proferatur authoritas.* In his ergo fidei Catholicæ notissimis articulis, cum populi sensus sit sui prototypi, nempè fidei maiorum, signum, & imago tunc est Apostolici depositi. Vnde sapienter Augustinus epist. 86. *cum nihil statuit diuina Scriptura, mos Populi Dei, & instituta maiorum pro lege habenda sunt.* Sapienter morem populi, cum institutis maiorum suorum ab illis dependētem, coniungens, sicut & in dogmate de originali peccato, quod ex sententijs Patrum probarat, consensum populi cum fide maiorum adiunxit dicens. *In hoc fidei firmissimo, & antiquissimo fundamento, ipsa toto orbe diffusa, à se non discrepat multitudo, &c.*

4 At quædam dogmata sunt subtilia, & difficilia, populi sapientiā exuperantia, & tunc cum non subtiliora credere adstringatur, & in fide maiorum acquiescat tantum abest, vt ad populos recurrere debeamus, vt potius ipsos populos, quos non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimos facit, in arcem fidei recludere debeamus, ad prælia, sapientissimis exeuntibus, *vt pro eis iam tutissimè positis, fortissima ratione pugnetur*, ex August. epist. 56. vnde cum Vui-

cleph

cleph in subtilioribus dogmatibus populi consensum vrgeret, tale responsum à Thoma Vualdensi tom. 2. c. 44. reportauit. *Non ego dedignor laicos petere quasi viles, sed in subtilitatibus fidei desero sicut incautos.* Præclarè Nanzianz. in Apologetico 1. *Quamuis multi ad montem acciti, aduocatique fuissent, inter quos Aaron etiam erat, duobus filijs ijsque Sacerdotibus comitatus est, & 70. Seniores, ceteros tamen omnes eminus adorare iussos esse: Moysen solum proprius accessisse, plebem verò ne simul quidem ascendisse, tanquam videlicet non cuiusuis esset Deo proprius iungi, sed eorum dumtaxat, qui Dei gloriam Moysis instar concipere possent.* Cumq. Moyses legem de manu Domini suscepit, fulgura, & tonitrua populos *inferiori loco cohibebāt, adeò, vt præclarè secum agi arbitrarentur, quòd solam Dei vocem audirent, idq. hac lege, vt se ipsos ante summa cura diligentiaque purgarent*, At *Moyses ascendit, nubemque perrumpit, legesq. & tabulas accipit, crassioribus quidem litterales, acutioribus autem spirituales*. Quid ita? vt populus ad suptilia rimanda nō se intromitteret, nec auderet Sacerdotibus tabulas porrigere, sed à Sacerdotibus potius diuinam legem, eiusdemque intelligentiam susciperet. Quod si auderet populus, vel de subtilitatibus fidei disserere, vel Sacerdotibus legem cum intelligētia tradere, in illa tempora incideremus, quæ deplorabat Nanz. in eodem Apologetico. *Metus omnis ex animis pulsus est, in eiusq. locum subrogata impudentia. Cuiusuis est scientia, & profunditates*, & rursus. *Qui in plebeio ordine, grandiores atque præstantiores sunt: quin potius hi, apertum quoque bellum Sacerdotibus inferunt, subsidium ad persuadendum habentes, pietatem.*

Sed

5 Sed quale populi iudiciũ sit, Chrysostomus, eleganter expressit dicens Hom. 2. in Ioann. *Quid multitudinem esse arbitraris? procul dubio desidem, & nullæ bonæ rei deditam responderes. Quid autem an ex illius numero fieri optares? Si quis eundem iterum interrogaret, non vtique mihi assensurum persuadeo: Nonnè igitur maximè ridiculum est gloriam eorum (adde iudicium) aucupari, quorum ne similis quidem esse velles? Si autem dixeris multos etiam constantes viros hac esse sententia, idcircò longè magis contemnendos dicimus, nã si sponte sua contemptibiles sunt, cum multi fuerint, maiorem in modum digni sunt, qui contemnantur: singulorum enim amentia simul collecta multitudine ipsa fit auctior. Quamobrem si quis eos sigillatim castigaret,* cum contra Patres, & Doctores locuntur, *facile, quod vellet assequeretur: sin cunctos simul, nullus esset correctioni locus, cum numero ipso stultitia crescat, & pecudũ more ducantur, quãcumque inuicem secularem gloriam atque opinionem secuti.* Quare benè deducit idem Sanctus lib 2. de Sacerdotio. nequaquam *vulgi opinionem veritati præpositam esse oportuit*, & inferius dat rationem, *nam sepè vsu venit, vt opinio vulgi falsa sit, à qua tamen nihil periculi exoriri possit, si res ipsa tota per te prius exactè ac diligenter discussa atq. examinata fuerit.* Præclarè Anacharis, ex Tertull. in apol. c. 1. ignorantes musicã deridebat de musicis ferrè iudiciũ, multo magis, ait idem Tertull. imprudenter damnasset, si de prudentibus vidisset iudicare, cum culpabilior sit imprudentia, quàm amusia. Certè nec Lycurgus à Lacædemonijs, neque ab Athieniensibus Solon, nec Camillus à Romanis tantam iniuriam passi essent, si integro iudicio fuisset populi multitudo, at ipsi ex-

per-

perti sunt, quod scripsit Ennius.

Pellitur è medio sapientia, vi geritur res.

6 Nihil autem esset inconstantius fide nostra, si à populis de rebus ad fidem pertinentibus, iudicium esset expectandum, contemptis Ecclesiæ Doctoribus, atque Magistris: Non dicam annua, sed menstrua, ephimera; esset fides, si populari sententiæ esset subiecta. Aspice Iudæorum populum Dei beneficijs allectum verum Deum colentem, mox populari inconstantia, nouos recentesq. adorare Deos, quos non coluerunt Patres eorum. Eumdem intuere, Christum Dominum, tanquam Messiam verum recipientem atque acclamantem, paulò post eundem Barrabæ postpositum, morti adiudicatū. Paulo tanquam Mercurio, Barnabæ, ceù Ioui, Lycaonici populi diuinos titulos cum immolationibus obtulerunt Act. 14. vnius diei periodo immutati aduersus eosdem insurgunt, nam Paulum lapidibus obrutum semiuiuum reliquerunt. Alexandrinus populus Athanasio aduersus furorem Arij fuit deuinctissimus, attamen Petri loco, quem Athanasium futurum Episcopum commendarat, populari nausea, & inconstantia Lucium Africanum suffecerunt, ex Socrate lib. 11. hist. cap. 2. & eierata fide catholica, sub Arianorum vexillo militauit. Ipsi quoque Ariani eo clypeo suas hæreses tuebantur, quòd magnam populi partem suæ sectæ haberent obsequentem, Creuit autem scintilla hæc in eam flammam, ex Socrate lib. 1. cap. 19. & 2. cap. 2. Sozomen. lib. 2. cap. 26. & 3. cap. 2. Niceph. lib. 8. cap. 47. & 9. cap. 2. quia *pedetentim euagata primum inter satellites, qui palatium frequentabant, deinde per multitudinis animos, qui vrbem incolebant peruasit hæresis, & illius mali contagio*

ad

ad alias prouincias quoque, & Ciuitates celeriter permeauit. quare eo titulo ſuos ſubornabant Ariani, quod maior (vt iactabant) eſſet pars ſub eorum caſtris, ea quæ ſub vexillis orthodoxorũ militabat. Lutherus populum ſibi conciliauit loquens carni, & ſanguini placentia, cumque multitudinem callidus veterator inſpiceret ſibi applaudentem, iudicium plebis, populorumque adeo extulit, vt ſingulos Chriſtianos de doctrina, & dogmatibus poſſe cognoſcere, & iudicare audacter pronuntiarit de captiu. Baby. cap. 11. Hinc Scholaſticis contemptis, Patrum doctrinis exploſis, Epiſcoporum ſubſellijs proſtratis, tamquã onager liber vagans in vanitate ſenſus ſui, rupit cæleſtium dogmatum ſepem, & velut ſingularis ferus depaſtus eſt vineam Eccleſiæ.

7 Vtinam ij, qui contemptis Patribus Eccleſiæ, & populorum iudicium expectant, attenderent, quod ſcriptum eſt Exod. 23. *Ne ſequaris turbam ad faciendum iudicium* (vbi Gloſſa ibidem) *non populum ſequendũ*, ait, *ſed Doctores, qui licet pauciores ſint, ſanioris tamen ſunt conſilij* & d. 62. ait Cæleſtinus ep. 3. cap. 3. *docendus eſt populus, non ſequendus*. procul dubio de ore Sacerdotis, non populi expectandum, quid in rebus fidei ſit tenendum, vel reſpuendum. *Eſto*, dictum eſt Moyſi. cap. 18. Exodi, *in populo in ijs, quæ ad Deum pertinet, vt referas, quæ dicuntur, ad eum, oſtendaſque populo cærimonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus, quod facere debeant*; populus verò timeat, & Sacerdotem vereatur, non legem præfigat, non ſuffocet Sacerdotem, vt ſecundum eius placita definiat. *Timuitque populus Dominum, & crediderunt Moyſi ſeruo eius*. Poſuit Deus Paſtores, & Do-

cto-

ctores post Apostolos, *ne circumferamur omni vento doctrinę*, Eph. 3. neuè simus velut *paruuli fluctuantes* ait idem Apostolus. Quis ergo Pastores, & Doctores instruet, qui instruendus suscipitur? *Boues arabant, & asinæ pascebantur* Iob. 1. significando, vt minores fidei maiorum inhæreant, & nullo modo inuertatur ordo, vt Boues terram proscindant, hoc est subtilitates aperiant, & Asinæ pascantur, vt exponit Greg. loquātur Doctores sapientiā, sed inter perfectos, & paruulis non detur esca subtilioris doctrinæ, ne fauces simplicium suffocentur. Simplicia elementa fidei tradantur ijsdem, nullo pacto virgula censoria, vt de dogmatibus dijudicet, tribuatur, nam si cæco vulgo tribuatur talis facultas, facilè potest damnare, quod ignorat. At nihil est iniquius (ait Tertull. in Apolog. cap. primo) *quàm, vt homines oderint, quod ignorant, etiam si res mereatur odium*, tunc enim meretur, cum cognoscitur an mereatur. Optimorum (ait idem) potius ille iudex est, qui cognouit, & intelligit, quod ignorat, etiam si res mereatur odium. Quare duplex esset peccatum populi iudicium vsurpantis, & de dogmatibus disserētis, si de sua sapientia, dogmata tamen nesciens, supra Patres, & Doctores, vel contra, aut præter illos sentiret (quod tamen Patres probarent,) & iniustitię, odio habendo, quod nesciatur, cum bonum esse possit, quod ignoratur. Discat quis à populis, quod sensibus præsto est, at subtilia à sapientibus addiscat.

9 Quod si liberæ populis habenæ laxentur, nedum religionis interitus, sed tragicus regnorum exitus expectabitur, Anarchia introducta. Hoc disertè Nicephorus Gregoras lib. 11. manifesto exemplo declarauit, qui videns suo tempore prophanum vulgus de-

my-

mysterijs differere, signa quoque (vt euenit) ruituri Grecanici Imperii, exhibuit. *Apud* nos, inquit, *etiam opificibus effusa sunt arcana Theologiæ; atque ita omnes inhiant ratiocinatiunculis, & sermonibus syllogisticis, vt herbæ, & pascuis armenta. Et illi quidem recta fide ambigui sunt, & quid, nec quoque modo credendum sit sciunt, nec quid sit aliud, quod credere se dicunt. Illi in qu... im, & fora, & porticus Theologia impleuerunt. Neq. ... im hunc testem facere impudicitiæ suæ reuerentur. Quomodo autem non sit absurdissimum? Olim quidem cū florerent Gentiliū dogmata, ordinationē aliquam fuisse & arcana, quæ Delphorum Theologis commissa erant; nulli alij, vel edicere, vel indicare licuisse, siuè is Plato, siue Socrates, aut alius sapiens celebris fuisset. Apud nos verò, qui purum pietatis, mysterium profitemur, ita cernimus profanari res diuinas, vt omnibus, qui de Theologia differere volunt, id liceat suopte arbitrio, & suffragio*, quę omnia imminentis ruinę Grecorum, apertū fuisse iudicium Scriptores non ignobiles testati sunt.

10 Sit Rex ille, sit Imperaror, à Sacerdotibus mystica ediscat. Prçclarè Facundus Africanus Imperatori scribebat (cuius scripto monitus tandem ad Sacerdotes confugit) *Melius* est ait, vt *Imperator semet intra limitem suum contineat, quem cum transgreditur, perdere multos potest, lucrari neminem. Nam & suas officinas habent, vel artifices, omniaque ex proposito doceri videmus. Nunquam enim de tonstrina personare incudes audimus, & ignem illic in fornacibus anhelare. Neque comperimus à sutore quæsitum, quæ cuiusque fabricæ proportio latitudinis cōueniret, & quàm vtrisq. conueniens congrueret altitudo: quomodo illa integrescere possunt, quæ ab ipsis artis sunt præceptoribus instituta*

F

tutæ Scholæ. Ideò in contemptu sunt diuinæ litteræ, quæ nec suam scholam, nec Magistros habent, vt de quibus peritissimè disputare se credat, qui nunquam didicit. Quibus verbis eruditus Imperator Iustin. controuersiæ fidei iudicium ad PP. Vigilium detulit.

11 Meritò ergo populorum consensus in rebus subtilibus fidei extra Apostolici scrinia collocatur, & collocandum esse etiam ex Pontificum praxi in definitionibus apparet, quam ex S. Petro didicerunt: à vulgi enim sententiis de Christo alienus, solam illam pronunciauit sententiam, quę in diuinę reuelationis thesauris continebatur. Audiamus Ambrosium lib. de Incarn. Dominicę Sacram. cap. 4. *Laudatur*, ait *Petrus quia Dei Filium credidit, quem videbat, quia se ab imperitæ plebis rudibus adhuc opinionibus separabat. Denique cum interrogasset Dominus, quid homines de Filio hominis existimarent, cum diceretur vulgi sententia, Petrus tacebat. Taces ergo Simon, & respondentibus alijs adhuc taces, cum ipse sis primus, qui etiam non interrogatas interrogas, nec times ne reprehendaris à Domino, quia non respondes interroganti? Ideò (inquit) non respondeo, quia non interrogor meam, sed alienam sententiam: legi enim, vt non loquatur os meum opera hominum; opus autem est perfidorum perfidias prædicare. Ergo taceo adhuc, quia non dum id, quod sentio interrogor: non proferam labijs, quod animus non probauit. Erit tempus quando respondeam: Interrogabor, & ipse, quid sentiam, tunc demum respondebo, quod meum est. Meum est enim fidem loqui, pietatem asserere, gratiam prædicare. Non igitur*, quasi pigrior *sensu voce tardior, tacet, nec quasi fastidiosus differt vocis obsequium, sed quasi cautus periculum vul-*

garis

garis opinionis euitant, qui periculum non euaſit ſalutis. Denique in poſterioribus habes, quia exiliuit è naui, vt occurreret Domino non gloriæ cupidus, ſed obedientiæ præmaturus. Egregiam ſanè praxim à Summo primo Pontifice Petro ſucceſſoribus oſtenſam, ſemper omnibus in definitionibus Conciliorum, & Summis Pontificibus æmulatam, quando excluſis populorum turbis, laicis quoque Principibus, cum ſolis Sacerdotibus collationes factæ inter Eccleſiaſticos proceres, & diſcuſſæ, & nullo populi iudicio habito, iuxta regulas fidei, de fidei dogmatibus pronunciarunt.



CAPVT X.

Reuelationes factæ particularibus personis, quia ad fidem Catholicam non pertinent, in depositi scrinio non locantur: recipiendæ tamen consequenter ad fidei confirmationem, vt & miracula.

1 
VM ergo fidei nostræ depositum, vt supra dictum est, ex vniuersalitate temporis, locorum, & personarum testimonium accipiat, eiusq. ratio formalis sit diuina reuelatio, non quæcumque facta priuatis personis, sed publicis præconibus, & ministris sermonis, dicente Apostolo, *superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*, Ephes. 2. & Tertullianus, ait *Christum Dominum semel Euangelium, & eiusdem regulæ doctrinę Apostolis delegasse*; lib. de pręscrip. c. 20. & 29. consequens est, vt particulares reuelationes extra fidei arcã collocentur, cum à Prophetis, & Apostolis non fuerint Ecclesiæ consignatæ.

2 Hinc Paulus, qui per reuelationem acceperat Euãgelium, contulit illud cum Petro Gal. 1. ne fortè in vacuum curreret, vel cucurrisset: facilè enim repulsam passus esset, si idẽtitatem depositi publicę doctri-

næ à cęteris collegis prędicatæ, suffragio Petri obsignatam populi non reperissent, & eatenus est Pauli reuelatio intra scrinia collocata, quatenus ipsissima, quæ ijsdem prædicanda fuerat demandata. Graui etiam quęstione eorum circa legalia exorta, non reuelationes particulares adduxere, sed ex deposito publicę doctrinæ Euangelicæ contra Iudaizantes est definitum.

3 Rationes etiam suffragãtur. In politia enim benè ordinata, quę ad rempublicam generaliter pertinent, non priuati homines referunt, sed publici oratores, & ministri, multo magis, quę Deus reuelauit, non à priuatis, sed publicis ministris proponenda, & ab ijsdem accipienda. Amplius cum Ecclesia sit ministra obiecti fidei, & credendorum mensura, non ad priuatas personas recurrendum, sed ad Ecclesiam, quæ quicquid illi consignatum est pandit, nec nouiter super inductum promulgat. Accedit, quod mensura debet esse infallibilis, & certa. 10. Met. & 1. cap. 2. 9. 1. a 3. is autem cui fit talis reuelatio particularis, infallibilitatis dono præditus non est: cum enim prophętia nõ sit habitus (quo vtantur prophętæ, vt volunt) sed actus; contingit, vt prophęta aliquando tangatur Spiritu sancto, aliquando dicat aliqua ex Spiritu proprio, vt patet de Nathan quem consuluit Dauid, vt templum ędificaret, & deceptus est (vt tradit cum Greg. S. Th. quęst. quodlib. 12. a. 6.) vnde S. Augustinus lib. 6. confess. cap. 13. cum de futuro matrimonio suo deprecaretur Deum eius mater, vt per visum ei aliquid ostenderetur dicit, quòd *videbat quidem vana, & phantastica, quo cogebat impetus de hac re satagentis humani spiritus, & narrabat mihi, non cum fidu-*

cia, quà solebat, cum tu demonstrares ei, sed contemnens ea; dicebat enim discernere se, nescio quo sapore, quem verbis explicare non poterat, quid interesset inter reuelantem te, & animam suam somniantem. Vnde argumentum, ex his visionibus ductum, vt fluctiuagum,& incertum (quia ab aduersarijs Hæreticis,quoque poterat vsurpari) repudiat S. Augustinus lib. de vnit.Ecclesiæ,cap.16.vrgentibus enim Donatistis, vt ad eiusmodi visiones recurerretur in dogmatum discussione,sic eosdem perstringit. *Ostendat* nempè Ecclesiam suam Donatus per *omnes gentes diffusam: & non dicat verum est, quia hoc ego dico, aut quia hoc dicit ille collega meus, aut illi collegæ mei, aut illi Episcopi, vel Clerici nostri: aut ideò verum est, quia illa mirabilia fecit Donatus, vel Pontius, vel quilibet alius; aut quia homines ad memorias mortuorũ nostrorum orant, & exaudiuntur, aut quia illa, aut illa, ibi contingunt, aut quia ille Frater vester, aut illa Soror nostra tale visum vigilans vidit, vel tale visum dormiens somniauit: remoueantur ista figmenta mendacium hominũ. l. portenta fallacium spirituum: aut enim non sunt vera, quæ dicuntur, aut si hæreticorum mira facta sunt, magis cauere debemus*. Et vnde quæso Tertull. vt patet lib. de anima cap. 9. effigiatam animam esse dogmatizauit,nisi ex huiusmodi visis, & somnijs? vnde Vincentius Donatista falsa dogmata eructauit, & ad hæreticos scribendos libros conuolauit, nisi alterius Vincentij hæretici apparitione, & visione? lege August. de anima,& eius origine lib. 3. cap. 2. Ille etiam alter Donatista reprehensus ab August.epist.165.ad Generosũ,qui Angelum sibi astitisse astuta nouitate fingebat. Quę portenta Anabaptistę ex ijsdem fictis reuelatio-

lationibus non euulgarunt? quę Ecſtatici? quæ Enthuſiaſtæ? quæ alij fanatici, & impoſtores non publicarunt hęreſum monſtra? quot etiam non de media plebe viri mulierculis ſe ſe erudiendos eiuſmodi viſionibus, & reuelationibus tradiderunt, vt non dubitarint ex huiuſmodi priuatis reuelationibus in rebus fidei decidendis, firmum poſſe ſumi argumētum apertè pronunciare?

4 Habemus pro veritate noſtræ religionis firmanda, innumeras, eaſque veras viſiones fide digna ſcriptas, in Eccleſia recitatas in vitis SS. probatas, & à SS. Patribus receptas, quas nullus niſi temerarius, & impius negare poteſt. Carpum ætatis Apoſtolicæ coæuum viſionibus illuſtratum ſcribit Dionyſ. epiſtola ad Demoph. Sanctus Cyprianus plurimis viſionibus, & reuelationibus illuſtrari à Deo dignatus eſt, epiſt. 8. 10. 57. epiſt. 33. 34. 35. & epiſt. 69. vbi quoque addidit. *Quāquam ſciam ſomnia ridicula, & viſiones ineptas quibusdam videri, ſed vtique illis, qui malunt contra Sacerdotes credere, quàm Sacerdoti.* Quàm multas Sancto Martino factas reuelationes recenſet Seuerus dial. 2. cap. 14. & ca. 11.? Helenæ viſionem de Cruce Sancta inuenienda, quot Patres cōmemorant? Euſeb. in vita Conſtant. lib. 1. cap. 22. Theod. lib. 3. cap. 17. Ambroſ. de obitu Theodoſ. Paulin. epiſt. 11. ad Seuerum, Chryſoſt. hom. 8. in Ioa. Pro reliquiarum inuentione viſiones habitas ſcribunt Auguſt. de vnit. Eccl. cap. 16. & de Ciuit. lib. 22. cap. 8. & 1. retract. cap. 13. Ambroſ. epiſt. 91. & 85. Paul. epiſt. 12. ad Seuerum. In Gregorio lib. 4. dial. cap. 55. cap. 56. & ho. 27. in Euangelia luce clariores, autenticas viſiones deprehendes multis viris ſanctiſſimis factas. In Beda alias

grauissimás li.4.Hist.Anglic.c.14.& alijs; quibus Deo caram,& acceptam religionem nostram eiusque dogmata diuinis testificationibus Angelorum ministerio factis,satis superq. reuincimus.

5 Verum hæ visiones non antecedenter (sicut etiã de miraculis dicimus) se habent, sed consequenter, non vt media sola ad probandam fidem, sed iuncta cum alijs,non vt antecedentia, sed vt subsequentia accipienda sunt. Hinc S.August. de vnitate Ecclesiæ cap. 16. cum præmisisset, ex Euangel.Luc. 24. quod Christus Dominus cum resurexisset à mortuis, & discipulorum oculis videndum, manibusq. tangendum Corpus suum offeret,nihilominus ne *quid fallaciæ se pati arbitrarētur,magis eos testimonijs legis,& Prophetarum, & psalmorum confirmandum iudicauit, ostendens ea de se impleta,quæ fuerunt tanto ante prædicta. Ipse etiam Petrus Apostolus*, vbi suam visionem commemorasset de transfiguratione Christi proprijs oculis visa in monte Thabor,subiecit nihilominus. *Et habemus firmiorem propheticum sermonem,cui benè facitis attendentes,&c.*2. Petr. 1. Vnde PP. & si multas perspectas visiones haberent, atque probatas,quibus non possent nostri aduersarij contradicere; tamen magis ex deposito argumenta sumpsere,quàm ex visionibus, vt nulla esset fallaciæ suspicio,maiorem enim obtinet authoritatem Ecclesiasticum depositum, & Ecclesiastica authoritas, quàm quæcumque allegari possent priuatæ visiones. Vndè in Conuersione Pauli, non tàm visionem attendere, quàm inexpugnabilem, & inuictam Ecclesiæ naturam admonitus est;ostensumq. ei visibilem, quam persequebatur Ecclesiam, ita esse inexpugnabilem, vt perindè esset contra illã dimica-

re,

re, ac calces denudatos contra stimulum iactare. [Durum est tibi contra stimulum calcitrare.]

6 Verum quoque est, quod S. Cyprianus cum Synodo Africana, pacem lapsis dandam statuit ex diuina reuelatione, prius enim non dabatur pax nisi in periculo infirmitatis, vt fortiores essent ad passionis prælium. Motus est autem Sanctus ex necessitatis articulo imminentis persecutionis, adiunctis etiam reuelationibus, dicens Epist. 54. *Sed enim cum videamus diē rursus alterius infestationis appropinquare cæpisse, & crebris atque assiduis ostensionibus admoneamur, vt ad certamen, quod nobis hostis indicit armati, & parati simus, etc. necessitate cogente, censuimus eis, qui de Ecclesia Domini non recesserunt, &c. pacem dandam esse, & eos ad prælium, quod imminet armari, & instrui oportere; Obtemperandum est namque occasionibus, atque admonitionibus iustis, vt à Pastoribus oues in periculo non deserantur.* Et post adducit Scripturas, Ezech. 34. *Ecce lac consumitis, lanis vos tegitis; & quod crassum est interficitis, & oues meas non pascitis.* Et subditur. *ne igitur ore nostro, quo pacem negamus, quo duritiam magis humanæ crudelitatis, quam diuinæ, & paternæ pietatis opponimus, oues nobis commissæ à Domino reposcantur, placuit nobis, Sancto spiritu suggerente, & Domino per visiones multas, & manifestas admonente, & pacem lapsis dare.* Vide, inquit, Pamelius *verba non solum nunc, sed olim in Concilijs ab ipsis Ecclesiæ incunabilis vsitata, nam* Act. 15. dicitur. *placuit Spiritui S. & nobis.* Vide etiam decretum primum innixum loco ab authoritate Conciliorum desumpto, & illi visiones adiunctas subsequi, non præire, consequenter, non antecedenter afferri.

Sed,

7 Sed, & S. Felix 3. ad Petrum Antioch. primo tom. Concil. p. 2. in epist. decret. aduersus additionem Trisagio appositã, *qui crucifixus es pro nobis*; sic dicit. *Ab Angelis nobis laus ista profluxit, qui ante Crucem dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, sicut respicere Esaias meruit: post Crucem verò cum laude clamabant, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*. Deniq. cum *terremotu Constantinopolis quateretur, populusque in campo oraret, infantulus toto populo spectante cum Proclo Ciuitatis Episcopo, in Cælum per vnã horam raptus est, ibique huiusmodi didicit hymnum: rursusq. descendens nunciauit, quæ in æthere audierat, dicens: de Cælo, quasi de multitudine psallentium huiusmodi laudes insonuisse auribus suis: dictumq. sibi, vt eam laudationem populo indicaret. Quam vbi populi incæperunt, Ciuitatem receperunt, Deoque per huiusmodi laudem propitio facto, ab imminenti ira liberati sunt*. Idem scribit Quintianus Episcopus Ausculanus, apud Baronium anno. 483. num. 60. Vides ergo dogma Catholicum, primo ex scriptura, deinde consequenter, ex superabundantia, cælesti reuelatione particulari, & probata confirmari. Secundum hunc sensum August. 10. de Ciuitate Dei cap. 31. dixit, aliquid Angelis reuelantibus, fidem adhibendum, *quapropter* (ait) *diuinæ auctoritati, humana cadat infirmitas, ijsq. beatis, & immortalibus de vera religione credamus, qui sibi honorem non expectant, quem Deo suo, qui etiam noster est, deberi sciunt*. Accipiuntur ergo, vt coadiuuantes iam reuelatam doctrinam, tales reuelationes, &c.

8 Nec obstat, quod idem August. 7. contra Donat. c. 53. loquens de baptismo per iocum dato, dixerit, *Si totum ludicrè, & mimicè, & ioculariter ageretur, approban-*


bandus esset baptismus, qui sic daretur, diuinum iudicium, per alicuius reuelationis oraculum, concordi oratione, & impensis supplici deuotione gemitibus, implorandum esse censerem. Si quidem August. non de dogmate, sed de facto loquitur, nesciri enim poterat animus, si iocosè, vel ludicrè minister baptizasset: vel si loquitur de dogmate, dicit expectandam quoque reuelationem, non primariò, & absolutè, sed vt magis atque magis notissimum dogma ex alijs capitibus, ex hoc etiam roborari posset.

9 Duo ergo extrema cauenda. vnum ne passim tales reuelationes adstruantur, neuè eisdem tanquam diuinæ regulæ innitantur. Alterum ne indiscriminatim omnes repudiemus; nam vt hoc impietatem, illud leuitatē ostendit. Media ergo via procedendum est, nam, vel tales reuelationes fiunt priuatis personis, vel Proceribus Ecclesiæ. Si priuatis personis, tàm de accipientibus, quàm testificantibus, Papæ Gelasij documenta seruanda, imò Apostoli. *Spiritum nolite extinguere. prophetias nolite spernere, &. Omnia probate, quod bonū est tenete* 1. Thessa. c. 5. Si de reuelationibus factis Proceribus Ecclesiç, vel ab ijsdem propositis loquamur, tàm fidem, quàm mores, vel cultum concernentibus, magnum authoritatis pondus habent, non tamen tale est, vt fide Catholica fideles adstringantur ad eas credendas; nec enim de fide credendæ proponuntur, sed vt media assumuntur ad dogmata suadenda, & probanda: sicut, & ad canonizationem SS. vnde, & easdem reuelationes, vt probabiles, & moribus conducentes interdum probat Ecclesia, vt patet de reuelationibus S. Brigittç, &c. ex qua doctrina euidēter apparet eiusmodi reuelationes, ad Apostolicum de-

depositum non pertinere, cũ has non de fide accipiendas arctet Ecclesia, nec illis solis tanquam medio infallibili nitatur ad controuersi as fidei finiendas.

10 Sed etiam si miraculis, & signis doctrina aliqua approbaretur, non propterea fide credenda proponitur, si in deposito aliàs contineri non appareat. Prædicauerunt Apostoli mandante Domino, sed eodem *cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* Marc. 16. Et S. Paulus Heb. 2. dixit de fide, quòd cum *initium accepisset enarrari per Dominum, in nos confirmata est, contestante Deo, signis, & virtutibus, &c.* vbi patet signa consequenter, non antecedenter in credendorum propositione se habuisse: nam, & qui taliter affecti sunt, vt fidei iugo colla submittere non sunt parati, nisi signa, & prodigia viderint, meritum fidei ammittunt, & de infidelitate taxantur. Quare meritò diuiti illi quærenti prodigia pro fratribus suis, responsum est Luc. 16. *Si Moysen, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Benè ergo, & sapienter annalium dictator Baronius anno. 451. aduertit nullam Synodum in decisione controuersiarum fidei, miracula expectasse, sed eas ex deposito scripto, & non scripto Dei verbo terminasse: ibidemque confutat quosdam scriptores, qui dixerunt ante definitionem Concilij Chalcedonensis accidisse sequens miraculum, nempè, quòd cum descriptis libellis hinc à Catholicis, illinc ab hæreticis, ijsque positis in sepulchro S. Euphemiæ ad sciendum vtra fides recipienda esset, accidit, quòd libellus ab Hæreticis conscriptus, ad pedes Sanctæ Martyris repertus sit: Catholicorum verò in eiusdem manu dextera, quam extendens, libellum porrexit Imperatori. Tale nam-

namque miraculum oſtendit Baronius ex Zonora to. 3.non ante defenſionem Concilij accidiſſe, ſed poſtea ad confirmandum in fide titubantem populum, & pernicacam hæreticorum extinguendam, vt accidit etiam quando S. Dominici liber Catholicus illæſus ab igne exiliuit; combuſtis hæreticorum libris. & ſubdit Baron. *ad confirmandam fidem firmiorem eſſe propheticum ſermonem,ipſam diuinam Scripturam, traditionem*,quod & S.Petri Apoſtoli teſtimonio habetur expreſſum, vt ſupra dictum eſt.



CAPVT XI.

Varijs vijs Diabolus attentauit sacrum depositum deprædari, & inuertere.

1 
O C autem Sacrosanctum depositum varijs modis aggressus est versutus Diabolus (vt verbis Origenis vtar. lib. 1. in Iob.) *per innumeros errores, per abundantes seductores, & pseudodoctores, quibus hic mundus repletus est, quos nequissimus seminauit, quos atrocissimus ille produxit, quos malignissimus fecit*. Igitur ad *ea vsque tempora* nempè Traiani, ex Euseb. lib. 3. cap, 32. *Virgo pura, & incorrupta mansit Ecclesia, ijs qui sanum Saluatoris prædicationis canonem corrumpere conati sunt, si tum tamen aliqui fuerunt, in obscura quadam caligine, ad id vsque temporis delitescentibus. Postquam autem sacer Apostolorum Chorus differentem sortius est finem, & generatio illa præterijt, quæ diuinam sapientiam ipsis auribus audire meruerat, tunc impij erroris conspiratio, per seductionem eorum, qui alienam doctrinam tradebant, initium cœpit, qui etiam, quando nemo amplius superstes erat ex Apostolis, iam nudo vertice contra veritatis prędicationem falsi nominis scientiam, ex aduerso prædicare conati sunt.*

2 Hi autem fuerunt alij primæ ætatis hæretici, quos San-

Sanctus Ignatius martyr, Irænæus, & alij ex traditionis, & depositi inspectione refutarũt. Inter ceteros hi Nouatorum prodomi, hac via depositum aggressi sũt: Non esse asserendum aliquid nisi esset in Euangelijs, aut in archiuis repositum, ita refert S. Ignatius epistola ad Philadel. *Audiui quosdam dicentes, nisi Euangelium inuenero in Archiuis, non credam. Talibus ego dico, quod Iesus mihi pro archiuis est*, & postea *nec enim spiritus debent archiua praeferri. Durum est contra stimulum calcitrare. Durum est Christo nolle credere. Durum est prædicationem Apostolorum reijcere.*

3 Alij postmodum traditionibus adhærentes, in accusationem scripturarum conuersi sunt, vt scripsit Iræneus lib. 3. c. 2. Subdolè alij fingentes se scripturas recipere, scripturis addiderunt, vel minuerunt, sicut & alij, qui traditiones receperunt, suas tamen Deuteroses, veluti centones, veris traditionibus affixerunt, *multitudinem apocbryphorum inducendo*, vt scripsit idẽ Iræn. lib. 1. cap. 17. Vnde, contradictorios libros aduersus Christi fidem attentasse, de Simonianis testatur Dionis. cap. 6. de diui. nom. Acta Apostolorum, & scripta Pauli impeterunt Ebionitæ, ex Polycarpo epistola ad Smyrnens. Solùm Euangelio vtentes (ex Iræneo lib. 3. cap. 15. lege, & præcepta Moysi abominabantur. Et in ea contineri non Dei, sed hominum præcepta, Ptolomaitæ dicebant, ex Iræn. lib. 4. cap. 29. & Theoph. ad Autholy. lib. 2. vetus quoque testamẽtum Cerdo reijciebat (ex Iren. lib. 2. c. 66.) similiter, & Euangelia (Lucæ excepto) Acta quoq. & ep. aliquas similiter & Apocalyp sim. Marcion, nouum quoq. testamentum mutilauit, vetus respuit, ex Iræn. lib. 1. cap. 29. Similiter, & epistolas Pauli legem, & Prophetas Apel-

Apellitæ, ex Tertul. in Apol. cap. 13. Tatiani nec Acta, nec epistolas Pauli recipiebant, ex Euseb. lib. 4. cap. 29. sed, & Athemonitæ ex eodem Euseb. scripturam corruperunt, antiquam fidei regulam proteruè, & impiè respuentes. Aquila Theodotion temerè scripturam innouarunt, sicut & Symmachus, & hos inter se in viciatione scripturæ non conuenisse, sed vnumquemque sua propria induxisse (adeò, vt exemplaria plurimum inter se dissiderent) scribit Epiph. de pon. & mens.

4 Alij supposititia sacro librorum deposito copulare conati sunt: tales fuerunt Sethiani, libros septem nomine Seth proferentes. Encratitæ, Andreæ, Thomæ scripta producentes: Achrontici Symponiæ magnæ, & paruæ libros apponebant, vide Epiph. aduer. hæres. Multa quoque nominibus Prophetarum, & Apostolorum prolata fuisse ab Hæreticis, testis est Augustinus 14. de Ciuit. cap. 23.

5 Sed à Patribus depositum interim inuictè à furibus defendebatur. Et quidem ante persecutionis Diocletiani temporat liberius Euangelium decurrebat, doctrina Christi mirificè dilatabatur, custodiebatur, sine vlla contradictione depositum, adfauentibus, & incredibilem beneuolentiam erga nostræ professionis religionem exhibentibus, ijs Principibus, qui Christo nomen dabant, vt latè Eusebius lib. 8. cap. primo. *Vt nec vesanus ille, & perditus Dæmon, vel suo ipsius conatu in inuidiam rapere, vel hominum insidijs vlla ex parte potuerit impedire.* Verum altissimo Dei consilio Diabolo potestas permissa, vt Ecclesiam persecutionibus exerceret, Gentilium furorem armando, quo eam redderet illustriorem. Edictum ergo de-

tra-

tradendis sacris codicibus, vt igne cremarentur euulgatur; rursus persecutio, quæ fuit in omni prouincia instauratur, Pręsides constituti, qui Sacros libros Sacrosancti depositi partem, vbi nam seruarentur, exquirerent, exquisitos adducerent, abductos in medio foro rogo imponerent, quod oculis proprijs inspexit Eusebius, l. 8. c. 2. Non defuerunt, vitę temporali consulentes, qui codices consignarunt, vnde, vt hi traditoris titulum, meruerunt, ita qui mori potius, quàm eos prodere maluerunt, illustri martyrij pręrogatiua effulxerunt. Plenæ his Ecclesiasticę tabulę, vbi commemoratio legitur plurimorum Sanctorum Martyrum, qui spreto Diocletiani Imperatoris edicto, quo tradi Sacri Codices iubebantur, potius corpora carnificibus, quàm sancta dare canibus, maluerunt. Inter eos Ecclesiarum Pręsules mirificè enitebant, quorum si qui (quę est humana conditio) depręhēsi fuissent persecutoribus cēssisse, tradēdo, Codices, in Synodis, eorum causa discutiebatur, & transgressores amandabantur, ex August. 3. con. Cresc. cap. 27. in Breui. collat. 3. diei c. 3. Sic in Synodo Cirthēsi, de multorum Episcoporum causa tractatum est, multique à gradu eiecti Traditores, qui postea rabie perciti, Carthaginem adeuntes Maiorinum Pseudoepiscopum crearunt, contra Cęcilianum Episcopum: cumq. ijdem essent manifestissimi traditores in Cęcilianum traditionis crimen falsissimè retorserunt, & Schismati hęresim addiderunt; cuius semina Lucilla factiosa foemina peperit, auaritia nutriuit, ambitus roborauit, & à Donato successore Maiorini cum Schismate Donatistarum nomen eorum factio assumpsit. Pręceteris autem depositi custodibus Romani pręsules enitue-

ctis admotus extinguitur,grandines adhibentur,omnisq. ipsa regio,pro scripturis Dominicis,elementibus furentibus, deuastabatur.

7 Hęc depositi inuasio, aperta verbi Dei scripti, & non scripti cum cęterorum dogmatum orthodoxorū primitiuis sęculis, & nonnullis sequentibus, sagitta fuit volans in die,& Dęmonium meridianum, hoc est aperta,& manifesta sęuitia, & ęstus diaboli, & ministrorum eius hęreticorum atque Gentilium, armis, idest sagittis, linguis depositum inuadentium. Verùm *timore* etiam *nocturno*,& *negotio perambulante in tenebris* (hoc est occultè,& per noctem) idem depositum adorsus est per ministros tenebricosos. Nec mirum, nam ex Nazianz. oratione de calamit. animę suę: *Semper humano generi infesus, atq. infestus Diabolus, nec cum ipse ob nefarium consilium suum è cælo in terram præceps actus sit, ex terra Cęlites fieri pati potest: miserrimus nūc,qui primariæ excellentissimæ q;pulchritudinis gloriam summumque, ac regium Dei honorem affectans,nihil aliud est consecutus, quàm vt pro luce tenebris obtegeretur. Eòque fit, vt tenebricosis actionibus semper oblectetur,tetrique, ac caliginosi vitij principatum in terra teneat. Duplicis porrò ille formæ est, atq. obliquo,& versipelli consilio,alios aliosq. subindè laqueos nectit,est quidem illa caligo obscurissima.*

8 Insidijs quidem laqueos nexuit, quando carnis quoque illecebris inescauit animales spiritum habentes,& ad suam nassam pertraxit. Hinc vxorum communitas à Simone introducitur. Epiph. hęres. 21. In multiplici fœminarum coitu, turpibusque, ac intollerabilibus actibus (quos nec dicere fas est) versabantur Nicolaitę,ex eodem hęr.25. lumine amoto ad cę-

nam conuenientes viri cum mulieribus turpiter alij miſcebantur ex Clem. 3. Strom. Carnis voluptatibus inſatiabiliter inſeruiebant Valentiniani, ex Irenęo lib. 1. cap. 8. 9. 10. Poſt epulas ad ęſtrum ſe conuertebant Gnoſtici, viro vxorem ſuam alteri concedente ex Epip. hęr. 26. Fęminas maximè honeſtas, & circumpurpuratas Marcoſiani corrumpebant, ex Iren. lib. 1. cap. 8. nudi in Hypocauſtis, & locis ſubterraneis lucem fugientes conueniebant Adamitæ: communeſque mulieros faciebant, & lumine extincto, promiſciuè in quacumq. incidiſſent commiſcebantur, ex Theodor. lib. 1. hęret. fabularum. Harum turpitudinum heredes fuerunt Symmachiani diſcipuli Patricij Manichęi, & alij. Et nouiſſimè Anabaptiſtarum examina, Condormientes, & Fratres (vt vocant) de familia charitatis, ſunt imitati.

9 Hoc modo (vt dicit Euſebius 4. Hiſt. cap. 7.) *qui iam pridem perſecutionum procellis* (hoc eſt aperto Marte) *& impetu hæreſico*, Machęra, ſcripturas adoriendo, aduerſus Eccleſiam dimicauerat, *ab illis vijs interclusus, viris perditis; & plenis pręstigiarum tanquā quibusdam instrumentis, ad perniciem animarum, atq. adeò ministris ad interitum comparatis, vsus; alio insidiarum genere oppugnare, omnesq. vias excogitare voluit, quibus præstigiatores, & homines fraudulenti, illam ipsam nostræ religionis appellationem callidè prætexentes, non modo fideles, quos fortè laqueis suis irretirent, in profundam internicionis voraginem vna secum præcipitarent; sed etiam fidei ignaros, rudesq. perditis illis conatibus pariter ab auditu, qui ad salutare Dei verbum patebat, penitus auerterent.* Si quidem propter ſpurcitias Gnoſticorū, malè audiebat Chriſtianorum nomen,

men, quod hęretici ideo assumebant, vt negotia perambulantia in tenebris exercerent, vt coacti sint Tertull. Iustinus, Clem. Alex. Orgia illa, & infanda mysteria apologeticis scriptis demonstrare, non à Catholicis Christianis, sed à tenebricosis hominibus Gnosticis exerceri.

10 Sed rursus inuidus diabolus iterato circulo, arma lucis assumens, & meridiei fulgorem, multa sub pietatis specie dogmata introducere cæpit, & depositum sacrum adoririe. Nam per Pseudapostolicos sub specie pietatis, & primo sub continentiæ laude nuptias suggillabat, quos postea secuti sunt Adamitæ, Manichęi, &c. Sub specie misericordię Caiani dicebant peccatores inuisos quidem esse Deo, sed nullam noxam pro malefactis recipere, ex Theodoreto. Hos postea imitati sunt ex parte Origenistę, docendo Dęmones tandem saluandos, ex August. hęr. 43. Sub specie rigorositatis disciplinę Ecclesiasticę, lapsis veniam negabant Nouatiani, & fores Ecclesiæ intercludebant, ex Theod. Sub pallio virtutis taciturnitatis, adeò silētio studebant Passarolonchitæ apud Philastr. hær. 29. & August. hom. 63. vt nulli rei nisi silentio retinendo vacarent. Sub specie temperantiæ Tertullianistę Catholicos, animales vocabant, quòd superinducta ieiunia trium quadragesimarum à Montanistis nollent obseruare. Sub specie pęnitentię nudis pedibus superstitiosè incedebant Helcefeitę ex Philast. hær. 82. Sub specie castitatis Vallesij (alias dicti Eunuchi) se ipsos castrabant, & peregrinos quoque in vinculis alligatos, abscīndebant.

11 Sed vt dicit Hilarius 8. lib. de Trinit. *Pijs quoque professionibus fidei, impiæ perfidiæ contradictiones atte-*

xuerunt Ariani, profitentes vnum Deum, vt simplicis fidei hominem captantes, dum subijciendo percontabãtur, an etiam Christus Deus esset, per vnius Dei fidem, à Christi Dei confessione depellerent: dum iam non vnus Deus sit, si sit Deus confitendus & Christus. cumque scripturarum eloquijs Ariani reuincerentur, & Patrũ doctrinis; illi reclamabant: *Pium est, quod volumus*. Sed idem Hil. scribens eos retundebat, lib. de Synod. contra Arianos, dicens. *Ne damnemus PP. ne animemus hæreticos, ne dum hæresim expellimus, hæresim nutriamus*, & iterum sic eos oppugnat. *Hoc nunc sub falsæ pietatis efficiunt, hoc nunc sub specie prædicationis Euãgelicæ laborartur, vt Dominus Iesus, dum prædicari creditur, denegetur*. lib. contra Arianos, seu contra Auxentium.

12 Et Anticomarianos quoque (testè Epiph. hæresi. 78.) Diabolus aduersus Christi Domini matrem suscitauit, hostes puritatis Virginalis. Sed quos tenebris, in oppugnanda virginitate Deiparæ, circumuenerat, sub specie pietatis, & lucis Collyridianos excitauit, qui vltra decorum Virginem honorantes, illam pro Deo coluerunt, eidem, mulierum ministerio, sacrificãtes. Vnde eos perstringens sic dixit. *Ceterum quandoque, & procliuè est ad praua conuerti mentem, quam ad necessaria, cum lubrica sit nostra humana ratiocinatio, & non citò dirigat imperium suum ad rectam viam Domini, sed declinet nunc ad dexteram, nunc ad sinistram, & rursus aliter vertatur nostra malitia circa easdem cogitationes, & impellat nostram modestiam, rursus ad alias vias pergere coacti sumus, ne fortè hoc ipsum, quod abundantius Virginem laudamus, fiat alicui in offendiculum imaginationis. Qui enim in filium*

Blas-

blaſpemi ſunt (quemadmodum à me ſupra oſtenſum eſt) natura ipſum ablienare à Patris deitate conati sũt. Alij verò rurſus aliter ſentientes, nimirum velut amplius honorare progreſſi eundem eſſe Patrem dixerunt, & eundem Filium, & eundẽ Spiritum S; eſt autẽ vtriuſq. inſanabilis plaga. Sic etiam de Sancta hac, & B. Virgine aliqui quidem contumelia afficere ipſam auſi ſunt, velut copulatam carni poſt maximam illam, & ſynceram Domini diſpenſationem, aduentus ipſius in carne, & eſt hoc impientiſſimum, & flagitioſiſſimum: Quemadmodum autem dicimus nos hoc audiuiſſe, quoſdam ita auſos fuiſſe, vt facillimè ſe ipſos proiecerint in peccatum, ſic admirati ſumus, quòd aliud rurſus audiuiſſemus, alios nimirum ita deſipere, vt in tractatione de ipſa Sancta ſemper Virgine pro Deo hanc introducere ſtuduerint, & adhuc ſtudeant, & furore quodam, & amentia ducantur. Et poſt enarratã hæreſim Collyridianorum, qui per mulieres collyridem eidem ſacrificabant (quod Diabolicum opus, & ſpiritus immundi doctrinam appellat) ſubdit. *Non conuenit colore Sanctos vltra decorum, ſed honorare ipſorum Dominum. Ceſſet itaque error ſeductorum. Neque enim Deus eſt Maria, neq. de cælo corpus habet, ſed ex conceptione viri, & mulieris, ſecundum promiſſionem verò velut Iſaac diſpoſita.*

13 Audiant documenta Epiph. qui ſub obtentu pietatis auſi ſunt dicere, vel B. Virginem conceptam de Spiritu ſancto, vel oſculo Ioachim, & Annæ abſque copula procreatam, vel in ventre Annæ in gloria conceptam, videndo diuinam eſſentiam, & huiuſmodi. Idẽ Epi. hæreſ. 79. ait, *Sicut autem per contumeliam Anticomariani, qui hæc opinari videntur nouas opiniones in cogitationes hominum ſeminant; ſic etiam hi Collyria-*

ni ad alteram partem inclinantes, in summo detrimento deprehendũtur, quo illud, quod apud externos, quidem Philosophos celebrè est, dum dicunt. Extremitates æqualitates, etiam in ipsis impleatur. Aequale est enim in vtrisque his sectis detrimentum, cum illi quidem vilipendant Sanctam Virginem, hi verò rursus vltra decorum glorificent. Hi enim, qui hoc docent, qui sunt præterquam mulieres? Muliebrè enim genus lubricum est, erroneumque, ac intellectu humili præditum, etenim, & ipsi Diabolo visum est hoc à mulieribus euomere. Quemadmodum enim supra apud Quintillam, ac Priscillam ridicula sunt dogmata, ita etiam hic; & in fine vocat hanc hæresim *Cantharidem forma quidem auricolorem, alatam* verò, & volantem, venenaque iaculantem, & virus in se ipsa habentem.

14 Felix quoque Tertius inuehitur contra Petrum Fullonem, quod sub pietatis specie Trisagio addiderit, *Qui crucifixus es pro nobis. Quemadmodum*, ait, qui *piscationem sectantur, hamum esca contegunt, & ex improuiso capiunt pisces, sic & tu Angelicæ locutioni additionem induxisti, & trisagiæ deprecationi, quasi pietatis obtentu diram impietatem excogitasti*. Præclare etiam scripsit Cassian. lib. 1. de Incarnat. cap. 2. *Non minoris erroris est Domino nostro Iesu Christo impropria addere, quàm propria denegare: quicquid enim de illo non ita dicitur, vt est, etiam si honor videatur, iniuria est.* Ergo, & si pietatem supradicta asserta incautis imo aspectu, redolere viderentur, etiam si deuotio erga Christum, vel Virginem Matrem prætexeretur, si non dicuntur, vt sunt, pia dicenda non sunt, sed potius pietati officere, vt dicebat Sanctus August. ep. 8. dicendo. *Posset aliquibus videri etiam de laudibus Dei*

esse

esse officiosa mendacia, vt apud homines pigriores dilectio eius ardescat. Atque ita nusquam certa erit in libris Sanctis, casta veritatis autoritas. Nonne attendimus eundem Apostolum cum ingenti cura commendandæ veritatis dicere, si autem Christus non resurrexit inanis est prædicatio nostra, inuenimur, & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus aduersus Deum, quod suscitauerit Christum, quem non suscitauit, si mortui non resurgunt? si quis huic diceret, quid in hoc mendacio perhorrescis, cum id dixeris, quod etiam si falsum sit, ad laudem Dei maximè pertinẽt? nonne huius detestatus insaniam, quibus posset verbis, & significationibus in lucem penetralia sui cordis aperiret, clamans. Non minori, aut fortasse etiam maiori scelere, in Deo laudari falsitatem, quam vituperari veritatem? cuius dicti ratio assignatur à S. D. in eum locum Apostoli 1. Cor. 15. lect. 2. *quia* (ait) *intellectus noster nunquam potest tantum laudare Deum, quin deficiat à perfectione illius, & ideò si non totaliter intellectus omnem veritatem de Deo possit intelligere, hoc est ad excellentiam Dei, sed si attribuatur Deo aliquid, quod nõ habet, vel non facit, videtur, quod intellectus noster sit maior Deo, & intelligat aliquid maius eo, quod sibi falsè attribuit,* hoc est, certitudine fidei eidẽ attribuendo, quod non facit, vel nõ est certum fecisse, & eadem fide laudare, quod certò nescitur ex diuinis fidei regulis, an fecerit. E contrario verò non laudantes laudanda diuina opera (& si ob simplicitatem illorum operum, & humilitatem respuantur à pusillis, sub specie pietatis) non parum pietati officiunt. Quare S. Hilar. lib. de Synod. sic talibus occurrebat. *Vobis fratres dico, qui iam non lacte alimini, sed firmo cibo veritatis. Nunquid, quia ista sapien-*

pien-

pientia mundi non intelligit, & his stulta sunt, nos cum mundo sapientes erimus, & hæc stulta esse credemus? & quia hæc impijs coæua sunt, nos non lucebimus in intellecta veritate doctrinæ? Malè Sanctis rebus præiudicatur, si quia Sanctè à quibusdam non habentur, esse non debeant. Non ergo gloriemur in Cruce Christi, quia scandalum mundo est, neque, vt viuente Deo mortè prædicemus, ne ab impijs, Deus mortis arguatur. Aequale ergo periculum est, vel quæ ad maiestatem pertinent addere sub pietatis obtentu, vel quæ ad humilitatem attinent, propter scandalum denegare. Securæ vero vocis est asserere quæ à fidei regula, & in depostito traduntur, vt nec insolentia, intuitu maiestatis, fabricemur, nec humilia respectu humanitatis confiteri erubescamus, nec vnquam putemus dogmata ad pietatem pertinere, nisi publico Ecclesiæ charactere obsignata, ad idē depositum pertinere, declaretur, nam rectè S. Cyprianus lib. de vnit. *Ecclesiæ*. *Aduersarius Diabolus, qui secundum Apostolicam vocem transfigurat se in Angelum lucis, ministros subornat suos, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, & dum verisimilia mentiuntur, veritatem frustrantur*, & rationē assignat. *Hoc ideò fit, quia ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri cælestis doctrina seruatur*. Dicamus, & nos, quòd ad depositum non confugiatur.

16 Sub specie quoque religionis defendendę, & Ecclesiasticæ Hierarchiæ tuendæ, Principes seculi aliquos animauit ambitio aulicorum, vt in ea, quæ Pontificalis ordinis sunt, censoriam virgulam arripiant, contra quā vul-

vulpinam persecutionem sic exclamauit Hil. contra Constantium. *Pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem Antichristum, qui non dorsum cædit, sed ventrem palpat, non caput gladio dissecat, sed animam auro occidit: Non ignes publicè minatur, sed gehennam priuatim accendit, Christum confitetur, vt neget, Ecclesiæ tecta cõstruit, vt fidem destruat.* & postea. *Ac primum misereri licet nostræ ætatis laborum, & præsentium temporum stultorum opiniones ingemiscere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Christi Ecclesiam, ambitione seculari laboratur*, & subdit: *Oro vos Episcopi, qui hoc vos esse creditis, quibus nam suffragijs ad prædicandum Euangelium vsi sunt? quibus adiuti potestatibus Christum prędicauerunt, gentesq. ferè omnes ex idolis ad Deum transeunt? an ne aliquem sibi assumebant è Palatio dignitatem?* postea. *At nunc proh dolor diuinam fidem suffragia terrena commendant, inopsq. virtutis suæ Christus, dũ ambitio nomini suo cõciliatur arguitur.* Cumq. hoc sit Episcoporum, non Principum discernere, quid ad depositum pertineat, optimè contra eundem Imperatorem scripsit Athanasius epistola ad solit. vitam agentes, velle tale iudicium sub specie defensionis Ecclesiæ vsurpare, esset *abhominationem desolationis in templo Dei erigere*, subdens. *Quod si istud est iudicium Episcoporum, quid commune cum eo habet Imperator? sin contra ista, minis Cæsaris conflantur, quid opus est hominibus titulò Episcopis?*

17 Quamuis autem multi fuerint Ecclesiastici iudicij vsurpatores, acerrimè tamen illis contradictum est, nã, & ille dixit. *in fidei negotio, Sacerdotum debet esse collatio* Ambros. ep. 32. ad Valentinianum: & Valentinia-

nianus epiſtola ad Synodum Epheſ. ſcitè prænunciauit. *Qui Sanctorum Episcoporum Catalogo adscriptus non est, non debet Ecclesiasticis negotijs, & consultationibus se immiscere*. Porrò temeratores, qui manus in depoſito diſcernendo appoſuerunt, diuinam vindictam expertos, eſſe annalia luculenter teſtantur.

18 Pergo alia etiam via per nimiam exaltationem ſecularis Principatus contra leges Eccleſię, Eccleſiaſticã deſtruere libertatem conatus eſt Diabolus verſipellis. Vnde de quodam ſui temporis Rege conqueſtus eſt S. Bernardus epiſt. ad Honorium Papam pro Senonenſi. *Postremo quis ambigat, non aliud eum, quàm oppugnare religionem, quam nimirum apertè sui regni destructionem, suæ coronæ proclamat inimicam, & alter Herodes Christum non iam incunabilis habet suspectũ, sed in Ecclesijs inuidet exaltatum*. Ob eiuſdem libertatis inuaſionem docet Bernardus ſer. 33. in Cant. quod plaga amara fuit in perſecutione Gentiliũ contra Eccleſiã, amarior in perſecutione Hæreticorum, amariſſima in perſecutione filiorũ, illudq. Ezechiæ impleri. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*. Dum dicunt Pax, Pax, & non eſt Pax, vt eleganter idem S. proſequitur: & per pacem inferunt Eccleſiæ bellum, indebitam ſibi poteſtatem vſurpando, operantibus id ſpiritibus erroris. His modis à primordio ſpiritalis malitia auſpicata eſt ad Sacroſancti depoſiti inuaſionem.

CA-

CAPVT XII.

Furibus, & latronibus, Sacri depositi inuasoribus, Ecclesiæ Proceres, Romanos verò Pontifices præcipuè restitisse.

1 

D nostrorum quoque dogmatum prædicationem (quia erant antiquitatis sigillo munita,& per manus traditũ depositum ostendebant) nullus vmquam nos est demiratus, nullus vnquam velut tunc primo recens, nouum, & inauditum potuit dogma designare,nullus de inuasione notauit,nec vt prędones, & fures exterruit, & insectatus est. Soli Hæretici de quibus etiam scripsit magnus Basilius ep. 63. *Tantam contra nos impudentiam induerunt,vt & somnia in nos comminiscantur,doctrinam nostrã vt nociuam traducentes,qui tamen,etiãsi capitibus suis vniuersa eorum mensium,quibus arborum folia sternuntur,phantasmata complecterentur, nullã nobis prorsus poterunt aspergere calumniam, quandoquidem plurimos habeant singulæ Ecclesiæ, qui veritati testimoniũ ferunt.*

2 Nouitia verò eorum doctrina vix orta, illicò contradictionem passa,designatis authoribus, tempore notato, dogmate de nouitate conuicto. Semper ergo obseruatum est, quod exortis hæresibus defensores

res depositi sunt à Dei prouidentia destinati: & vt verbis Eusebij vtar.lib.4.Hist.cap.23. *Ecclesiarum Pastores, vbiq.* Hæreticos *tãquam immanes quasdam, & agrestes bestias à Christi ouibus arcere, & à præda depellere laborant; interdum fratres admonendo, cohortandoque, non rarò ipsos Hæreticos aperto Marte adoriendo, & coram absque scripto, cùm disserendo cum illis, cùm eorum errores refutando; nonnumquam quibusdam commentarijs diligenter, quos* scripserant, opiniones ab illis inuentas accuratissimè *coarguendo*. Et semper, vt elegantissimè tradidit S. Vincentius Lerinen. cap. 9. *Semper hic mos in Ecclesia viguit, vt quantò quisque foret religiosior, eò promptiùs nouellis adinuentionibus contrairet, exemplis* (subdit) *plena sunt omnia*. Quæ videre non graueris in primo nostro tomo cath. præscript.à pag. 606. vsque ad finem. Clara quoque est euangelica parabola zizaniorum; vbi præsto sunt serui vigiles patris familias ad zizania detegenda, & ipsa Dei Ecclesia ex August. ep.119 cap.19. *inter multam paleam, multaque zizania constituta, multa tolerat. Et tamen, quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit.* Quomodo autem tacere possunt PP. cù ad insurgẽdum contra effossores depositi sint destinati? Esa. 62. *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes tota die, & tota nocte, in perpetuũ non tacebunt.* Quomodo cum furibus dexteras miscere possunt Pastores, & DD. qui dati sunt (ex Apostolo Ephes. 4.) *vt non simus paruuli fluctuantes? & iterum: ne circunferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris?* Erunt ne arundines vento agitatę, qui vt columnæ orbis positi sunt ad sustinendam Ecclesiam, quæ *columna*

na, & firmamentum veritatis ab Apoftolo 1. Tim.3. prędicatur? Numquam eis adaptabitur,quod hoftibus tamen competit. *Canes muti,non valentes latrare* Ef. 56.fcilicet,vt fauore,vel gratia, tempori feruientes fileant, vbi veritas periclitatur. Quin imò in illis impletur, quod fcriptum eft Zach. 13. *Et erit in die illa dicit Dominus exercituum, difperdam nomina Idolorum de terra, & non memorabuntur vltra: & pfeudoprophetas, & fpiritum immundum auferam de terra. Et erit,cum prophetauerit quispiam vltra,dicent ei pater & mater eius, qui genuerunt eum, Non viues, quia mendacium locutus es in nomine Domini,& confingent eum Pater, & Mater eius genitores eius cum prophetauerit.*

3 Sed prę cęteris,vt fupra cęteros, pręcipua ifta vigilantia in cuftodiendo depofito à Sede Apoftolica obferuata eft, recenfebimus exempla, Lerinenfis veftigia fequentes cap. 9. *vt omnes luce clarius videant, beatorum Apoftolorum beatæ fucceffio,quanta vi femper, quanto ftudio,quanta contentione defenderit fufcepta femel religionis integritatem.*

4 Igitur (vt fcribit Eufebius lib.2. Ecc.Hiftor.c. 13.) *cum fides in feruatorem, & Dominum noftrum Iefum Chriftum vbique ad omnes homines iam dimanaffet, Satan humanæ falutis hoftis capitalis, vrbemque, propter Imperij decus cęteris omnibus dominata eft,priusquam fidem Chrifti reciperet,aftutè præripere, præoccupareque molitus, eò Simonem quafi manu deducit, atque callidis illius viri præftigijs opem ipfe ferens,complures, qui Romæ domicilia rerum fuarum collocaffet, in errorem inductos fuo addidiffet obfequio:* Romam quoque Dei prouidentia Petrum deftinauit,qui Hęreticorum, paren-

rentem Simonem magum profligaret.

Ibi depositum fidei Catholicæ defendit Apostolorum Princeps S. PETRVS, eumque velut Icarum per aera volantem in terra elidi precibus impetrauit: idem depositum cum sanguine Ecclesiæ Romanę consignans.

Sub LINO erumpunt Hebion, Cherintus, Menander. Sed ne depositum inuerterent diligentissimè S. Pontifex euigilabat.

Sub CLETO (dum Domitianus se Deum deæ virginis Palladis filium attitulabat) eò feruentius depositum custodiendo, Cletus Christum Deum, filium quoque B. Virginis fidelibus prędicabat.

5 Cum autem inter Corinthios, vt scribit Iręneus lib. 3. cap. 3. de fide, & ad depositum pertinentes ortæ essēt controuersiæ, CLEMENS *potentissimas* illis scripsit *litteras, reparans eorum fidem, & annuncians, quam in recenti ab Apostolis receperant, traditionem*.

6 Elxai, vel Elxęus, sub ANACLETO Ecclesiam infestabat, sicut & Tebulis Hæreticus, qui Ecclesiam Hierosolymitanam inficere tentauerat (ex Euseb. 4. Hist. cap. 21.) at depositum Anacletus custodiebat, promulgans ex Apostolica traditione *maiores Ecclesiæ causas* ad Sedem Apostolicam deferendas epist. 1.

7 Millenariorū, seù Chiliastarū error sub EVARISTO irrepsit. (semina ignoranter iaciente quodam Ioanne Seniore, quæ posteà in hæresim eruperunt, Apollinare propugnatore) similiter Basilides, & omnium sordidissimus Carpocras, & nefandissimus Adamitarū parens Prodicus, qui omnes Gnostici, Barboritæ, dicebantur: Sed Euaristi diligentia procul à deposito arceban-

bantur, idem matrimonij solemnitates ex Apostolico deposito tradit epist. 1.

7 Sub ALEXANDRO I. Barchocebas Iudęus diuinitus se missum asserebat, illudque de se prophetatum mentiebatur. *Orietur Stella ex Iacob.* At ex deposito, de verò Messia id intelligi debere Alexander prædicabat. Epistola ad omnes orthodoxos ex deposito S. Trinitatis mysterium defendit, quid sit in sacrificio offerendum tradit.

8 SIXTI I. Papæ tempore, Aquila Ponticus ab Ecclesia pulsus, & in Iudaismum relapsus, astrologiæ iudiciariæ vanus insectator, aduersus Septuaginta editionem, nouam traductionem Iudaicis fabulis adfauentem aggreditur, Pontifice Summo depositum ab hac impietate vindicante. Idem epistola ad orthodoxos eiusdem S. Trinitatis fidem tradit ex deposito.

9 Valētinus Hęresiarcha sub THELESPHORO caput exerit in depositum irruens; Ophitarum quoq; & Caianorum examina erumpunt, similiter Sethiani, Marcionitæ, & Cerdonitæ fauos, vt vespæ facientes felle non melle plenos: Sed argumentosa apis ex aperta doctrina fauos componebat Thelesphorus, butyrum, & mel propheticum comedens, vt sciret reprobare malum, & eligere bonum. ieiunium Quadragesimale ex deposito promulgat. Epistola ad vniuersos.

10 Sub HIGINO ex Irænæo lib. 3. cap. 4. Valentinus Hæresiarcha Romam se contulit, qui cum suis Catholicam fidem confitendo, verius simulando, receptus ad communionem, sicut & Cerdo, detecti postea Hæretici ab Ecclesia proscripti, & eiecti. Item Iudaizantes Ecclesias, quæ decimaquarta Luna Pascha celebrare volebant, suo decreto, ex Apostolico depo-

sito,& traditione correxit Iren.lib.1.cap.28.3.cap.4. Tertull.3.in Marc.Socrat.lib.5.cap.21.

PIVS Epist. 2. consuetudines laudabiles, quæ non sunt contra fidem,seruandas docet: item eas,quę à *Sancto* Petro traditas longa seruauit vetustas.

11 Sub ANICETO Hermogenis hæresis prodijt. Montani secta quoque lucem aspexit,& quamuis Mõtanistis fidẽ simulantibus,litteræ pacis à Pontificæ traditæ sint,ex Tertull.ad.Prax.cap.1.tamen ;cum detecti sunt depositi Apostolici aggressores, reuocatæ sũt, & impostores exsibilati. Tatiani quoque, & Seueriani fures detecti,ab Ecclesia eliminati.

12 Ebullierũt veluti ciniphes,Bardesanes, Marcus Colarbasius, Sacramentarij, & alter Prodicus Hæresiarchæ sub SOTHERE Pontifice, sed eius vigilantia, illæsum Apostolicum depositum seruatum est.

13 A Florini impietate ELEVTHERVS Ecclesiam custodiuit immunem, & Valentinum,& Marcionem,qui vsque ad hæc tempora Romæ perseuerarunt, ex Tertull.de præscript.cap. 8. pœnitentiam simulantes, ob inquietam curiositatem, qua reliquos fideles vitiabant, ab Ecclesia abscidit. Vndè idem S.Iræn. lib.3.cap.3.cum præcedentes Pontifices enumerasset subdit. *Nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherus* (*subdens*) *Hac ordinatione,& successione,ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia Traditio, & veritatis præconiatio peruenit vsque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio,vnam,& eandem viuificatricem fidem esse,quæ in Ecclesia ab Apostolis vsque nunc sit conseruata, & tradita.* Vide continuatam depositi custodiam tanti Patris authoritate contestatam.

14 Eleuthero VICTOR succedit, & Theodotum

coria

coriarium Apoſtoli depoſiti inuaſorem ab Eccleſia eliminauit: ſimiliter, & alterum Theodotum argentarium, Melchiſedecianos, Praxeanos. Quartadecimariorum quoque hæreſim confregit. Montaniſtas diris deuouit ZEPHERINVS, cum Tertulliano eorumdem defenſore. Ab ijſdem CALIXTVS ne depoſitum inuaderetur, cauebat. Apoſtolicas etiam inſtitutiones ſartas tectas curabat. epiſt. 2. Berylli quoq. hæreſis, & Valleſiorũ, ſeù Eunuchorũ perfidia, & Origenis inſania, ſub VRBANO exufflabatur. Pſeudoprophetiſſa, quæ Capadociã, & Pontum inficiebat, Sub Pontiano euanuit. Anthero depoſiti pariter cuſtodi integerrimo FABIANVS ſuccedens, ex Cypr. ad Cornel. ep. 55. Priuatum nomine, hæreſiarcham infamia notatum, Eccleſiaſtica communione priuauit. Alij quoque Hæretici in Arabia immortalitatem animæ negantes ex Euſeb. 6. Hiſt. cap. 30. proſcripti hoc tempore, & anathematizati. Nouati cornua confregit CORNELIVS, ſicut, & Nouatianorum, qui alios ſuperaddiderunt errores, audacia compreſſa. Origeniſtæ, qui & Turpes ſub LVCIO graſſantes Apoſtolicum depoſitum inuadere non potuerunt. Hi ergo omnes indeſeſsè laborabant pro cuſtodia depoſiti, & vt extorres à nouella perfidia ad antiquam redirent ſanitatem: inſuper multa tam circa fidem, quàm diſciplinam Eccleſiaſticam, ex depoſito tradiderunt. legendæ ipſorum Epiſtolæ decretales.

15 Sed & STEPHANVS PP. vt ſcribit Lerinẽſ. lib. con. prop. vocum nouit. c. 9. in cauſa anabaptiſmi Africa reluctante, cum ceteris collegis ſuis, imò præceteris reſtitit decernẽs, *nihil nouandum niſi, quod traditum eſt intelligebat enim vir Sanctus, & prudens, nihil*

 hil

hil aliud rationem pietatis admittere, nisi, vt omnia, quæ fide à Patribus suscepta forent (hæc enim est depositi lex) *eadem fide filijs consignarentur.* hęc Lerin.

16 Sub SIXTO II. Sabellianorum hæresis in depositum insurgit. Angelici item sic dicti alij hæretici, nec non, & Apostolici nuncupati. at furor eorum pertinax præualere non potuit. Idem ex deposito in ep. ad Gratium, process. diuinarum explicat personarum. Dionysius à Nepotis Episcopi versutia, idem sacrum depositum illęsum seruauit, & Paulum Samosatenum in idem depositum furentem, Apostolico mucrone (ex Athanasio lib. de Synod.) confodit. cuius vigilantiæ vestigia secuti sunt Felix, & Euthychianus, nam Mene te Manichęorum parente depositum adorienta Ecclesię feras FELIX, & EVTHICHIANVS ne, per rimulas intraret perfidia, obfirmabant, vterque dogmata de Filij Dei diuinitate, & incarnatione defendunt ex deposito. ille epistola ad Benignum, iste epist. Episcop. Bethicæ. Hieracitarum hęresis, CAII Pontificis tempore, quę in Aegypto serpebat, ne Romanos fines inuaderet, vel reliquũ Ecclesiæ corpus inficeret, curabatur. Felicem Episcopum de Incarnatione PP. instruebat. Sub MARCELLINO innumera Gentilium scripta aduersus religionem Christianam euulgantur, trophæa erigũtur, de Christiana religione extincta, sed multa volumina à filijs Rom. Ecclesiæ à Lactantio præsertim conscripta, nunquam perditum depositum demonstrarunt. Idem depositum Marcellinus ipse defendit, dum in ep. p. ad Salomonem damnat dogmatizantes Filium esse Patre minorem.

17 Sub MARCELLO Donatistarum Schisma & hęresis cępit, sicut, & aliud infaustum in Aegypto à

Melo-

Meletio Episcopo Nicopolis: sed ab vtroque immune depositum conseruatum est,idem Marcellus ex deposito primatum Rom. Eccl. defendit Ep. ad Episcopos Antio.

Sub EVSEBIO cæpit furere Arius,qui postea magnam orbis partem accēdit, & à Petro Alexandrino, ob Schisma Meletianum ab Ecclesiastica communione interdictus, inde postea noua intercedente hæresis causa,quod filij Dei consubstantialitatem negaret,iterum ab Alexandro Alexandrino à communione reiectus,ex Ath.or.1.contra Arian. tanta nimirum erat Apostolici depositi cura,vt initio morbi occurrerent viri Apostolici, ne illud depopularentur. Idem Pontifex multa ex deposito statuit obseruanda in administratione baptismi, confirmationis,&c. in epist. ad Episcopos Tusciæ, &c. Donatistarum quoque furor à MELCHIADE repressus de Collegarum iudicio,non quieuit,sed vt dicit Optatus lib. 1. contra Parmenian. appellationem interposuerunt ad Constantinum appellando; sed nihil profecit rabida ista furoris audacia,firma Pontificijs sententia permanente. Idem ex deposito distinguit effectus Baptismi,& confirmationis in ep.ad Episc. Hispaniæ.

18 Sub SYLVESTRO hæresis Ariana in flammam erumpebat ministro Eusebio Episcopo Nicomediensi,alięque hæreses Sabellianorū,& Meletianorum grassabantur, sed ad eas compescendas Legatus à Syluestro destinatur Hosius,Alexandriæ Concilium congregans, in Synodo Gangrensi præsidens ad Eustatij errores dissipandos. Nicæna Synodus eius authoritate aduersus Arianos congregatur, & confirmatur,Ariana dogmata proscripta,& ejerata.

19 Pro Athanasio Filij Dei consubstantialitatis defensore, aduersus Arianos fautores MARCVS Papa defensionem suscipit, ipsomet testante in epistola ad Aegyptios. Item à IVLIO Romano Pontifice indicitur Romana Synodus contra Arianos, subterfugiunt illi iudicium,imposture etiã detectę,Athanasius Catholicus habitus, & ad agapen,& cõmunionẽ receptus. Ab Audianorum pariter hæreticorum inuasione sacrum depositum, sub eodem Iulio custoditum.epistolam rescripsit ad Arianos,eorum dicta factaque confutans. Sardicense Concilium indicitur Archidamo,& Philoxeno, à Iulio legatis transmissis, vbi Ariani iterum eierati,ex Athan.apol.2. LIBERIVS quem ad suas partes tradere volebant Ariani, depositum muniuit,illud eructans. *Numquam talem accepimus a PP. traditionem*, in epistola ad Athanasium, & Episcopos Aegypti in Arianos inuehitur. Sed & Felix secundus initio intrusus postea Liberij partes aduersus Constantium suscepit, & pro sacro tuendo deposito sanguinem profudit,meritò intra Pontificum, & Martyrum seriem, annumeratus. Extat eius vna epistola ad Athanasium, & alios Episcopos in Alex. Synodo congregatos.

20 Cuius verò fortitudine laceratos artus Apollinaris, Photij,Sabellij,Eunomij,&c. videmus nisi DAMASI? cuius lateri adhęrens Hieronymus illum iuuabat, vt ex deposito Apostolico, vt eius verbis vtar,Orientis, & Occidentis Synodicis consultationibus respondere t,vt idem testatur ep.ad Gerontiam. Occumenica Synodo Constantinopolitana eius authoritate celebrata, vbi Spiritus sancti diuinitas aduersus Macedonium, ex depositi monumentis ostensa est, Hist. Ecclesiasticæ tradunt. Sed

21 Sed & SIRICII epist. 2. ad Ecclesiam Mediolanēsem Iouinianum hæreticum ex deposito damnat. Vnde propter eius pastoralē sollicitudinem, illud elogium Ambrosij epist. 81. promeruit. *Fideliter* (ait) *commissam tibi ianuam seruas, & pia solicitudine Christi ouile custodis, dignus quem oues Domini audiant, & sequantur.* Colluuies Origenistarum, Euagrij, Palladij, Ioannis Hierosolym. Isidori Alexandrini, sub Siricio, Catholicorum virorum operibus profligata, præsertim à Hieronymo; Et quamquam Origenis hæreses Romæ stabilire conaretur Ruffinus, nouæ Delborę Marcellæ opera phalanges aduersariorum detectæ, & à successore ANASTASIO profligatæ, libri Periarchon Origenis à Ruffinò traducti, cum eodem traductore ab eodem Anastasio proscripti. Contra Manichæos ne reciperētur, ad Episcopos Germaniæ conscripsit epistolas.

22 Quid INNOCENTIVS? adeò Apostolici tenax depositi custodiendi fuit, vt nihil in fide, vel ritibus immutari pateretur. Sic scribens ad Decentium. *Scitur ab omnibus debere seruari id, quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesię traditum est, ac nūc vsque custoditū, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut authoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum.* Mileuitanum Concilium consulto, & probante Innocentio aduersus Pelagianos celebratum: ijdemque ab eodem ex fidelium communione abscissi declarantur. Vigilantij quoque hæresis sub eodem depressa est, sicut & eorum secta, qui Cælicolarum nomine se attitulabant. Præcessoris sui Innocentij vestigia secutus est ZOZIMVS, qui etiam ex eodem deposito eosdem Pelagianos re-

futauit,& de eorumdem damnatione epistolas ad vniuersas Ecclesias destinauit teste Augustino de pecc. origin.ca.8.& 22.ep. 157. & Prospero contra Collatorem.

23 Ab occultis quibusdam Pelagianis, qui eo nomine notari nolebant, & à Vitalis Carthaginensis dogmatibus, & Vincentij Victoris nouellis dogmatibus BONIFACIVS sacrum depositum vindicabat. CAELESTINVS verò successor aduersus Semipelagianos eorumdemque sopitos cineres,ne rursus reaccenderentur inuigilabat, dicens epistola ad Episcopos Galliæ. *meritò nos causa respicit, si silentio foueamus errores. Ergo corripiantur huiusmodi, non sit eis liberum habere pro voluntate sermonem*, concludens. *desinat incessere nouitas vetustatem*. Sic contra Nestorium etiam conclamabat,& quantam reuerentiam deberi deposito, his verbis declarabat, epist. ad Synod. Ephes. *Præstemus diligentiam prædicatis, post quæ monente Apostolo nullam prædicationem iubemur admittere. Non est minor tradentis officio, custodia traditorum. Illi iecerunt fidei semen: nostra hæc sollicitudo custodiat, vt incorruptum, & multiplicem fructum nostri patris familias aduentus inueniat. Agendum est labore communi, vt credita, & per Apostolicam successionem hucusque decreta seruemus*. Idem obseruauit, & SIXTVS III. ex deposito Apostolico eũdẽ Nestorium curare satagens, & Ioannẽ Episcopũ Antioch. eius fautorem, litteris datis ad Ioannem, ex Lerinens. Cap. vltimo. *Ergo quia sicut, ait, Apostolus fides vna est, quæ euidenter obtinuit, dicenda credamus, & tenenda credamus*. & postea. *Nihil vltra liceat Nouitati, qui nihil addi conuenit vetustati. Perspicua-*

ma-

maiorum fides nulla cœni permixtione turbetur.

24 Ex *A*poſtolico throno rugiens L E O Magnus, & flammas ſpirans ardentis zeli Manichæos depoſitum inuadentes inſequitur, intra Vrbem latentes, eorum codices combuſſit, Concilium Rom. aduerſus eoſdem indicit. Proſperi opera vtitur aduerſus Pelagianos conterendos. Eutychetem hæreſiarcham confregit, & Synodo Coſtantinopolitanæ illegitimè à *T*heodoſio indictæ, ſuum legatum pręfecit. *E*t aduerſus *E*utychętem ſententiam pręſcripſit, ibique eidem & Neſtorio anathema dictum eſt. Chalcedonenſem quoq; Synodum indixit. ibi Dioſcorus, damnatur, iterumq. Neſtorius, & *E*utyches anathematizantur. *A*naſtaſiũ *T*heſſalonicenſem de depoſito tuendo commonefaciebat. *Ne*, dicebat, *inter aſſertiones partium aliqua ambiguitate fallamur, et diſſenſio, quæ in ſuis initijs abolenda eſt, nutriatur, cum in corde noſtro ea obſeruantia (Deo inſpirante) permaneat, ne coſtitutiones PP. diuinitus roboratæ, & ad ſoliditatem fidei pertinentes, praua cuiſquam interpetratione violentur.*

25 Quid HILARIVS Leoni ſuccedens? in Synodo Romana, quanti exiſtimaret depoſitum oſtendit, dicens. *Nulli fas ſit ſine ſenſus ſui periculo, vel diuinas conſtitutiones, vel Apoſtolicæ Sedis decreta temerare.*

26 Zenonis Imperatoris Enoticon, hoc eſt vnitiua quædam confeſſio (qua Catholicos, & hæreticos cõcordare putabat Zenon) à SIMPLICIO nunquam probatum eſt. Acacium, Epiſcopum Conſtantinopolit. inſtruit, vt Imperatorem hortetur ad retinenda dogmata Chalcedonenſis Concilij, nec aliud indici Concilium ſuadeat, neuè Prædeceſſorum ſan-

ctio-

ctiones violentur, & in dubium reuocentur (epiſtola v. ad Acacium) vt hoſtem Eccleſiæ Alexandrinæ Petrum Mogum Hæreticum propellat; *& qualiter Catholicæ fidei teneatur integritas, in penetralibus aulæ ſuæ dignanter inquirat; quæ ne aliqua forſitan fidei æmulorum fraude vitietur* (vide curam depoſiti) *licet in Eccleſiæ tunc poſſint ſcrinijs inueniri, tamen exẽplaria miſimus, quæ pietati ipſius* properabis offerre.

27 Henoticon, quod Simplicius damnare, preuentus morte, non potuit, FELIX tamquam depoſito contrarium abijecit, ex Theodoro Lectore lib. 2. collect. Concilium Romanum audiuit, ibi Petrus Fullo damnatur, vt eumdem Petrum Fullonem depoſiti inuaſorem proſcribat, litteris datis, Zenonem adhortatus, ep. 3. Eo autem titulo ab Eccleſia pulſus eſt (ex litteris ad eumdem Petrum à Felice ſcriptis epiſt. 1.) quòd, exterritus non ſit, *quæ ſibi à SS. Euangelijs, & Apoſtolis, & viris Beatiſſimis, ac probabilibus Patribus tradita non ſint, aſſerere, & impijs dogmatibus, inferre putauerit Eccleſiæ Catholicæ nouitatem.*

28 Aduerſus Pelagianas reliquias exterminandas inuigilabat GELASIVS, Euphemio Patriarchæ illuſtre dans teſtimonium, hæc ſcribens. *Nos certè, præſtante Deo noſtro, ſynceram puramq; paternæ traditionis fidem, communionemq. eam retinere ab omni preuaricatorum contagione diſcretam, etiam intentato mortis periculo optamus: eligentes (ſi velit Deus) qualibet illa perpeti, quàm cauſas incidere damnationis æternæ.* Et in alia epiſt. ad Honorium Epiſcopum rationem reddens, cur eſſet anxius in repreſſione Pelagianorum, ait, quòd, *melius eſt nos videri impatientius talia veſtigare voluiſſe, quàm creſcere diſſimulãdo perniciem.*

niciem. Neque enim vel silentio præmere causas huiusmodi, vel differendo fouere debemus.

29 ANASTASIVS II. pro deposito seruando aboleri vult Acacij nomen ab Ecclesia damnati, & Alexandrinos ad fidem rectam reuocari. Nam *quid* (ait) *tenendum sit in religione Catholica secundum definita PP. & prædicationem omnium Sacerdotum, qui in Ecclesia floruerunt, si hoc quoque præceperitis, scientibus in memoriam transmitendo renouabimus ignorantibus per officium nostræ instrutionis, offeremus &c.*

30 Aduersus Anastasium Imperatorem Hæreticum SYMMACHVS Papa pro depositi custodia insurgit à sacris eliminando, & de non præmittenda libertate religionis (scindendo depositum) sed potius de eiusdem vnitate seruanda est cohortatus. *Quid interest enim vtrum Paganus, an quod deterius, sub nomine Christiano, verám, syncerámque traditionem Apostolicæ regulæ conetur infringere? atque in hanc prorũpere cæcitatem, vt cum illis regionibus cũctæ prorsus hæreses opiniones suas habeant, publicè licentiam profitendi, sola Catholicæ cõmunionis libertas putetur abijs, qui se religiosos existimant, subruenda?* Aduersus quoque renascentes hæreses Eutychetis, ad depositum retinendum, Illyricos, Dardanios, Daces Episc. ad hortatur, vt illud nec lædi patiantur etiam cum vitæ discrimine: *vbi Catholicæ*, inquit, *fidei adoranda reuerentia, vbi multo cruore sanctorum dogmata constituta, vbi doctorum veterum fidelis authoritas, vbi illa religiosorum mentium stupenda patientia proprijs bonis contenta, nudari, ne de spe æternæ hæreditatis excideret, passa est.*

31 Eo verò tempore, quo in Alexandria hæretici dicti

Incor-

Incorruptibiles,& Corrupticolę, Themistiani, grassabantur,sub HORSMIDA, etiam Eutychetis dogmata repululabant. Sed quid Horsmidas ad Episcopos Orientales? ad depositum custodiendum à furibus eos hortabatur: *Quid prodest cuilibet paternarum reuerentiam seruare regularum, si concuti hæc ab alijs, si sine honore tractari patienter accipiant? infirmum ostendit affectum, qui quod diligit non tuetur*, & ad Episcopos Epiri. *Amplectimini gratiam traditionis antiquæ, & in illius inconuulsi fundamenti stabilitate persistite, non cum temporibus corda mutantes.*

32 IOANNES primus ad omnes Italię Episcop. ep.7. ad depositum excitat custodiendum, *Hortor vos, & moneo contra Arianam perfidiam, quæ olim non semel, sed sæpè damnata est, & modo in quibusdam reuiuiscit, armari gladio Spiritus sancti, vt eam (ita adminiculante diuina gratia) opprimere, & extirpare valeamus, vt nec radix eius in posterum inueniatur.*

33 FELIX IV. permotus scriptis Sancti Cæsarij ad eundem missis (quæ non solum probauit ex Gennadio de script. Eccl. c. 86. sed commendauit, & euulgari curauit) Concilium Arausicanum celebrandum curauit, ex Baronio: aduersus Semipelagianos illa vox digna tanto Pontifice epist. 2. *Pro fide, & iustitia, & pro salute animæ tuæ certa semper.*

34 FELICI BONIFACIVS II. succedit, breui postea è vita sublatus, depositum quoque diligenter seruauit eius diligentiam Iustin. est imitatus, nam Samaritanorum hęresi grassante, pro adiuuanda Pontificis custodia, constitutionē edidit, à successione bonorum hæreticos repellendo, in nouella 144. Extat eiusdem epistola ad Eulalium pro reconciliat. Ecclesię. Carthag. IO-

35 IOANNES II. Concilio Romæ habito definit Christum carne, non deitate passum,& Acœmetas,& contrarium sentientes ab Ecclesiæ Catholicæ cõmunione alienos declarauit; in ep.3.inveteri deposito authoritates Patrum inspiciens, & priora concilia, subdens. *Hoc est enim nostræ fidei firmamentum, hæc fidei nostræ petra firmissima,&c.*

36 Ebulliebat Orbis AGAPETI tempore, inualescebant enim Agnoitarum hæreses in alias sectas diuisæ, similiter Armenorum in multa capita dissectorum,& Acephalorum. Vnde hortatu Cassiodori (vt patet in pręfat. diuin. institut.) Theologię Scholas Romę aperuit, vt ex doctrina Apostolica depositum agnosceretur. Ad idem depositum tuendum Iustinianum adhortatur ep. 3. In Christo duas naturas prędicat ex deposito, & Anthimum contrarium sentientem damnat epist.4. dicens. *Non dubium est eam nos fidem prædicare,& defendere, quam Sancti Apostoli docuerunt, & hactenus eorum, suorumq. successorum sequens Sancta hæc Romana, & Apostolica Ecclesia, doctrinam tenuit, docuit, & docet.* Vnde meritò à Gratiano de consec.d.1. Agapetus vocatur, *vas Catholicum, Euangelij tuba,&c.*

37 SILVERIVS prædecessoris exemplum secutus Anthimum noluit restituere, *quem*, inquit, *Sanctæ memoriæ Agapetus prædecessor meus, suis meritis damnauit.*

38 VIGILIVS ex deposito Eleutherium de quibusdam capitulis instruxit, maximè hęresim Priscillanistarum concernentibus. *De singulis*, inquit, *quid iuxta Catholicam disciplinam teneat Apostolicæ Sedis authoritas, subiectis etiam aliquibus Sanctorum capitulis*

tulis regularum, te *credimus instruendum*. Fidelitatem suam in custodiendo disposito commendat ep. 2. *Nos nihil contra Synodalia, vel prędecessorum nostrorum Pręsulum S. Sedis Apostolicę constituta, aut commisisse aliquid, aut tentaße, quisquam licet astutus, & subtilis, inueniet; imò* (vt reperit ep.4.) *fidem Catholicam ab Apostolis traditam, & à prędictis Sanctis quattuor Concilijs declaratam, & ab antedictis PP. prędicatam, atque inuiolabiliter custoditam, syncera volũtate tenuimus, tenemus, venerati sumus, veneramur, atque defendimus, & contra eam facientes Apostolica authoritate damnamus.*

39 PELAGIVS aduersus quosdam negantes Patrem, & Filium vnum esse Deum, ex deposito inuehitur ep.1. & obligationis custodię memor, hæc protulit. *Illud aliter mihi non licere, quàm, vt omnes conatus meos ei causa, in qua vniuersalis Ecclesia salus infestatur, impendam*. Idem etiam Papa Pelagius contra defensores trium capitulorum, Vigilium secutus, scripsit ad Narsetem pro defensione depositi. *Si quid* (dicebat) *eos de iudicio Vniuersalis Synodi, quæ Cõstãtinopoli per primam indictionem elapsam, actum est, forte mouebat, ad Sedem Apostolicam* (*quod semper factum est*) *electis aliquibus de suis, qui dare, & accipere rationem poßent, dirigere debuerunt, & non clausis oculis, Corpus Christi Dei nostri, hoc est S. Ecclesiam lacerare*. & ępistola vniuerso populo Dei, ait. *Nihil contra fidem Patrum, contraque quatuor Synodorum firmitatem, eße tenendum.*

40 IOANNES III. in epist. ad Episcopos Gallię & Germanię dicebat, quod cum scriptum sit. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod positum*

tum eſt: prędicta *duo fundamenta in Eccleſia tantum modo poſita inueniantur, quicquid amplius in his poſitum inuenitur, ſtare nullatenus poterit, & ideò cum omnibus ſuis fundamentis, actionibus atque radicibus, vt euellatur neceſſe eſt, itavt amplius nec pullulare, nec germinare valeant*. Hæc ille contra Chorepiſcopos exercentes functiones Epiſcoporum. Iuſtiniano verò Imperatore, ex Niceph. lib. 17. Aphtardocitarum hęreſi infecto, eorundemq. hæreſim protegente, tantò diligentius excubias cuſtodiebat Ioannes, illud fulmen Apoſtolicum iaciens. *Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, anathema eſto.*

41 Sub BENEDICTO II. Samaritę hæretici in ſacras imagines in Syria debacchabantur, contra quos, vt nouellam conſtitutionem cōdidit Iuſtin. in nouell. 5. Conſt. 4. ita quoq. Benedictus pro depoſiti cuſtodia inuigilabat. in epiſt. ad Dauid Epiſcop. ex depoſito probat Trinitatem perſonarum cum vnitate eſſentię.

42 Sub PELAGIO II. EVTHYCHIVS (à Gregorio Magno legato Pelagij, tunc Diacono Conſtantinopolim miſſo) de hęreſis Origenis de reſurectione carnis abſque carne palpabili, conuictus eſt, & liber combuſtus, errore eierato, ex eodem Greg. 14. Moral. cap. 16. Iuſſu quoque Pelagij in Schiſmaticos defendentes tria capitula, idem Gregorius ſtylum exacuit, quem probauit Papa, & ad Eliam Aquilienſem tranſmiſit Epiſcopum, & ad alios Epiſcopos Iſtrię, *nè fortè* (dicebat) *quiſquam maligno ſtudio aliqua de fidei noſtræ integritate, diaboli inſtigatione, fingere præſumpſerit, & argumentari*.

43 Quid GREGORIVS Magnus? Teotiſtam ſororem

rorē Mauritij Imperatoris multis hæresibus maculatam, errores anathematizare compulit, & se iuramento purgare 9.epist.39. Esychius de extirpanda Simonis hæresi admonetur 9. epist. 40. Tergestinus Episcopus,& alij Euthychiani, spontè hęresi relicta, Romam venerunt, à Gregorio reconciliati sub ea professionis fidei forma, quam Greg. idem pręscripsit lib.10.ep.36. Adeò autē fuit depositi tenax, vt sicut 4. Euangelijs, sic quatuor Concilijs Nicæno, Cōstantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi honorem deferri voluit,&c.subdens pro cura depositi. *quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.*

44 SABINIANVS Gregorio successit, qui ab eodem Constantinopolim Apochrisarius destinatus fuerat. Mensibus quinque,& dies 19. in sede vixit custodiendi depositi à prędecessore habens exempla imitanda.

S. I.

Ostensio Continuatæ custodiæ per succedentes Rom. Pontifices.

QVia verò Protestantes non sibi concordant in tempore, quo falsò pręter dunt factam esse in deposito Apostolico mutationē, & omnes, qui putantur cautiores à Bonifacio III. factam mussitant, ostendenda quoque est Bonifacij, & successorum fidelitas in custodiendo deposito.

BONIFACIVS ergo III. vigilantissimus custos sacrorum dogmatum satis probatur, quando pro Ecclesiastica disciplina, in Ecclesia Vaticana, ad repri-

reprimendam ambitionem quorundam clericorum, Synodum celebrauit. Primatum etiam Rom.Pontificis ex depositi doctrina tutatus est.

45 BONIFACIVS quoque Papa IV.Romæ Synodum indixit pro caussis necessarijs Anglorum. Eò accessit Mellitus Episcopus, vt in Britanniam rediens, decreta Apostolica secum deferret, cum epistolis Bonifacij ad Archiepiscopum, & Regem directis. ex Beda 2. Hist. Angl. c.4. Vide diligentiam ex deposito fratres confirmandi, & in fide, & disciplina Ecclesiastica conseruandi.

DEVSDEDIT in sede successor, archiuis Apostolicę Sedis inspectis, de spirituali cognatione decretum confirmauit. *Sequendo*, dicebat, *vestigia Iulij, Innocentij, & Cęlestini*, refractarios anathemate feriens. Extat decretum apud Gratianũ 30.q.peruenit ad nos. Post hunc sedit BONIFACIVS V. depositi amantissimus. Eduinum Anglorum Regem ad fidem amplectendam adhortatur ep.1. gaudet de eiusdem conuersione, & vt det operam, vt coniux idem faciat, scribit.

46 Ex deposito Apostolico correxit HONORIVS Scotos in celebratione Paschæ eos exhortans (ex Beda lib.7.c.19.) *Ne paucitatem suam in extremis terræ finibus constitutam, sapientiorem antiquis, siue modernis, quæ per orbem terræ erant, Christi Ecclesijs, extimarent, neue contra Paschales computus, & decreta Synodalium totius orbis Pontificum, aliud Pascha celebrarent.*

47 Ad SEVERINVM Honorij successorem Ecthesis, expositio fidei hæretica, per Isacium Italiæ Exarchum mittitur sub nomine Heraclij Imperatoris, vt eam probaret; quam cum Seuerinus probare noluisset

luisset (vt asserit S. Martinus eius successor) *Ceciderunt à sua spe haeretici mentiti contra caput suum, nec enim suscepta est omnino, aut admissa, secundũ vanam eorum spem; magis autem condemnata est ab Apostolica authoritate huc transmissa, & praesumptae nouitatis eorum Ecthesis.* Hęc ille, de rebus gestis cum Seuerino Pontifice. ex Concil. Lateran. sub Martino Papa secret. 3. Rursus, collecta Romæ iterum Synodo, IOANNES IV. ex deposito Ecthesim prędictã damnat, simulque ipsam Monothelitarũ hęresim ex Theophane, & ex Epistola Agathonis Papæ.

48 THEODORO vero Papa depositum custodiente, Pyrrhus hæreticus conuictus, Palidoniam recantat, libellũ offert Romano Pontifici, & ex epistola Cypriorum Episcoporũ, quàm vigilans fuerit in hęresi Pauli Constantinopolitani debellanda, apparet, ibi enim tale illi testimonium perhibent. *Nos sicut dictum est, iubentibus vobis Dominis nostris* (ad hunc enim finem in Orientẽ Theodorus miserat suos Apochrisarios) *& à Deo inspiratis Patrib. pcutimus eos, anathematizamus.* Et iterũ. Apostolicos vos Patres *sequẽtes, in scripto, & sine scripto, eos anathematizamus.* Ideẽq; Pontifex, coacto Concilio Romæ, eundem Paulum, frustra litteris commonitum, eliminauit ab Ecclesia, & contra Pyrrhum relapsum (ex Anastasio, & annalibus Græcorũ) sanguine Christi ex calice distillato in atramẽtarium, sententia excommunicationis descripta est, qua ab Ecclesia proscriptus.

49 Theodoro defuncto. S. MARTINVS I. Synodum celebrauit Romæ, aduersus Monothelitas, illam assignans rationem in oratione Synodica, *Quia*, inquit, *praeceptum habemus Apostolicum attendere nobis ipsis, & vni-*

*vniuerso gregi,&c.sed & iterum attendere lupos,attendere malos operarios, qui peruersa faciunt, & loquuntur.*Ex deposito ergo,Patrum.S.monumentis,quæ ibi lecta sunt,Monothelitæ damnati,Theodorus, Cyrus, Sergius,Pyrrhus,Paulus,&c.& epistolis Synodicis Ecclesię admonitæ,vt à furibus istis, & latronibus cauerent. *P*ro cuius depositi defensione illustre etiã martyriũ subijt Pontifex,Martinus,tantò sublimius,quantò (vt dixit Audoemus in vita S. Eligij c.34.) ne scinderetur Ecclesia fallacijs hæreticorum illatam alacriter sustinuit mortem.

50 Succedit in eiusdem depositi cura EVGENIVS sedens annos duos,menses nouem, dies 24. VITALIANVM habuit successorem,idem depositum custodientem,eodem tempore,quò illud S.Maximus aduersus Monothelitas mirificè defendebat. Clara etiã ostenditur ADEODATI vigilantia,quę ex illis verbis cuiusdam epistolę ad *E*piscopos Gallię colligitur, dum dicitur. *Canonica SS.Patrum consulta, præsertim à Beatitudinis Apostolicæ Sedis Præsulibus prædecessoribus saltem nostris, qui authoritatem successionis,& vicem sacratissimi Apostolorum Principis Petri per diligentem solertiam nacti sunt;quemadmodum statuta reperimus,intemerata,atque illibata custodita conseruemus.*

51 DOMNIONEM, seù Donum Pontificem *A*postolici depositi conseruatorem Constantinus Pogonatus agnouit,ad illum litteras dirigendo, vt Christianorum de religione discordias Constantinopoli ortas sopiret,ex definitionibus quinque Synodorum, & doctrina SS. & probabilium Patrum, quę litterę Dono scriptæ Agathoni successori redditę sunt, Dono iam vita functo.

52 AGATHO ergo succedens, hęc scripsit ad Imperatorem, scilicet. *Quæ à Sanctis, atque Apostolicis prædecessoribus, & Venerabilibus quinque Concilijs definita sunt, cum simplicitate cordis, & sine ambiguitate, à Patribus traditæ fidei conseruamus, vnum ac præcipuum bonum semper optantes, atque studentes, vt nihil de eis, quæ regulariter definita sunt, minuatur, nihil mutetur, vel augeatur, sed eadem, & verbis, & sensibus illibata a nobis custodiantur.* In Romana Synodo Agatho Monothelitas quoque damnauit, & sexta Synodus, Agathonis authoritate indicta, eosdem eliminauit.

53 LEO II. Agathonis successor ad Constantinum Imperatorem directis litteris, sextam Synodum celebrauit, eamque laudem illi attribuit, quod *Apostolicam in omnibus regulam, & probabilium PP. doctrinam secuta est; & quia definitionem rectæ fidei (vt dictum est) plenissimè prædicauit, quam & Apostolica sedes B. Petri Apostoli (cuius licet impares ministerio fungimur) veneranter suscipit: idcirco & nos, & per nostrum officiū, hæc veneranda sedes Apostolica concorditer, ac vnanimiter, his quæ definita sunt ab ea, consentit, & B. Petri authoritate confirmat.*

54 BENEDICTVS vero II. depositi tenax, legens in literis Episcoporum quorundam *In Christo tres esse substantias*, diuidentium rursus humanam naturam in corpus, & animam; veritus ex ambiguitate vocum, ne aliquid deposito extraneum immisceretur, & statui putaretur in Domino tres voluntates diuinam, rationalem, sensualem, citò, ne quid noui in verbis assereretur, (ex annalium conditore) occurrendum putauit.

55 IOANNEM V. (qui quondam cum alijs Sacerdotibus

tibus in 6. Synodo locum Apostolicę Sedis repręsentabat) eo breui temporis spacio, quo Petri cathedrā regebat, Apostolicum depositum defendisse multò magis, dignitas, & officium dubitare non sinit.

56 CONON depositum custodiebat, quando Imperator Iustinianus Pontifici aduersabatur, & eius legatos Constantinopolim missos pręuaricari coegit. De qua re tàm Anastasius, quàm Nicolaus Papa conqueritur.

Sub SERGIO Conciliabulum celebratum est Cōstantinopoli (quod à Beda, & alijs erratica Synodus dicta est) ibidemque multa contra depositum determinata, cui authoritatem volentes adhibere filij tenebrarum Hęretici, & Schismatici Sergium interpellarūt pro cōfirmatione, at vt dicit Anastasius Bibliothecar. quia paratior mori, quàm nouitatum erroribus consentire, eam pseudosynodum intrepidè condemnauit.

57 IOANNES VI. optimi Pastoris speciem custodia thesauri fidei pręsetulit, qū etiam ex deposito corporali, & Ecclesię ærario captiuos liberari ꝓcurabat.

IOANNES VII. ei succedit, qui cum vrgeretur à Iustiniano Imperatore, vt sancitos Canones Constantinopoli (Sergij temporibus) examinaret, & quos reperisset veritati fidei congruere confirmaret, cęteris explosis. At noluit (congregato etiam Concilio) nec ex parte approbare, dedecens ratus vel minimum probare, quòd in legitima Synodo statutum non esset. Eidem SISINIVS successit, qui post 20. dies mortuus est. Ab eo Felix Rauennas consecrationem suscepit, professionem fidei edens, & obedientię sponsionem.

58 CONSTANTINVS Papa creatus Constantino-

polim pertexit,& cum eodem Pontifice, putat annalium descriptor,tractatum esse de capitulis illis additis quintæ, & sextæ Synodis, Gregorio eius diacono, antiquorum Patrum acerrimo defensore, quod ex Anastasio Bibliothecario ostẽdit. Imperatoris hęreticam confessionẽ maturo consilio respuit. Numerosa quoque illa pseudosynodus, ope Imperatoris aduersus sextam legitimam Synodum congregata (vbi vera fides ibidem prodita est) sub hoc Pontifice eierata, & in Occidente religionis fides,resistente Imperatore conseruata est.

59 GREGORIVS II. pro sacrarum imaginum cultu Synodum Romanam indicit,eius decreta suo calculo obsignat,cuius Synodi fragmenta recitata ab Adriano Papa epist.ad Carolum Magnum.Ibidem anathema Imperatori,& omnibus Iconomachis ex deposito dictum est.

60 GREGORIVS *III.* ex depositi doctrina Bonifacij Germanorum Apostoli consultationibus respondet. *Bene nosti* (ait) *quia B.Apostolus Petrus, & Episcopatus principium extitit, & consulenti tibi de statu Ecclesiæ, non ex nobis quasi ex nobis,sed eius gratia,qui aperit os mutorũ,& linguas infantiũ facit disertas,qualiter tenere debeas Apostolici vigoris doctrinã dicimus.* Idẽ Sanctus Legatus Pontificis Synodum in Germania congregauit, multaque pro veritate,& subiectione,& reuerentia Sedi Apostolicæ, & Ecclesiastica disciplina sancita.

61 ZACHARIAS quoque eiusdem Bonifacij successor variis de Fide consultationibus respondet ep.12. & nouas quarundam Gallorum benedictiones deposito non vult admiscendas. *Nam,* inquit, *non ex Apo-*

stolica

stolica traditione hoc faciunt, sed per vanagloriam hoc operantur, sibi ipsis damnationem adhibentes, dum scriptum est. Si quis volens euangelizauerit præter id, quod euangelizatum est, anathema sit. Post concludens. *Regulam Catholicæ traditionis suscepisti Frater amantissime.* Ab eodem Pontifice coacto in Patriarchio Lateranensi Concilio, Adalbertus & Clemens hęretici à Bonifacio detecti, cum suis erroribus damnati sunt. Extat etiam epistola Zach. ad Bonifacium, qua etiam statuta Synodi Germaniæ roborata. Sampson quoquè qui necessitatem baptismi negabat vt hęreticus à Zacharia explosus, ex epist. 10.

62 STEPHANVS II. eligitur successor, & depositi custos: sed die 3. à somno exurgens alienatus obmutuit, & defunctus est, ex Baronio. Illi successit STEPHANVS III. (ab alijs II. dictus) qui viriliter depositum custodiuit, nam 7. Synodum congregatã Constantinopoli 338. Episcoporũ Orientalium dissoluit, & irritauit; & vt ab errore Copronymus desisteret enixus, vt dicit Adrianus Papa epistol. ad Constantin. & Irenem.

63 PAVLVS quoquè primus (eodem Adriano testante) plurimum pro deposito custodiendo laborauit, nã & Copronymum Imperatorem à sua contra sacras imagines impietate reuocare studuit, ex Anastasio Bibliotech.

64 Eius successor STEPHANVS IV. aduersus aliam pseudosynodum Constantinopolitanam pro depositi custodia æstuans egregiè dimicauit (congregata Romæ Synodo) eamque vt additiam deposito respuit, dicens. *Qui alium terminum fidei, seu Symbolum, atque doctrinam habet, præter id, quod traditum est a Sanctis*

sex magnis, & vniuersalibus sex Synodis, talem impium anathematizamus. Ex fragmentis in tract. Adriani Papæ ad Carolum Magnum de imaginibus.

65 ADRIANVS Papa I. depositi eiusdem custos vigilantissimus missis legatis, vij. Synodum Nicęæ celebrari voluit pro sacris imaginibus aduersus Iconomachos. Vnde hæc scripsit ad Irenem, & Constantinum Imperatores. *Patrum priscas sequamur traditiones, & ab eorum doctrina nulla declinemus ratione.* Et ad Tharasium Patriarcham, de Roman. Pontificis cura Pastorali testimonium perhibet, quòd, *cura quoque suscepti ouilis diligenter inuigilat, ne oues Dei, aut peruersi homines praua loquentes, dilanient, aut maligni spiritus oblectamenta vitiorum suadentes deuastent.* Significās quoque se curasse, vt *pseudosyllogus* (idest falsum collegium) *qui insyllogisticè factus est aduersus venerabilium Patrum traditionē, contra sacras imagines, anathematizetur præsentibus Apochrisarijs nostris, & omne zizanium eradicetur ab Ecclesia.* Errores item Elipandi Episcopi Tolet. ex testimonio Nazian. Athanas. &c. refutauit. epist. 4.

66 LEO III. à Studita epist. 33. & 34. interpellatur, vt eliminaretur *Mœchosynodus* (sic enim dictum fuit conciliabulum illud, vbi coniugium Constantini cum Theodote viuente priori coniuge à Mœchianis, qui Synodo interfuerunt, approbatum est) *& diuino*, inquit, *eius principatu legitima Synodus conuocaretur, & orthodoxum dogma excluderet hæreticum.* Opem verò præstasse Leonem ne tam peruersum dogma serperet compertum est, ex ijsdem Studitæ litteris ep. 34. per Epiphanium enim paterno amore plenas *Apostolicas* epistolas ad eundem Theodorum direxit, in quibus

quam

quam viriliter contra eundem errorem Papa dimicarit, apparet apertę. Idem depositum successor STEPHANVS V. illibatè seruauit. Sępè enim *cum Imperatore colloquium habebat de vtilitate S. Dei Ecclesiæ*, ex gestis Ludou.c.17.

67 A PASCHALI hæresis Iconoclastarum rursus ex Apostolico deposito configitur, ex Studita epist. 66. quare *non effugerunt*, ait, *quin à supremo Ecclesiæ throno arguerentur*. Et postea. *Si enim à Coriphęo*, idest Rom. Pontificę, *abrupti sunt*, *& ab alijs tribus Patriarchis, vtique & à Christo, qui caput est prædictorum*.

68 EVGENIVS II. depositi custos tenacissimus, Ludouici Imperatoris Iconomachorum patroni, artes, & consilia disiecit: nec vnquam errores collatorum pseudosynodi Parisiensis contra sacras imagines probauit: licet subdole laborarent de errore suadendo Rom. Pontifici. Vnde & ad ipsum Eugenium scripserunt, & nomine Eugenij fictitias responsiones ediderunt. Verum inuiti hoc testimonium perhibent Fidei Rom. Pontific. quod, *per Apostolos Petrum & Paulum protegente Spiritu S. & ipsis intercedentibus ab omni heresi illibata vsque nunc conseruata est, vt non solum ipsa ad quodlibet erroris diuerticulum minimè declinaret, sed potius omnes à rectæ fidei tramite, quoque modo per orthodoxos eorumdem successores toto orbe terrarũ ad rectitudinem potius reuocaret. Testis enim huius rei non quilibet angulus, sed orbis terrarum vniuersus, quia quoties tales per mundum persecutiones motæ sunt, quæ ad periculum vniuersalis Ecclesiæ imminere putabatur ob inueniendam, inuentamquę custodiendam Catholicæ fidei veritatem, semper hoc vniuersalis Ecclesia, præsente, ob huius sanctitatem sedis, Pontifice, aut certè cum*

consensu illius, verbis, vel litteris porrecto corrigere, porrectumque ad conseruandum stare consueuit.

69 VALENTINVS subsequitur, de quo Anastasius Bibliothec. ait. *Valentinus alendorum gregum fidelium Præsulatus culmen sortitus, maxima celeritate ex hac vita præsenti subtractus est, &c. magnæ sanctitatis, magnæq; beatitudinis vir, repletus gratia Spiritus Sancti.* Quare necessariò depositi custodiendi magno zelo exarsisse, dicendum est.

70 Sub GREGORIO IV. Theophilus Imperator Iconoclastarum hęresim propugnabat, at Pontifex depositum custodiebat: pro quo etiam multi confessores, præcipuè Monachi viriliter decertabant teste Curopalata: *Ostendebant* enim Imperatori *ex dictis Patrum nostrorum Dionysij Magni, Ierothæi, & Irenei, non heri, aut paulo ante Monachorum Rempublicam adinuentam, & statum, sed antiquam, atque adeò priscam. Quin etiam imaginum figuras cum Apostolis viguisse monstrabant:* vnde & martyrium subierunt. Sub eodem Pontifice tandem ea hæresis, quæ ante centũ viginti annos Ecclesiam vexauerat, extincta est, & ex deposito in cineres redacta.

71 SERGIVS II. in Pontificali sede locatur, *fide purus, prædicatione,* Liberior, ait Anastasius, ex deposito Fidem seruans, & fideles pascens, nam vt legitur in eius sepulcro;

Diuinis monitis non fuit ille piger.
Romanos proceres non tantum famine verbi,
Rebus & humanis nocte dieq; fouens.

72 Sub LEONE IV. errores Godescalchi, innouantis Prædestinatorum hæresim, in Gallia disseminabantur, qui in Synodo Moguntina, vbi Rabbanus interfuit dam-

damnati sunt, iterum aduersus discipulos Godeschalchi sub eodem Leone Valentina Synodus in Gallijs celebratur, sequens vestigia Concil. Carth. Arausic. quare nec inconsulto Romanæ sedis deposito, vt olim prædicta Concilia præstiterunt, aliquid definisse putandum est.

73 NICOLAVS I. succedit. Illicò ad comprimendam hæresim Iconomachorum in Orientem legatos misit, vt iterum ex sacro deposito, definitio pro sacris imaginibus publicaretur, hæc scribens. Oportet *Nos maiorum nostrorum statuta, immoto mentis intuitu conseruare, & in omnibus, SS. Patrum semper dogmata venerari, definimus de sacris imaginibus, &c. quæque Sedis Apostolicę Pręsules pro eis decreuerunt, atque statuerunt illibata persistere, atque intemerata manere.* Ad Consulta Bulgarorum, illud elogium de Ecclesiæ Rom. fidelitate protulit. *B. Petrus, qui in sede sua viuit, & pręsidet, dat quærentibus fidei veritatem, nam & S. Romana Ecclesia semper sine macula fuit, & ruga.*

74 Huius sicut & ADRIANI II. successoris octaua Synodus diligentiã prædicauit in deposito custodiendo aduersus Photium, & Gregorium Syracusanum his verbis. *Pontifex Beatissimus Papa Nicolaus, &c. & ipse qui & gradus, & dignitatis, & moris eius successor es, pro ecclesiastica pace alacriter exercuistis, ad expellendum lupum, ab ouili Christi, tanquam veri Pastores rationabilium ouium Christi, quinimò Summi Pastoris, & Principis Ecclesiarum.* Eandem diligentiam idem Adrianus testatus est, ad Basilium, & Leonem scribens. *Non enim est in nobis est, & non est. & si quæ destruximus eadem rędificauerimus, pręuaricatores nos legis esse constituemus. Satis enim nota sunt, quę cum*

suo authore destruximus, & quæ conseruanda mandauimus. Ab illis quippe sacratissimis constitutis, quæ vel Apostolicæ memoriæ decessor noster Papa Nicolaus ante salubriter sanxit, vel nos posteà dispensatoriè protulimus, nulla motione, vel mutatione discedemus, aut ad dexteram vel sinistram quoque modo declinabimus. Quę videlicet tota iamdudum probauit Ecclesia, & immutilata seruanda nuper gestum vniuersale Concilium statuit. Neque enim nobis moris est, vt pro LIBITO PROPRIO paternis sanctionibus abutamur, &c.

75 IOANNES VIII. Photianum conciliabulum cum Photio ipso damnauit, vt patet ex litteris Stephani Papæ successoris ad Basilium destinatis, & ex alijs Formosi, & Ioannis IX. litteris ad Stylianum Neocęs. Episcopum; & si enim antea misericorditer egisset cum Photio, illum restituendo, nunquam tamē quæ contra depositum in Synodo acta sunt probauit, ipsomet Pontifice epist. 250. & 251. scribente. *Ea quę pro causa tuę restitutionis Synodali decreto Constantinopoli misericorditer acta sunt recepimus. Et si fortassè nostri Legati in eadē Syn. contra Apostolicā pręceptionem egerint, nos nec recipimus, nec iudicamus alicuius existere firmitatis.* De puritate autem depositi, & fidei loquens ep. 86. ad Episcopos destinata, hortatur Michaelem Regem, vt ad fidem rediret. *Hanc*, ait, *itaque fidem suggere semper & suade carissime pio Regi sitire. Hanc enim alibi præcipuè quęrere nisi Romę, vbi plantata est, & radicata à B. Petro, qui hęc vt supra ostendimus, sicut veraciter agnouit, veraciter & pręedicauit: quoniam sicut aqua non potest alibi tam munda, vel tam limpida, quemadmodum in fonte vnde originem protrabit inueniri; ita & fides nunquam omnino poterit alibi*

bi tamen pura vel tam nitida reperiri, sicut in Ecclesię nostræ viuario, vbi eam non tecta perstillantia, sicut litigiosa mulier, idest hæretica prauitas comparatur; sed ille Polorum clauiger vbertim, & purissimè congregauit, qui ex ipso fonte viuo hanc cęlitus hausit, & limpidissimam conseruandam mandauit.

76 MARINVS II. aliàs Martinus Ioanni succedens Photium etiam damnauit, vnde Basilius Imperator multa ignominiosa in Sanctum Pontificem effutiens, à Pontificali Sede eum exturbare satagebat. Sed Stephanus vi. successor eius locupletissimè satisfecit, scribens ad eundem Basilium, sui prædecessoris aduersus illatas iniurias, se Hyperaspistem ostendens, eo elogio cohonestans Marinum, quod octauæ Synodi fuerit defensor acerrimus, quando in ea, vt patet ex Act. 1. eius Concilij, locum Adriani Antistitis Vrbis Romæ tenuit.

77 ADRIANVS III. prædecessoris sui vestigia insectatus Photium quoque execratus est, tanquam depositi inuasorem, nolens vllum cum eo habere consortium.

78 STEPHANVS VI. Adriani successor eundem Photium execratus, eamque ad Episcopos Orientis reddidit rationem, quia deposito Photius se opposuit. *Vnde*, ait Pontifex, *Si regiam viam ambulasset, & decretis SS. Patrum inhęsisset, ad tantam insaniam nunquam deuenisset.*



§. 2.

S. 2.

Eiusdem depositi in subsequentibus Pontificibus continuata diligentia monstratur.

79 FORMOSVS Papa subsequitur, qui ad confirmandam Photij damnationem Constantinopolim misit Legatos à latere Capuanum, & Romanum, in Photium præuaricatorem, & legum euersorem, vt *sententia à prædecessoribus Oecumenicis Pontificibus*, *ante omnia prolata, nec non à nostra*, dicebat, *humilitate confirmata, perpetuo tempore immutabilis permaneat.* epist. ad Stylian.

80 STEPHANVS VII. Papa succedit Formoso, qui & si quod humanum est, à prædecessorum virtutibus nonnihil declinarit, nullus tamen Catholicorum ab eiusdem obedientia se subduxit, ipsum vt patrem, & pastorem necnon depositi conseruatorem agnoscendo, à quo Rhemēsis Episcopus Fulco Remboldi tyrannidem Apostolica petit authoritate deprimi. Ei successit THEODOSIVS, qui post Romanum ingressum creatus est, sedens dies 20.

Quàm verò fuerit depositi tenax IOANNES IX. successor Theodori, ex eiusdem oratione ad Synodū Romanam liquidò demonstratur; ibi enim Episcopos adhortatus est, *vt commissæ sibi à Deo Ecclesiæ curam vnusquisque eorum vita augere studeat, & gregem Christi sanguine redemptum bonis exemplis, ac salutaribus documentis inseruiat, vt illud audire mereatur. Euge serue bone, & fidelis.* Ad ieiunia hortatur, & litanias, vt Deus schismata, & seditiones comprimat; & ad Stylianum scribens hortatur, vt decreta prædecesso-

ceſſorum Pontificum inconcuſſa permaneant aduerſus Photium, &c. promulgata.

81 BENEDICTVS Papa IV. & LEO V. Ioanni ſuccedunt, depoſitũ cuſtodiendo ab incurſibus Orientalibus, & Photianæ hæreſi patrocinantibus. Deinde Chriſtophorus pulſo Leone intruditur, quo etiam pulſo, legitimè SERGIVS III. creatur, qui & ſi indigna contra ordinationes à Formoſo factas perpetrarit, nõ eſt inuẽtus, qui ob eã cauſam ſchiſma, vel hæreſim fecerit, vel depoſitum ſacrum aggreſſus ſit, peculiari prouidentia, Dei Eccleſiam protegente, ne corruptis moribus intruſorum Pontificum, anſam aduerſarius acciperet, Pontificiam, cum depoſito inuadendi maieſtatem. Quinimò viuente Sergio Concilium Sueſsione in Gallijs contra Photium eo exhortante congregauit, vbi in fine c. 14. ſic dicitur. *Hortamur fraternitatem veſtram, vt vna mecum ſecundum admonitionem Domini Romanæ ſedis Præſidis, ſinguli veſtrum perſpectis Patrum Catholicorum ſententijs de diuinæ ſcripturæ pharetris acutas proferamus ſagittas, potentes ad conficiendam belluam monſtri renaſcentis, & ad terebrandum caput nequiſſimi ſerpentis*, & in cap. 15. *Eccleſia* (aiunt) *noſtris quoque partibus, vt dictum eſt ſuper hãc petræ ſoliditatem, non tantum fundata, ſed ab eo, eiuſq; ſucceſſoribus, etiam edocta, cum de gratia ipſius Petri ſuffragantibus meritis firmitatem fidei, quam primo percepit hactenus inconcuſſam ſeruare ſtuduit, nullaq; perfidorum conſortia recepit.* Nonne legem depoſiti illibatè cuſtodiuit?

82 ANASTASIVS III. Sergio, & Anaſtaſio, LANDVS ſuccedunt, ambo in cuſtodia depoſiti vigiles. Intruditur deinde IOANNES X. poſtea accedente

Cleri

polim perrexit,& cum eodem Pontifice, putat annalium descriptor,tractatum esse de capitulis illis additis quintæ, & sextæ Synodis, Gregorio eius diacono, antiquorum Patrum acerrimo defensore, quod ex Anastasio Bibliothecario ostẽdit. Imperatoris hęreticam confessionẽ maturo consilio respuit. Numerosa quoque illa pseudosynodus, ope Imperatoris aduersus sextam legitimam Synodum congregata (vbi vera fides ibidem prodita est) sub hoc Pontifice eierata, & in Occidente religionis fides,resistente Imperatore, conseruata est.

59 GREGORIVS II. pro sacrarum imaginum cultu Synodum Romanam indicit,eius decreta suo calculo obsignat,cuius Synodi fragmenta recitata ab Adriano Papa epist.ad Carolum Magnum.Ibidem anathema Imperatori,& omnibus Iconomachis ex deposito dictum est.

60 GREGORIVS *III.* ex depositi doctrina Bonifacij Germanorum Apostoli consultationibus respondet. *Bene nosti* (ait) *quia B.Apostolus Petrus, & Episcopatus principium extitit, & consulenti tibi de statu Ecclesiæ, non ex nobis quasi ex nobis,sed eius gratia,qui aperit os mutorũ,& linguas infantiũ facit disertas,qualiter tenere debeas Apostolici vigoris doctrinã dicimus.* Idẽ Sanctus Legatus Pontificis Synodum in Germania congregauit, multaque pro veritate,& subiectione,& reuerentia Sedi Apostolicæ, & Ecclesiastica disciplina sancita.

61 ZACHARIAS quoque eiusdem Bonifacij successor variis de Fide consultationibus respondet ep.12. & nouas quarundam Gallorum benedictiones deposito non vult admiscendas. *Nam,* inquit, *non ex Apostolica*

stolica traditione hoc faciunt, sed per vanagloriam hoc operantur, sibi ipsis damnationem adhibentes, dum scriptum est. Si quis volens euangelizauerit præter id, quod euangelizatum est, anathema sit. Post concludens. *Regulam Catholicæ traditionis suscepisti Frater amantissime.* Ab eodem Pontifice coacto in Patriarchio Lateranensi Concilio, Adalbertus & Clemens hęretici à Bonifacio detecti, cum suis erroribus damnati sunt. Extat etiam epistola Zach. ad Bonifacium, qua etiam statuta Synodi Germaniæ roborata. Sampson quoquè qui necessitatem baptismi negabat vt hęreticus à Zacharia explosus, ex epist. 10.

62 STEPHANVS II. eligitur successor, & depositi custos: sed die 3. à somno exurgens alienatus obmutuit, & defunctus est, ex Baronio. Illi successit STEPHANVS III. (ab alijs II. dictus) qui viriliter depositùm custodiuit, nam 7. Synodum congregatã Constantinopoli 338. Episcoporũ Orientaliũ dissoluit, & irritauit; & vt ab errore Copronymus desisteret enixus, vt dicit Adrianus Papa epistol. ad Constantin. & Iręnem.

63 PAVLVS quoquè primus (eodem Adriano testante) plurimum pro deposito custodiendo laborauit, nã & Copronymum Imperatorem à sua contra sacras imagines impietate reuocare studuit, ex Anastasio Bibliotech.

64 Eius successor STEPHANVS IV. aduersus aliam pseudosynodum Constantinopolitanam pro depositi custodia æstuans egregiè dimicauit (congregata Romæ Synodo) eamque vt addititiam deposito respuit, dicens. *Qui alium terminum si lei seu Symbolum, atque doctrinam habet, præter id, quod traditum est a Sanctis*

sex magnis,& vniuersalibus sex Synodis, talem impium anathematizamus. Ex fragmentis in tract. Adriani Papæ ad Carolum Magnum de imaginibus.

65 ADRIANVS Papa I. depositi eiusdem custos vigilantissimus missis legatis, vij. Synodum Nicçæ celebrari voluit pro sacris imaginibus aduersus Iconomachos. Vnde hæc scripsit ad Irenem, & Constantinum Imperatores. *Patrum priscas sequamur traditiones,& ab eorum doctrina nulla declinemus ratione*. Et ad Tharasium Patriarcham, de Roman. Pontificis cura Pastorali testimonium perhibet, quòd, *cura quoque suscepti ouilis diligenter inuigilat, ne oues Dei, aut peruersi homines praua loquentes, dilanient, aut maligni spiritus oblectamenta vitiorum suadentes deuastent*. Significās quoque se curasse, vt *pseudosyllogus* (idest falsum collegium) *qui insyllogisticè factus est aduersus venerabilium Patrum traditionē, contra sacras imagines, anathematizetur præsentibus Apochrisarijs nostris,& omne zizanium eradicetur ab Ecclesia*. Errores item Elipandi Episcopi Tolet. ex testimonio Nazian. Athanas. &c. refutauit. epist. 4.

66 LEO III. à Studita epist. 33. & 34. interpellatur, vt eliminaretur *Mçchosynodus* (sic enim dictum fuit conciliabulum illud, vbi coniugium Constantini cum Theodote viuente priori coniuge à Mçchianis, qui Synodo interfuerunt, approbatum est) *& diuino*, inquit, *eius principatu legitima Synodus conuocaretur, & orthodoxum dogma excluderet hçreticum*. Opem verò præstasse Leonem ne tam peruersum dogma serperet compertum est, ex iisdem Studitæ litteris ep. 34. per Epiphanium enim paterno amore plenas Apostolicas epistolas ad eundem Theodorum direxit, in quibus

quam

quam viriliter contra eundem errorem Papa dimicarit, apparet apertę. Idem depoſitum ſucceſſor STEPHANVS V. illibatè ſeruauit. Sępè enim *cum Imperatore colloquium habebat de vtilitate S. Dei Eccleſiæ*, ex geſtis Ludou.c.17.

67 A PASCHALI hæreſis Iconoclaſtarum rurſus ex Apoſtolico depoſito configitur, ex Studita epiſt. 66. quare *non effugerunt*, ait, *quin à ſupremo Eccleſiæ throno arguerentur*. Et poſtea. *Si enim à Coriphęo*, ideſt Rom. Pontifice, *abrupti ſunt, & ab alijs tribus Patriarchis, vtique & à Chriſto, qui caput eſt prædictorum*.

68 EVGENIVS II. depoſiti cuſtos tenaciſſimus, Ludouici Imperatoris Iconomachorum patroni, artes, & conſilia diſiecit: nec vnquam errores collatorum pſeudoſynodi Pariſienſis contra ſacras imagines probauit: licet ſubdole laborarent de errore ſuadendo Rom. Pontifici. Vnde & ad ipſum Eugenium ſcripſerunt, & nomine Eugenij fictitias reſponſiones ediderunt. Verum inuiti hoc teſtimonium perhibent Fidei Rom. Pontific. quod, *per Apoſtolos Petrum & Paulum protegente Spiritu S. & ipſis intercedentibus ab omni hæreſi illibata vſque nunc conſeruata eſt, vt non ſolum ipſa ad quodlibet erroris diuerticulum minimè declinaret, ſed potius omnes à rectæ fidei tramite, quoque modo per orthodoxos eorumdem ſucceſſores toto orbe terrarũ ad rectitudinem potius reuocaret. Teſtis enim huius rei non quilibet angulus, ſed orbis terrarum vniuerſus, quia quoties tales per mundum perſecutiones motæ ſunt, quæ ad periculum vniuerſalis Eccleſiæ imminere putabatur ob inueniendam, inuentamquę cuſtodiendam Catholicæ fidei veritatem, ſemper hoc vniuerſalis Eccleſia, præſente, ob huius ſanctitatem ſedis, Pontifice, aut certè cum*

con-

consensu illius, verbis, vel litteris porrecto corrigere, porrectumque ad conseruandum stare consueuit.

69 VALENTINVS subsequitur, de quo Anastasius Bibliothec. ait. *Valentinus alendorum gregum fidelium Præsulatus culmen sortitus, maxima celeritate ex hac vita præsenti subtractus est, &c. magnæ sanctitatis, magnæq; beatitudinis vir, repletus gratia Spiritus Sancti.* Quare necessariò depositi custodiendi magno zelo exarsisse, dicendum est.

70 Sub GREGORIO IV. Theophilus Imperator Iconoclastarum hęresim propugnabat, at Pontifex depositum custodiebat: pro quo etiam multi confessores, præcipuè Monachi viriliter decertabant teste Curopalata: *Ostendebant* enim Imperatori *ex dictis Patrum nostrorum Dionysij Magni, Ierothei, & Irenei, non heri, aut paulo ante Monachorum Rempublicam adinuentam, & statum, sed antiquam, atque adeò priscam. Quin etiam imaginum figuras cum Apostolis viguisse monstrabant:* vnde & martyrium subierunt. Sub eodem Pontifice tandem ea hæresis, quæ ante centũ viginti annos Ecclesiam vexauerat, extincta est, & ex deposito in cineres redacta.

71 SERGIVS II. in Pontificali sede locatur, *fide purus, prædicatione*, Liberior, ait Anastasius, ex deposito Fidem seruans, & fideles pascens, nam vt legitur in eius sepulcro;

Diuinis monitis non fuit ille piger.
Romanos proceres non tantum famine verbi,
Rebus & humanis nocte dieq; fouens.

72 Sub LEONE IV. errores Godescalchi, innouantis Prædestinatorum hæresim, in Gallia disseminabantur, qui in Synodo Moguntina, vbi Rabbanus interfuit dam-

damnati sunt, iterum aduersus discipulos Godeschalchi sub eodem Leone Valentina Synodus in Gallijs celebratur, sequens vestigia Concil. Carth. Arausic. quare nec inconsulto Romanæ sedis deposito, vt olim prædicta Concilia præstiterunt, aliquid definisse putandum est.

73 NICOLAVS I. succedit. Illicò ad [c]omprimendam hæresim Iconomachorum in Orientem legatos misit, vt iterum ex sacro deposito, definitio pro sacris imaginibus publicaretur, hæc scribens. Oportet *Nos maiorum nostrorum statuta, immoto mentis intuitu conseruare, & in omnibus, SS. Patrum semper dogmata venerari, definimus de sacris imaginibus, &c. quæque Sedis Apostolicę Pręsules pro eis decreuerunt, atque statuerunt illibata persistere, atque intemerata manere.* Ad Consulta Bulgarorum, illud elogium de Ecclesiæ Rom. fidelitate protulit. *B. Petrus, qui in sede sua viuit, & pręsidet, dat quærentibus fidei veritatem, nam & S. Romana Ecclesia semper sine macula fuit, & ruga.*

74 Huius sicut & ADRIANI II. successoris octaua Synodus diligentiã prædicauit in deposito custodiendo aduersus Photium, & Gregorium Syracusanum his verbis. *Pontifex Beatissimus Papa Nicolaus, &c. & ipse qui & gradus, & dignitatis, & moris eius successor es, pro ecclesiastica pace alacriter exercuistis, ad expellendum lupum, ab ouili Christi, tanquam veri Pastores rationabilium ouium Christi, quinimò Summi Pastoris, & Principis Ecclesiarum.* Eandem diligentiam idem Adrianus testatus est, ad Basilium, & Leonem scribens. *Non enim est in nobis est, & non est. & si quæ destruximus eadem rędificauerimus, pręuaricatores nos legis esse constituemus. Satis enim nota sunt, quę cum*

suo

suo authore destruximus, & quæ conseruanda mandauimus. Ab illis quippe sacratissimis constitutis, quæ vel Apostolicæ memoriæ decessor noster Papa Nicolaus ante salubriter sanxit, vel nos posteà dispensatoriè protulimus, nulla motione, vel mutatione discedemus, aut ad dexteram vel sinistram quoque modo declinabimus. Quę videlicet tota iamdudum probauit Ecclesia, & immutilata seruanda nuper gestum vniuersale Concilium statuit. Neque enim nobis moris est, vt pro LIBITO PROPRIO paternis sanctionibus abutamur, &c.

75 IOANNES VIII. Photianum conciliabulum cum Photio ipso damnauit, vt patet ex litteris Stephani Papæ successoris ad Basilium destinatis, & ex alijs Formosi, & Ioannis i x. litteris ad Stylianum Neocęs. Episcopum; & si enim antea misericorditer egisset cum Photio, illum restituendo, nunquam tamē quæ contra depositum in Synodo acta sunt probauit, ipsomet Pontifice epist. 250. & 251. scribente. *Ea quę pro causa tuę restitutionis Synodali decreto Constantinopoli misericorditer acta sunt recepimus. Et si fortassè nostri Legati in eadē Syn. contra Apostolicā pręceptionem egerint, nos nec recipimus, nec iudicamus alicuius existere firmitatis.* De puritate autem depositi, & fidei loquens ep. 86. ad Episcopos destinata, hortatur Michaelem Regem, vt ad fidem rediret. *Hanc*, ait, *itaque fidem suggere semper & suade carissime pio Regi sitire. Hanc enim alibi præcipuè quęrere nisi Romę, vbi plantata est, & radicata à B. Petro, qui hęc vt supra ostendimus, sicut veraciter agnouit, veraciter & prędicauit: quoniam sicut aqua non potest alibi tam munda, vel tam limpida, quemadmodum in fonte vnde originem protrahit inueniri; ita & fides nunquam omnino poterit alibi*

bi tamen pura vel tam nitida reperiri, ſicut in Eccleſię noſtra viuario, vbi eam non tecta perſtillantia, ſicut litigioſa mulier, ideſt hæretica prauitas comparatur: ſed ille Polorum clauiger vbertim, & puriſſimè congregauit, qui ex ipſo fonte viuo hanc cęlitus hauſit, & limpidiſſimam conſeruandam mandauit.

76 MARINVS II. aliàs Martinus *I*oanni ſuccedens Photium etiam damnauit, vnde Baſilius *I*mperator multa ignominioſa in Sanctum Pontificem effutiens, à *P*ontificali Sede eum exturbare ſatagebat. Sed Stephanus vi. ſucceſſor eius locupletiſſimè ſatiſfecit, ſcribens ad eundem Baſilium, ſui prædeceſſoris aduerſus illatas iniurias, ſe Hyperaſpiſtem oſtendens, eo elogio cohoneſtans Marinum, quod octauæ Synodi fuerit defenſor acerrimus, quando in ea, vt patet ex Act. 1. eius Concilij, locum Adriani Antiſtitis *V*rbis Romæ tenuit.

77 ADRIANVS III. prædeceſſoris ſui veſtigia inſectatus Photium quoque execratus eſt, tanquam depoſiti inuaſorem, nolens vllum cum eo habere conſortium.

78 STEPHANVS *VI. A*driani ſucceſſor eundem Photium execratus, eamque ad Epiſcopos Orientis reddidit rationem, quia depoſito Photius ſe oppoſuit. *V*nde, ait Pontifex, *Si regiam viam ambulaſſet, & decretis SS. Patrum inhęſiſſet, ad tantam inſaniam nunquam deueniſſet.*



S. 2.

ceſſorum Pontificum inconcuſſa permaneant aduerſus Photium,&c.promulgata.

81 BENEDICTVS Papa IV. & LEO V. Ioanni ſuccedunt,depoſitũ cuſtodiendo ab incurſibus Orientalibus,& Photianæ hæreſi patrocinantibus. Deinde Chriſtophorus pulſo Leone intruditur, quo etiam pulſo,legitimè SERGIVS III. creatur,qui & ſi indigna contra ordinationes à Formoſo factas perpetrarit, nõ eſt inuẽtus,qui ob eã cauſam ſchiſma, vel hæreſim fecerit,vel depoſitum ſacrum aggreſſus ſit, peculiari prouidentia, Dei Eccleſiam protegente, ne corruptis moribus intruſorum Pontificum, anſam aduerſarius acciperet,Pontificiam,cum depoſito inuadendi maieſtatem.Quinimò viuente Sergio Concilium Sueſsione in Gallijs contra Photium eo exhortante congregauit, vbi in fine c.14.ſic dicitur. *Hortamur fraternitatem veſtram, vt vna mecum ſecundum admonitionem Domini Romanæ ſedis Præſidis,ſinguli veſtrum perſpectis Patrum Catholicorum ſententijs de diuinæ ſcripturæ pharetris acutas proferamus ſagittas, potentes ad conficiendam belluam monſtri renaſcentis, & ad terebrandum caput nequiſſimi ſerpentis*,& in cap. 15. *Eccleſia* (aiunt) *noſtris quoque partibus,vt dictum eſt ſuper hãc petræ ſoliditatem,non tantum fundata ,ſed ab eo, eiuſq; ſucceſſoribus, etiam edocta, cum de gratia ipſius Petri ſuffragantibus meritis firmitatem fidei, quam primo percepit hactenus inconcuſſam ſeruare ſtuduit, nullaq; perfidorum consortia recepit.* Nonne legem depoſiti illibatè cuſtodiuit?

82 ANASTASIVS III. Sergio,& Anaſtaſio, LANDVS ſuccedunt, ambo in cuſtodia depoſiti vigiles. Intruditur deinde IOANNES X. poſtea accedente

Cleri

Cleri concursu legitimus Pontifex habitus legationẽ misit ad Ecclesiam Constantinopolitanam pro vnione, & consensione fidei retinenda. Cuius meminit Nicolaus Patriarcha epist. ad Simonem Principem Bulgarorum, quem ad obsequium Rom. Pontifices adhortatus. idem Patriarcha ad eundem Ioannem litteras dedit, in quibus ait, *Si quæ sunt correctionis indiga, doctrina insinuet, vt emendari queant iuxta cõstitutiones Ecclesiasticas*.

83 LEO VI. succedit in custodia depositi, & pontificali munere, sed eo post dies 15. e viuis sublato, STEPHANVS VIII. aliàs VII. eligitur eiusdem depositi custos, sed post duos annos, & mensem vnum, & dies 15. fatis concessit. Deinde potentia, & vi pseudopapa intrusus, Ioannes XI. eligitur, qui sicut violenter intrusus est, sic violenter detrusus. Post quẽ LEO VII. legitimus successor, & fidus custos depositi habitus est. Deinde STEPHANVS IX. in Petri solio collocatur, in depositi cura solicitus.

Stephano succedit MARINVS *III.* qui totus erat in reformatione Monachorum, cura pauperum, Basilicarum instauratione indefessus, multò magis in deposito custodiendo vigilans, vt præstitit quoque successor AGAPETVS *II.* qui quantum fidelis esset in deposito fidei tuendo, ex Synodo Romana sub ipso congregata colligitur, quando damnationem Episcopi Hugonis irritauit, & Hugonem Principem excommunicauit, donec Ludouico Regi satisfaceret. Quid ni rebelles, & à fide extorres eliminasset?

84 IOANNES *XII.* Agapito succedit, qui quàm feruens esset in cura depositi, ex eius litteris patet ad Dusthanum Archiepisc. *Si pastores* (ait) *Solem, geluque*

pro

pro gregis sui custodia, die, ac nocte ferre contenti sunt, & oculis conspectant vigilantibus, ne aliqua ex ouibus, aut errando pereat, aut laniata morsibus rapiatur? quãta cura, quantoque sudore debemus esse peruigiles ob salutem animarum, qui dicimur pastores earum? Intruso verò Leone Synodus Romana contra eum indicitur à Ioanne, & vt habetur actione 1. Conciliabulum Schismaticorum cum Leone, authoritate Sanctorum Patrum profligatur.

85 BENEDICTVS V. postmodum legitimus successor Petri retinuit principatum, quem Pseudopapa Leo coegit exulare in Saxonia, vbi in pace quieuit in *sancta conuersatione viuens, aliosque sanctè viuere docens*. Ex Adam Chronographo li.2.c.6. Vide curam pastoralem de fide, & reliquis virtutibus excolendis solicitam.

86 IOANNES XIII. ex veteri deposito instructus, iubet Conciliũ Anglicanum indici ab omnibus Episcopis eius Regni, aduersus Clericorum incontinentiam, quod & sua authoritate firmauit. Synodum Romanam celebrat, vbi priuilegia concessa ab Anglorũ Rege Glastingebiri confirmantur, legatis Regijs id postulantibus.

87 DONVS II. subsequitur tribus mensibus sedens in cathedra pro custodia depositi: in cuius sepulchro in Ecclesia S. Crucis in Hierusalem, leguntur hi versus, vigilantiam attestantes.

Cumque pater multum certaret dogmate sancto,
Expulit à Sede, iniquus namque inuasor.
Hic quoque prædones Sanctorum falce subegit
Romanæ Ecclesiæ, iudicijsque Patrum.

Fuit autem Franco iste inuasor.

88 BENEDICTVS VI. successor eligitur, pro custodia depositi vno anno, mensibus 3. & diebus aliquot in cathedra sedens, strangulatus ab inuasore sedis Bonifacio *VII.* meritò ob hoc inter Pontifices non relato. Successit vero Benedicto vj. Papa BENEDICTVS VII. vir optimus, depositi custos. Benedicto vero successit Petrus Papiensis, IOANNES *XIV.* appellatus. Verùm *I*oanne *XIV.* Papa à Bonifacio Pseudopapa, & inuasore occiso, eodemque postea Bonifacio repentina morte sublato, legitimè creatus est IOANNES XV. ad eum accurrunt Episcopi Rhemenses pro reditu S. Adalberti ad Episcopatum, *Pro ruina* (dicebant) *atque occasu Sacerdotalis ordinis*. Damnantur ab eodē acta Synodi Rhemensis, damnato inuasore Sedis Episcopalis Geberto, qui Nouatorum semina spargens in summū Pontificem calamum strinxit; sed à Leone Abbate Papæ legato, disputationibus victo, cathedra legitimo Episcopo Arnulpho restituta est. Eundem Ioannem Papam (ex Sigon. lib. de Reg. *I*tal. sacris pedibus prostratus, vt Petri successorem, & depositi conseruatorem, Otho Imperator agnouit. Postea Ioannes Calaber dictus *XVI.* intruditur (iudicio *B*aronij pseudopapa) verum post *I*oannem XV. Gregorius V. vigilans in custodia fidei, & sacrarum legum, vt legitimus successor est agnitus. Vnde pro causa scilicet Adalberti concilium Romæ celebrat: ibidem electores *I*mperij designati, Cēturiatoribus id inuitè profitentibus, quam potestatem ex deposito agnoscunt, & tuentur Rom. Pontifices. Ex eodem deposito damnauit matrimonium Ruperti Francorum Regis cum Berta Commatre, & affini sua.

89 SYLVESTRO vero *II.* Gregorij successore clauū Eccle-

Ecclesiæ tenente, Leuchardus, & Vilgandus noui hęretici exorti, sed repressi sunt ex Fidei orthodoxæ deposito, quod magna solicitudine Pontifex custodiebat.

90 IOAN. Papa XVI.aliàs XVII.cognomēto Siccus, Syluestro successit; Huic post quinque menses, alter IOANNES *XVIII.* alias *XIX.* sub hoc Ioanne Berengarij fętus prodierunt contra Sacram Eucharistiā. Sed cum Latinas aures,atque Theutonicas rumor de infanda hac hæresi occupare cępisset, ab Aldemanno Episcopo Brixiensi redarguebatur hęreticus,vt depositum custodiret,*Viam*,dicebat Episcopus,*gradientes, SS.PP.vestigijs inhærentes, vt nullum prorsus diuerticulum,nullam in nouam,& fallacem semitam desiliamus,* Et multo magis PP.in custodia euigilabat, cum cęteros Episcopos loci authoritate superaret. Vnio quoq; facta est Constantinopolitanæ cum Ecclesia Romana, vnde hos versus Sergius IV. eius sepulchró affixit.

Doctrinis comptus sacris, & dogmate claro
Per patrias sancta semina fuditouans,
Nam Graios superans Eois partibus vnam,
Schismata pellendo reddidit Ecclesiam.

91 SERGIVS ipse IV. Ioanni succedit, & ex eius sepulchrali titulo diuini custodia, & miseratio colligitur.

Pauperibus panis,nudorum vestis opima,
Doctor, & egregius, qui fuit in populo.

Succedit BENEDICTVS *VIII.* sub quo (vt dicit,annalium conditor) Henrico Imperatore petente Symbolum post Euangelium in Missa cantari cęptum est,cum prius non caneretur,ea ratione (vt Henrico de ea te interrogante, Presbyteri Romani responde-

runt) quòd *Romana Ecclesia non fuisset aliquando vlla hæreseos fęce infecta* (vide illibatam custodiam depositi) *sed secundum S. Petri doctrinam, in soliditate Catholicæ fidei permaneret inconcussa, & ideò magis ijs necessarium esse illud Symbolum, sæpius cantando frequentari, qui aliquando vlla hæresi potuerint maculari.* Detenta tamen postea Symboli canendi consuetudo pijssima, quam omnes Catholici veneramur, & antiquitate quoq; millenaria spectabilem monstramus. Tanta verò erat Pontificis, & Cleri Romani vigilantia in custodiendo deposito, vt Sanctus Simon Armenus, qui Romam aduenerat, ab vno de Clero, vt hęreticus, & impostor haberetur (erant eo tempore Armenij erroribus, maximè Manichęis implicati) & parum abfuit, quin lapidibus obrueretur. Sed Pontifex eum accersit. *Tu quis es*, inquiebat: *dic ergo Frater, & Monache? & si catholicæ Fidei cultum tenes, per me his omnibus innotescat.* Cumque Fidem catholicam innocens professus esset, gratię Deo Opt. Max. redditæ, quod innocentiam defendisset. Vide quanta erat cura depositi in Benedicto. Serpebat eo temporis articulo in Gallijs hęresis Manichęa, in Aureliana scilicet, & Aquitanica ditione, & in Hispanijs Toleti, alijsque occiduis regionibus; vigilantibus Episcopis, sed multo magis Romano Pontifice, in sublimi specula, pro depositi custodia diuinitus constituto.

92 IOANNES XIX. aliàs XX. Benedicti frater, primo intrusus, sedem Petri occupat, sed Pontificatu se abdicans, postmodum legitimè electus est, verus Petri successor, & depositi conseruator, quem Episcopi Galliarum agnoscentes, & venerantes humiliter consuluerunt de ea quæstione; An B. Martialis Christi disci-

scipulus Apostolus attitulandus esset, qui controuersiam ex deposito dissoluens, Apostolum nuncupandū epistola decretali ad eos directa, pronunciauit.

93 BENEDICTVS *IX.* post *I*oannem sedit in cathedra, quæ & si vim in eo tunc passa sit, postmodum vt verus, & legitimus Pontifex habitus est ex Baron. Hic depositi curam agnoscens hęc scripsit ad Episcopum Lemouic. conquerentem quendam (ignorante Episcopo) absolutionem fraude impetrasse. *Scis* (ait) *quia quicunque de vniuersa Ecclesia, quæ est in toto orbe terrarum ad me causa remedij recurrit, Impossibile est mihi eius curam negligere, dicente Domino ad B specialiter Petrum, pasce oues meas.* Quam postea absolutionem, vt subreptitiā, fecit Pontifex irritam, & Canonibus ecclesiasticis, & veteri deposito aduersam. *A* Pontificatu quoque se abdicante Benedicto, successor GREGORIVS *VI.* Sanctitate conspicuus in Petri sede locatur, non solum depositi spiritualis, sed etiam temporalium Ecclesię bonorum custos, semper clamans, *Vt vsurpata patrimonia Ecclesiastica redderent inuasores, aliàs membra Ecclesiæ se non esse cognoscerent, qui capiti Ecclesiæ B. Petro, & successori reluctarent.*

94 CLEMENS *II.* Gregorio succedens, Romanam Synodum indicit contra Simonianam luem, eo tempore grassantem. Meminit Petrus Damianus epist. 30. decreti Clementis aduersus Simoniacos editi. Maiori curę certè erat Pontifici, hæresis Simonianæ (vt aliarum) virus extinguere, qui Simoniaca facta tantopere detestabatur.

95 DAMASO *II.* succedente, ex Panuino, viginti tres dies cathedra suum Pontificem habuit; cui successit LEO *IX.* qui duas Synodos celebrauit, Ro-

K 3 manam,

manam,& Vercellensem,in quibus Berengarij, & *Ioã*nis *S*coti, & aliorum *S*acramẽtariorum errores ex deposito,atro lapillo damnati.*A* qua sententia ex Lantfranco aduersus Berengarium, tanquam depositi tenax,*Nunquam discessit S. Leo in omnibus suis Concilijs*, &c. Quæ sententia,subdit,nec effugit suum quoque successorem *felicis memoriæ Papam Victorem*. *I*dem *L*eo ex depositi inspectione Græcorum errores confutauit,præsertim Michaelis Cęrularij Patriarchæ, quẽ reprehendit 1. epist. c. 2. quod *humanis argumentationibus,& coniecturis antiquam fidem confodere,ac subuertere moliatur*.Nouam quoque hæresim ex Gregorio vii. epist.4.de reordinandis *S*imoniacis profligauit etiam VICTOR *II*. ex testificatione iam dicta Lantfranci:quæcunque contra hęresim *B*erengarianam statuta fuerunt à prædecessore suo in multis Concilijs, tanquam depositi vigilantissimus custos,confirmauit.

96 STEPHANVS X. depositi curam agnoscens,vix creatus *P*ontifex, legationem ad Orientem destinandam decernit pro Constantinopolitana Ecclesia Romanæ vnienda. *A Beatæ memoriæ NICOLAO II. & centum tredecim Episcopis* (ait Lantfrancus) *dogmata Berengarij Romæ audita,examinata,atque damnata*.

97 *A*b ALEXANDRO *II*. Lateranensis *S*ynodus celebrata,hæresis,seu lues *S*imoniaca damnata,incontinentia Clericorum depressa. *I*tem Concilium *B*arcinonense suo tempore celebratum, vbi leges Gothicę abrogatæ,Hęresis Nicolaitarum,& *I*ncestuosorũ sub eodem Pontifice,per Petrum Damianum repressa.

98 Sub GREGORIO *VII*. iterum Berengariana hæresis in *S*ynodo Romana damnata. *I*dem Pontifex Henricum Regem Anglorum admonet, vt decreta Apo-

*A*postolica amplecteretur, ex depositi custodia rationem assignans. *Quia ad SS.PP.decreta, doctrinamquè recurrimus, nihil ADINVENTIONE nostra statuentes, sed primam, & vnicam Ecclesiasticæ disciplinæ regulam, & tritam Sanctorum viam, relicto errore, repetendam, & sectandam esse censuimus. Neque enim aliū nostræ salutis, & æternæ vitæ introitum Christi ouibus, eorumque pastoribus patere cognouimus, nisi quem ab ipso monstratum, qui dixit. Ego sum ostium, & ab Apostolis prędicatum, & à Sanctis Patribus obseruatum, & in omni diuinarum scripturarum pagina didicimus.*

99 Successor Gregorij VICTOR *III.* Beneuentanū Concilium (cui prę sedit) celebrauit: ibi hæresis Simoniaca damnata, & Guitbertum hæresiarcham, tanquā Ecclesiae Romanae inuasorem decreuit, sarta tecta cupiens Prophetarum, Apostolorum decreta, Canonum, & Pontificum iura, vt dicit Leo Ostiens. 3. lib. c. 71. & seq.

100 VRBANVS *II.* eandem sentētiā latam in Synodo Beneuentana (alia rursus abiecta, Beneuenti collecta) contra Guitbertum confirmauit: libellum à S. *An*selmo contra hæresis Sabellianæ instauratores roborauit: Synod. Turo. (vbi præterita Concilia roborata) aduersus Beringarium, atq; etiam Barense Concilium congregari iussit, ad vnionem Ecclesiæ Gręcæ cum Latina. Eius Concilij acta perierunt, innotescunt verò quæ ibi gesta sunt, ex S. Anselmi scriptis, qui d. Concilio interfuit.

PASCHALIS *II.* Romæ indicta Synodo Henricianam damnauit hęresim; quæ sub forma ista eierabatur. *Anathematizo omnem hæresim, & præcipuè quæ statum præsentis Ecclesiæ perturbat, quæ docet, & adseruit,*

uit, anathema contemnendum, & Ecclesiæ ligamenta spernenda esse. Promitto autem obedientiam Apostolicæ Sedis Pontifici Domino Paschali, eiusque successoribus, sub testimonio Christi, & Ecclesiæ, affirmans, quod affirmat, damnans quod damnat sancta, & vniuersalis Ecclesia. Iura quoque Ecclesiæ, ex veteri deposito confirmat ep. ad Archiep. Polon.

101 In GELASIO *II.* quanta esset cura depositi suamet verba in quodam serm. ad suos, de profectione, ostendunt. *Sequamur Patres nostros, quoniam valde bonum est antiquos sequi parentes.* Bogomilorum errores sub hoc Pontifice depressi.

CALLISTVS II. in Concilio Rhemensi præsidens Canones ex sacro deposito firmat in hanc formam. *Quæ SS. Patrum sanctionibus de prauitate Simoniaca stabilita sunt, nos quoque Sancti Spiritus iudicio, & authoritate Sedis Apostolicæ confirmamus.*

Etiam HONORIVS II. magnam curam adhibebat in custodiendo deposito, eo tempore cum Tanchelini Sacramentarij, & Petri de Bruis errores Petrus Cluniacensis, & S. Bernardus expugnabant.

Sub Honorij successore INNOCENTIO II. celebrato Concilio Romano, Arnaldi Brixiensis errores damnati. Petri quoque Abailardi tum Galliæ, tum Romæ hęreses, instante S. Bernardo eieratæ. Extat rescriptum Innocentij ex Apostolico deposito Abailardum damnantis, inter epistolas Bernardi, quę est, 194.

102 CAELESTINO II. Innocentij successori testimonium perhibet idem Sanctus de depositi custodia, dicens. *Innocentij defenditis bene gesta, & minus adimpleta perficitis.* Sed & LVCIVS II. à rebellibus, qui Politici dicebantur, & Arnaldistis vexatus (qui hęre-

sim

fim Arnaldi fectabatur) integerrimè perftitit in cuftodia depofiti. Idem depofitum à dictorum hęreticorū furore defendit EVGENIVS III. Sub eodem Rhemenfe Concil. indicitur, ibidem præfente Pontifice Gilberti Porretani, ex Apoftolici depofiti thefauro errores funt damnati, Britonis quoque illius Eudonis. Sub eodem Pontifice Petrobufiani, & Apoftolici, fic dicti, profcripti, S. Bernardo etiam contra illos decertante.

103 ANASTASIVS IV. ex tom. 1. Bull. 1. depofiti curam agnofcens, dicebat eius effe, *praua corrigere, recta firmare*, & eiufdem Pontificalis Sedis dignitatē dignofcens, dicebat, quod, *ei propriæ firmitas, & alienæ fidei confirmatio, eodem Deo authore præftatur*.

Similiter ADRIANVS IV. ad vnitatem fidei refpiciens ex depofito hęc fcribebat, pro vnitate Gręcæ, cum Latina Ecclefia ad Archiepifcop. Theffalonic. *Da operam, vt grex cum Ecclefia vniatur, & qui feipfas dominicas oues confitentur, ad gregem B. Petri reuertantur*. Sub eodem ex doctrina depofiti profcriptus Arnaldus hęrefiarcha. Vnde ille cecinit.

Iudicio Cleri noftro fub principe victus,
Appenfusque Cruci, flammoque cremante folutus,
In cineres Tiberine tuas eft fparfus in vndas.

ALEXANDER III. errores Albigenfium ex depofito in Concil. Lateranenfi profcripfit. Ad Archiepifcopum Senonenfem litteras dirigit, vt errores exorto circa humanitatem Chrifti Domini, conuocatis coepifcopis, & Magiftris in Theolog. damnet, habetur c. cum Chriftus de hęret. in Dec.

LVCIVS quoque III. in cuftodiendo depofito vigilantifsimus, damnat malè fentientes, & docen-

tes

tes de Sacramentis Ecclesię contra Rom. Ecclesię fidem. Vide c. ad abolendam de hęret.

104 VRBANVS III. in epistola ad Regem Scotiae iniunctum sibi officium agnouit, nimirum ad vniuersas Ecclesias, *aciem considerationis extendere*, & ex regulis depositi irrationabiliter attentata ad factum congruũ reuocare. Ei GREGORIVS *VIII.* succedit, in cuius pectore nedum custodia, sed etiam fidei cultus, & propagatio, in litteris ad Christi fideles pro recuperanda Terra sancta apparet, ad illud opus fidei, dicendo se accingere, *In quo Propheta toto prius studio laborauerunt, postmodum Apostoli, & sequaces eorum, vt diuinus cultus esset in illa Terra, & ad omnia climata mundi ex ea defluerent.*

105 CLEMENS *III.* in Pontificatu succedit. Sub illo orta est quęstio de substantia aquae vino in calice admixta, an similiter in sanguinem conuertatur. Sedes Apostolica consulta est, sed ait Annalium conditor, *Quicquid sit scriptum à Sede Apostolica non reperitur.* Tamen (subdit idem) ex deposito nihil aliud responsum est, *quam quod credidit S.R.E. Nimirum aquam simul & vinum, in sanguinem Christi transubstantiari.*

106 Sed & CELESTINVS *III.* solerti vigilantia Apostol. depos. custodiebat. Vnde epistola ad Simonẽ Decanum Eboracensem scribebat. *Illud nobis est summoperè pracauendum, ne inde Ecclesia, vel in temporalibus, vel in spiritualibus detrimentum incurrant.* Et ad Lincoliensem Episcopum. *Illius debemus*, nempè S. Petri, *quantum humana fragilitas permittit, exempla sectari, in quo Sedes Apostolica fundata consistit, à quo caeterarum Ecclesiarum curam suscepit, ligandi, atque soluendi plenitudinem potestatis.*

107 Ne-

107 Nequaquam vero cum prędecessoribus eadem cura depositi expirauit; nam & Innocentius *III.* in Concil. Lateranensi (vbi quoque *S. P*atriarcha DOMINICVS cũ Episcopo *F*ulcone interfuit) Almarici dogma damnauit, *A*bbatis Ioachim sententiam explosit, ex depositi sacri inspectione. Eiusdem successor HONORIVS *III.* nec impar in custodia depositi eiusdem, quando pro eadem cura scribit, diuinam prouidentiã suscitasse Pastores, *qui populos pascerent scientia, & doctrina, sicut per os Hieremiæ promiserat, Doctores Ecclesiæ, scilicet, qui terram cordis fidelium imbre doctrinæ complerent, & extirpatis vitiorum sentibus eam ad proferendum virtutum germen, & fructum huiusmodi operis fœcundarent.* in Bulla quae incipit *Ineffabilis.* anni 1225. Etiam GREGORIVS IX. depositum custodiens excommunicauit *P*atarenos Catharos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Iosepinos, *A*rnaldistas, facies quidem habentes diuersas, sed caudas adinuicem colligatas, de hæret. & ex Bulla 1236. quae in directorio incipit, *Excommunicamus.*

108 CLEMENS IV. in eadem cura depositi succedẽs, 17. diebus à sua creatione superstes fuit. Hic INNOCENTIVM *IV.* successorem habuit vigilantissimum depositi custodem, vnde auctor fuit, vt Francorum Rex libros Thalmudistarum in vniuersa Galliae ditione rogo traderet. Principes vniuersos admonuit vt *I*nquisitoribus suppetias ferrent aduersus haereticã prauitatem, *Tanto*, aiebat, *intendatur ad tam pestiferi morbi curam per Nos, & alios, qui sunt animalia oculata, & lucernæ ardentes super eiusdem Ecclesiæ candelabrum, quanto grauior ex contagio ipsius morbi, & pestilentior animarum sequitur corruptela.* In Bulla anni

1241.

1241. quae incipit. *Impia Iudæorum.*

ALEXANDER *IV.* vigilantiam Apostolicã ostendit, dicens in Bulla anni 1236. quod *quò altius præsidet eo longius, latiusque circumspicit, & quanto plus potest officio, tanto maioris vigilantiæ sibi sarcina imminente plus pensat.* Item pestiferam doctrinam contra statum Episcoporum, & Mendicantium euulgatam damnat. Bulla incipit. *Non sine multa.*

109 VRBANVS *IV.* dicebat. *Licet teneamur ex officij nostri debito extirpare letiferam pestem hereticæ prauitatis, in Italia tamen nobis imminet, nobis hæc solicitudo propensius, vbi eandem pestem propter malitiam temporis, quæ in detrimentum Fidei Catholicæ peruersa germina germinauit, persentimus abundantius succreuisse.* in Bulla, *Licet ex omnibus.*

110 CLEMENS *IV.* zelo eiusdem depositi flagrans conclamabat in Bulla anni 1265. *Ad extirpanda*, dicens. *Cum abundãtius solito hæreses succreuerunt, &c. tanto studiosius iuxta commissam nobis solicitudinem insudare proponimus, quanto perniciosius negligeremus easdem in necem catholici seminis peruagari.*

111 GREGORIVS X. in Concilio Lugdunensi, ex deposito profitetur Spiritum Sanctum à Patre, & Filio, vt vno principio, non duobus procedere, quam confessionem cum alijs articulis Fidei Catholicae Romanae Ecclesiae, Greci cum Michaele Imperatore amplexi sunt, vnde in eodẽ Concil. Lugdun. exclamauit Pontifex, vt patet in epist. ad eundem Imperatorẽ scripta. *Exultet Mater Ecclesia.*

112 INNOCENTIVS V. ex Ordine Predicatorum ei succedens, non minus depositum vniuersalis Ecclesiae Doctor factus custodiebat, quàm cum priuatus

Do-

Doctor verbo,& ſcriptis in ſententiarum libros commentarijs,fidem illuſtrauerat.

113 ADRIANVS V. (breui tamen tempore in depoſiti vigili cuſtodia) legitima ſucceſſione creatur, poſt quem IOANNES XX. aliàs XXI. cathedram regens,depoſitum cuſtodiuit. Ioanni ſucceſſit NICOLAVS *III.* depoſitũ diligenter cuſtodiendo; ac profitendo,c.*fundamenta* in *6.*de electione,& elect. poteſtate, *Eccleſiam in Petrò ædificatam, vt æterni templi ſtructura,Deo ædificante conſeruata,mirabili munere gratiæ Dei,in Petri conſiſteret firmitate,vt ab ipſo quaſi quodam capite,dona ſua velut in corpus omne diffunderet.*Vir integerrimus,magni animi,& conſilij, immeritò à Nicolao Macchiauello 1.Hiſt.Florentin.de ambitione notatus. Poſt quem MARTINVS *IV.* inuigilans in paterni cura depoſiti, Michaelem Imperatorẽ tanquam hæreticum, & hęreticorum patronum anathemate notatum,vitandum publicauit in Bulla, quæ incipit. *Michaelem Imperatorem.*

114 HONORIVS *IV.* Inquiſitionis miniſtros Apoſtolicis diplomatibus tuetur pro ſecuritate depoſiti, rebelles comprimendo in Bulla, quæ incipit, *Nouerit,* Similiter & NICOLAVS *IV.* in Apoſtatas Hebraizantes excandeſcit,in Bulla,*Turbato corde.*

115 CAELESTINVS V. de renunciatione cõſtitutionem edidit, c. *Quoniam aliqui,*de qua re fit mentio in *6.* docendo Romanũ Pontificem poſſe liberè reſignare, proculdubio doctrinam euulgans è depoſito deprompram, quam contra impios obloquentes Aegidius Romanus defendit.Succeſſoris BONIFACII *VIII.* mira depoſiti diligentia apparet in tot conſtitutionibus aduerſus hęreticam prauitatem, quæ ſunt in *6.*

in 6.registratæ.*Vt commissi à vobis*,& c.sequentes.

116 BENEDICTVS *XI.* ex Ordine Prędicatorum assumptus, sicut prius tanquã priuatus Doctor,scriptis ecclesiasticũ depositũ muniuit,multo magis in cathedra Petri sublimatus (quamuis breui tempore) quam etiam mortuus quoque miraculis illustrauit.

117 CLEMENS V. ex deposito in Concilio Viennensi multa dogmata definiuit,& Begardos, atque Beghinas eliminauit,atque damnauit. in Clement. *ad nostrum*.Templarios profligauit, vide Bullam. *Pastoralis praeeminentiae*;in directorio.

118 IOANNES quoque *XXII.* pro depositi custodia extrauagantem condidit, quæ incipit, *Gloriosam*, aduersus errores Fraticellorum,& in specie Michaelẽ de Cęsena, Gulielmum Okam, Bonamgratiã, & Henricum de Thalhen,vt vehementer de hæresi suspectos pronunciat,vide Bullam in direct.*I*nquisit.quę incipit, *Nuper in Concistorio publico.*

119 BENEDICTVS *XII.* constitutionem edidit pro deposito Fidei tuendo, definiens iustorum gloriam non differri vsq; ad iudicij diem,sed mox eorundem animas, si nihil purgandum superfit,in cœlum recipi. refertur à Castro lib.3.aduersus hæreses.

120 CLEMENS *VI.* quantum, paucis illis, quibus vixit diebus,depositi custodia ei cordi fuerit, ostendit eiusdem vigilantia in iuribus Ecclesiæ tuendis,in Bulla,quæ incipit,*Et si salutem.*

121 INNOCENTIVS *VI.* pro depos.fidei catholicæ sacrosancto tuendo (vt patet ex Bulla, quæ incipit *Quasi lignum*) Theologiæ studia ampliare curauit, *quæ facultas*,ait,*ad exaltationem catholicæ fidei,& exterminium hæreticæ prauitatis, & cunctorum infideliũ, & ad-*

& aduersus etiam inuisibiles potestates, armis inexpugnabilibus munit, & fortissimas constituit bellatrices.

122 VRBANVS V. E veteri deposito Ecclesiasticarum consuetudinum, in Dominica, *Lætare*, Rosam consecrat (cuius ceręmoniæ explicator est *I*nnocentius *III.* serm. 1. de eadem Dominica) similiter, & Agnos cęreos dispensat in memoriam *A*gni immaculati (de qua re *I*oannes Molanus oratione de Agnis *D*ei. Durãtus in ration. c. 79.) aliarum cęremoniarum, & dogmatum Ecclesiæ custos, vnde immeritò à Morneço in progress. 59. pag. 474. vt innouator cęremoniarum traducitur.

123 GREGORIVS *XI.* Raymundi Lulli articulos quosdam, & libros damnat, recensetur Bulla damnationis huius in direct. inquisit. apud Pegnam, incipit *Nuper dilecto filio.*

124 VRBANVS *VI.* etiam ab Vuitclepho legitimus Papa, & depositi custos fidelissimus agnitus est, cum (licet callidè) suam doctrinam eius censuræ subiecerit, vt probaret si orthodoxa, si à deposito discrepans improbaret.

125 BONIFACIVS *IX.* ex sacro deposito festum Visitationis B. Virginis instituit, studia Theologica pro eiusdem depositi custodia fouit, per quæ in Bulla, *in suprema*, dicebat, *diuini nominis, suæque fidei catholicæ cultus protenditur.*

126 INNOCENTIVS *VII.* Ordinem Fratrum de Pœnitentia (qui & Fratres militiæ *I*esu Christi dicti, à S. Dominico pro fidei defensione instituti) adeò amãs depositum, vt in illo id probarit. Non recipiẽdus, nisi *veritatis cathol. æmulator, & zelator præcipuus. C. 1.* confirmans id Bulla, quæ incipit, *Sedis Apostolicæ.*

Schisma

Schiſma ne fidei vnitas diſſolueretur, extinguendum curabat.

127 GREGORIVS *XII.* Innocentio ſucceſſit,& ſchiſma quantum in ſe erat ſopiendum ſatagebat. De ijs quoque dicebat, *quæ pro diuini cultus augumento, authoritate Apoſtolica próceſſerunt,vt illibata perſiſtant, libẽter adijci à Roman.Præſulibus firmitatem.* Sed illo cum Benedicto xiij.de Pontificatu contendente,Alex. V.electus eſt. Quare num Alexander V. legitimus fuerit ſucceſſor Gregorij, in controuerſiam vocatur: S.Antonino reclamante 3.p.Chron.tit.22.c.5.§.2.& 3.cum in Conciliabulo Piſano abdicato Gregorio,& Benedicto *XIII.*Antipapa electus ſit Alexander; Bellarmino vero affirmante. De qua re lege Coquetium in Antimornęo p.2.pag.241. Nec Ioannes *XXIII.* ait idem Coquetius,qui electus eſt poſt obitum Alex. viuente adhuc Gregorio *XII.*tanquam Pontifex certus,& indubitatus, propter ſchiſma trium Pontificum haberi potuit.

128 Fugato ſchiſmate in Concilio Conſtantienſi, MARTINVS V. eligitur. Hic litteras Apoſtolicas dedit damnationis errorum Vvitclephiſtarum, Ioãnis Hus,& Hieronymi Pragenſis, qui in eodem Concilio damnati ſunt.Incipiunt.*Inter cunctas.*

129 EVGENIVS *IV.* Concilium Florentinum indixit,eidem interfuit, ex depoſito errores Græcorum confutati,& Eccleſiæ Romanæ vniti. Ex act.eiuſdem Concilij. Sed & NICOLAVS V. vt legitimus ſucceſſor eſt habitus,& depoſiti Apoſtolici cuſtos, Amadęo,& Felice iv.repudiatis.

130 CALIXTVS *III.* ex iniuncto Pontificali officio, quæ pro cuſtodia depoſiti, & hæreſum extirpatione ſan-

sancita erant iterum roborata sunt in Bulla,quae incipit.*Iniunctum*.

131 PIVS II. ex deposito Apostolico Primatum Sũmi Pontificis supra Concilium tuetur atque defendit, ad Vniuersitatem Colon.scribens litteras Apostolicas,quarum initium est.*In maioribus*. Idem depositũ fidei PAVLVS II. strenuè defendit aduersus tunc grassantes Hussitas,Orebitas,&c.

132 SIXTVS IV. multas propositiones Petri Oxomensis respectiuè scandalosas, errantes, hæreticas,sua authoritate damnauit,atque proscripsit,in extrauagãti,quæ incipit.*Licet ea*.

133 INNOCENTIVS VIII. pastoralem curàm,fidem requirere pronunciauit,vt in Bulla, quæ habetur in directorio Inquisit.vbi sic ait.*Summis desiderantes affectibus,prout solicitudinis causa requirit, vt fides catholica nostris* (dicebat) *potissimum temporibus, vbique augeatur,& floreat,ac omnis hæretica prauitas de finibus fidelium procul pellatur*.in direct.inquisit.

ALEXANDER VI. vt pro fidei propagatione in Occiduis Indijs cum Regibus Ferdinando, & Isabella tractabat,ita pro eiusdem fidei deposito seruando ad Inquisitores litteras destinabat, habentur in director. *Cum acceperimus*.

PIVS III. adeo depositi cura angebatur, vt Concilium celebrare hoc tempore proposuerit ex Volaterrano.Id perficere haud potuit,post 14.vel 26. dies è viuis excedens.Eidem successit IVLIVS II. qui ne à Conciliabulo Pisano sacrum depositum labefactaretur,ad illud dissoluendum, Lateranense Concilium indicit.

134 LEO X. magno Christianæ Reipublicæ bo-

no idem Concilium prosecutus est, tanquam murum se opponit pro domo Dei, & inuasorem depositi Lutherum, qui omnium hæresum turmas ad illud depredandum armauerat, anathematizat, vide Bullam, quæ incipit, *Exurge Domine, & iudica*, &c. eiusdem vestigia secutus est ADRIANVS VI. qui in Lutherum eiusque sectam, decretalem epistolam scribit, depositi curae intentissimus habetur tom. vltim. Concil. Romæ impress. sub Sixto, & in direct. incipit. *Satis*.

135 CLEMENS VII. similiter aduersus Sectarios inuigilans, ne hæresis labes, præsertim Lutherica fideles inficeret, Inquisitores ad vigilandum quoque admonebat, in Bulla, quæ incipit. *Cum sicut*.

136 PAVLVS III. ad extinguendas hæreses per Martinum Lutherum excitatas, Concilium Generale indixit, vbi præsentibus Apostolicæ Sedis Legatis, per octo sessiones multi Hæreticorum errores eliminati sunt. Sub Iulio III. iterum reassumptum est aduersus eosdem, licet ob funesta Germaniæ bella aliquantisper intermissum. Successit interim MARCELLVS II. Pastor vigilantissimus. Sed breui temporis spacio eo per mortem sublato, PAVLVS IV. in sede Petri collocatur, depositi custodię intentissimus, hæreticorum verè malleus. Cuius vigilantia tum sacri Tribunalis Romani erectione, tum alijs constitutionibus ad fures, & latrones hæreticos scilicet arcendos, luce meridiana clarior.

137 Sub PIO IV. tandem intermissum Concilium Tridentinum absoluitur, & eius calculo, & authoritate, S. Carolo Borromęo vrgente, confirmatum, hęreses eieratæ, atque præscriptae.

138 PIVS V. noster prædecessorũ curã æmulatus, cùm Tri-

Tridentinis decretis, tùm alijs Constitutionibus à se in fidei fauorem editis, sacrosanctum depositum impauidè defendit. Idem propositiones aliquas Michaelis Baij tanquam deposito contrarias eliminauit. Contra Baium eundem idem præstitit successor GREGORIVS XIII. Fidei Catholicæ mirificus propagator.

139 SIXTVS V. e veteris depositi inspectione, menda, quæ in sacra Biblia irrepserũt emaculanda curauit, quod morte præuentus perficere non potuit, sicut nec VRBANVS VII. & GREGORIVS XIV. & INNOCENTIVS IX. successores, ob immaturã mortẽ (quod vehemẽter optabãt) perficere nõ potuerunt. Tandem sub CLEMENTE VIII. emaculatio confecta est, & eius authoritate sub Xixti nomine euulgata. Index quoque librorum prohibitorum auctior eiusdem authoritate promulgatus, ad depositum (vt ipse testatur) sacrosanctum illibatè seruandũ. Ab eodem Pontifice proscripta, & censurata est illa propositio, quod pęnitenti absenti poterat sacramentalis forma absolutionis per epistolas, aut per nunciũ transmitti.

140 LEO XI. succedit ad magna natus, sed cum sedisset in cathedra dies 27. perficere non potuit, quae pro custodia depositi fuerat meditatus.

141 PAVLVS V. in Throno Apostolico successit Leoni, custodiæ inuigilans depositi sacrosancti. Ex eo, destinatis litteris ad Patriarcham Babylonis, eum instruxit quid tenendum, & quomodo loquendum esset in Incarnationis D.N.Iesu Christi mysterio, ablegata voce noua *Parsopa* Syriaca, quam pro *Persona* catholica sustituerat. Refertur à Doctissimo nostro Mag.F. Abrahamo Bzouio in lib.Põtifex Romanus f.98.c.13

142 GREGORIVS XV. ficut pertinentia ad Fidem non exclufit, fic nec ea quae non pertinebant inclufit, vnde Catholicum Regem, inftantem pro definitione Conceptionis immaculatae B.M.Virginis admonuit, & edocuit; nihil hucufque de Fide certum ad nos Diuina reuelatione defcendiffe, his verbis. *Ne quid tamen noui tanta in re decernatur, in præfentia monet, tum negotij magnitudo, cum Romanorum Pontificum prædeceſſorum exemplum; Spiritus ſancti enim vocem aſcultare, non humanarum rationum ponderibus rem examinare debemus, qui in Diuinæ Sapientiæ cathedra Chriſtiano Orbi à Deo præfecti ſumus. Quare cum nondum æterna Sapientia Eccleſiæ ſuæ tanti Myſterij penetralia patefecerit, in Dei, Romanorumque Pontificum authoritate, debent fideles conquieſcere.* habetur in lib. legationis Epifcopi de Carthagena.

143 Nouiffimè VRBANVS VIII. qui viuit, & regnat, omnium prædecefforum veftigia imitans, in Patrum, & Conciliorum lectione verfatus, nihil magis curat, quàm vt retineatur antiquitas, nouitas explodatur. Cuius mentis acies adeo perfpicax eft, vt & humatos hoftes à ceteris fidelibus difcernat. Vnde & M. Antonium de Dominis olim Archiepifcopum Spalatenfem mox Archiapoftatam, & eieratum hoftem, fub Paulo V. transfugam, quamuis pœnitentiae figna exteriora demonftrantem, ac propterea à Gregorio XV. reconciliatum, relapfum deprehendit; quare tumulo exhumatum, rogo impofitum, igne examinari mandauit, cadauere in cineres, & fauillas redacto. Pro fidei quoque propagatione adeo ēt folicitus, vt Prædeceffores Pontifices æmulatus pofteris, & fucceſſoribus exempla relinquat, quomodo facrofanctum

depo-

depoſitum nulla ſuppoſititia mixtura turbetur, & nihil liceat nouitati, quia nihil addi conuenit vetuſtati.

CAPVT XIII.

Numquam Romani Pontifices violarunt depoſitum, nec per additionem, nec per diminutionem, nec per tranſmutationem.

1 
D monomachiam Apoſtolorū Collegium, Petrum pręcipuè caput eius,& Principem, expoſtulante Diabolo, eoque procurāte, ſicut triticum vexationibus cribari, vt ſi vel leuis palea depręhenſa fuiſſet, inſultus ei materia ſubminiſtraretur, quòd minutiſsimas culpeculas veluti paleas immixtas tritico, reperiſſet, in genua prouolutum Chriſtum Dominum legimus, illumque impetraſſe, ob ſui reuerentiam, vt ſi quandoque (quae eſt humanae fragilitatis conditio) in Petro, vel ſucceſſoribus aliquid humanum irrepſiſſet, nihilominus tritici ſubſtantia, hoc eſt, veræ fidei doctrina, illibata permaneret. *Simon* (ait Saluator) *Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret, ſicut triticum. Ego autem rogaui pro*

te Petre, vt non deficiat fides tua. Luc. 22. Cribreris vt triticum, palea vel stipula denotetur, fides tua pura permanebit. *Commune* (dicebat Leo Magnus serm. de assumptione sua) *erat omnibus Apostolis periculum, specialis tamen à Domino Petri cura suscipitur. Tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.*

2 Hęc pręrogatiua adeò insignis est, vt cum indefectibilitatem fidei in Petro, & successoribus Christus promiserit, & à Patre eam efficaciter impetrauerit; nō deprehensus sit, nec deprehendetur vnquam, à veritatis tramite quemquam Romanorum Pontificū deuiasse, sed semper illibatum depositum fidei catholicę, & Apostolicae conseruasse; illudque prout acceperunt, posteris consignasse.

3 Audiamus antiquitatem huic veritati testimonium perhibentem. Primò ex ipsorummet Pontificum testimonio. Lucius Papa ad Episcopos Galliae, & Hispan. *Dominus, & Saluator omnium, cuius fides est, qui pro nobis mori non dubitauit, & proprio suo redemit sanguine, fidem B. Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meos Prædecessores, confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum.*

Eusebius ad Episcopos Campaniae, & Tusciae. *Prima salus est, rectæ fidei regulas custodire, & à constitutis PP. nullatenus deuiare. Nec potest Domini nostri prætermitti sententia, dicentis. Tu es Petrus, &c. Et hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus; Quia in Sede* Apo-

Apostolica extra maculam, semper est catholica seruata religio.

Marcus ad Athanasium. *Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata mansit, & Domino prouidente, & B Petro Apostolo opem ferente, in futuro manebit, sine vlla hæreticorum insultatione firma, & immobilis. Hæc Apostolorum viua traditio.*

Damasus ad Stephanum, & Concilia Afric. *Scitis, Fratres charissimi, firmamentum à Deo fixum, & immobile, &c. Apostolicam Sedem esse constitutam*, dicente Domino; *Tu es Petrus, &c. Tu prophanatorum hominũ, & membrorum meorum, maximèque discipulorum meorum exstitis, vt Princeps, & Doctor orthodoxæ, & immaculatæ fidei, cuius vice hodie, gratia Dei, legatione pro Christo fungimur, & omnes huius Sanctæ Sedis Præsules eius vicem gesserunt gerunt, & gerent.*

Hilarus PP.epist.3.ad Ascanium. *Quantum reuerẽtiæ in Spiritu Dei, qui subditos sibi inhabitat Sacerdotes, B.Petro Apostolo, & Sedi ipsius deferatur, omnibus arbitror esse compertum, quibus paternarum traditionum incorrupta custodia est.*

Adrianus Primus ad Constantinum, & Irenem. *Vos*, ait, *in traditione Orthodoxæ fidei Ecclesiasticæ, B.Petri, & Pauli Principis Apostolorum acquiescitis*, &c. & mox. *Hi Principes Apostolorum sunt, qui Catholicam, & Orthodoxam fidem auspicati, præscripta quidem legibus, fidem suam seruandam præceperunt, omnibus scilicet, qui in sedes illorum successuri erant, & in fide eorum vsq; ad consummationem seculi permansuri.* Alia testimonia Pontificum omittuntur breuitatis causa; pleni sunt libri catholicorum tractatorum, qui de hoc priuilegio apertissimè loquuntur, vide in Cano. Bellarmin.

Coccio, & alijs, &c.

4 Verum quia audio mussitantes Nouatores, vel haec à citatis Pontificibus, *duriter, & odiosè* dicta (sic Iunius satis insulsè) vel *in causa propria* non audiendos (ac si in causa propria Magistratus, & Principes à perfidis lacessiti, vel scommatibus impetiti, testimonium de eorum potestate perhibere non possint) ex aliorũ testimonio placeat propositum demonstrare.

5 Secundo. in VI. Synodo act. 4. lecta est Agathonis epistola, à Concil. reuerenter suscepta, in qua sic dicitur. *Hæc est vera fidei regula, quam & in prosperis, & in aduersis veraciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei gratiam à tramite traditionis Apostolicæ numquã errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus vmquam deprauata succubuit; quia dictum est Petro. Ego autem rogaui pro te Petre, &c. Hic Dominus fidem Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores fecisse, semper cunctis est agnitum.*

In confessione fidei recitanda à reuertentibus ab haeresi, vel schismate tradità à Bonifacio II. Eulalio Chartaginensi, & ab Horsmida ad Episcopos Hispan. & ab Adriano III. ad viij. Synodum generalem transmissa, sic dicitur. *Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire* (prout Eusebius Papa scripserat ad Episcopos Campaniae) & mox subditur. *Anathematizamus omnes, qui contra Sanctam Romanam, & Apostolicam Ecclesiam, suas erigunt ceruices, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, in qua est integra, & vera Christianæ religionis, & perfecta soliditas.* Hanc professionẽ emisit Ioannes Constantinopolit. Episcopus, cum Eccle-

sia illa Romanae (à qua Acacius defecerat) vniretur. Concilia ista fortassis eludet aduersarius?

7 Tertiò, ad Patres prouoco. S. Irenęus 3. aduersus hęreses cap. 3. vbi cum de Rom. Ecclesia disseruisset, mox. *Ad hanc* (ait) *Ecclesiam* (Romanã, de qua loquitur) *propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique conseruata ea, quæ est ab Apostolis traditio.*

Cyprianus lib. 1. ep. 3. dicit de Romana Ecclesia, quod *ad eam perfidia habere non potest accessum.*

Gregorius Nazianz. carmine de vita sua. *Vetus*, (ait) *Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & semper eam retinet, sicut decet Vrbem, quæ toti orbi præsidet, semper de Deo integram fidem habere.*

Hieronymus Gregorij discipulus 3. adu. Ruff. de illibata depositi custodia loquens, dicit. *Scito Romanam fidem Apostolico ore laudatam, eiusmodi præstigias non recipere; & si Angelus aliter annunciet, quàm semel prædicatum est, Pauli authoritate munitam, non posse mutari.*

Augustin. tom. 7. in psal. contra partem Donati, ait. *Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte. Ipsa est Petra, quam non vincunt inferorum portæ.* Idem testatur, Pelagium non potuisse fallere Romanam Ecclesiam, de pecc. orig. contra Pel. & Cęlest. c. 21. *Visus est ad tempus aliquid dicere, quod fidei catholicæ conueniret, sed illam sedem vsque in finem fallere non præualuit, &c.*

8 Suspecti sunt illis Patres? vnum suæ Synagogæ antesignanum Caluinum auscultent. Is ergo in lib. Instit. c. 8. num. 103. de custodia illibata depositi loquẽs,

tale

tale testimonium profert. *Cum Orientales, & Græca Ecclesia, Africanę etiam multis opinionibus inter se tumultuarētur, Romana sedatior alijs, & minus turbulēta fuit: nam quò minus acuto & celeri ingenio sunt Occidentales Asiaticis, & Afris, eò etiam sunt rerum nouandarum minus cupidi.* Non paruum est inimici testimonium, quod, quando dubijs illis temporibus cęteræ tumulabantur, ab ipso recensitæ Ecclesiæ, Romana in semel tradita doctrina retinenda fuerit alijs tenacior. Idē eodem lib. ait, *Notum & indubitatum esse, quod ab Apostolorum temporibus vsque ad supra dicta tempora,* nempe Augustini, *nulla doctrinæ mutatio facta fuerit Romæ, vel in alia Ciuitate.* Vuitak. lib. de Antichristo pag. 35. apud Brerlęum in Apol. ꝓ Romana Ecclesia pag. 161. ait. *Toto illo tempore,* Romana Ecclesia, *primis 600. à dictis annis, incorrupta permansit, & fidem ab Apostolis traditam docuit, & defendit.* Sed quòd deinceps defecerit doctrina Catholica, contra scripturas, contra Christi promissiones loquitur. Recolere debebat Vvitak. quod scripserat lib. 7. cōtra Durę. f. 472. *Quicquid de Ecclesiæ propagatione, amplitudine, gloria veteres Prophetę prędixerunt, id perfectum esse historia luculentissimè testatur, ita vaticinijs Prophetarum, Ecclesiasticam historiam suffragari, nulla controuersia est.* Vaticinium est de Ecclesia Romana Esaiæ c. 54. *Omne vas, quod fictum est contra te, non dirigetur, & omnem linguam contradicentem tibi, in iudicio iudicabis.* Et iterum cap. 59. *Verba mea, quę posui in ore tuo non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis, & seminis tui, amodo vsque in sempiternum.* Iam ergo si Apostolus es, ò Nouator, cum Apostolis senti, si Apostolicus cum Patribus, si Iudęus scripturis veteris testa-

teſtamenti te conuinci patiaris. Si ergo nec Iudęus, nec Apoſtolicus,nec Apoſtolus, cum Ethnicis cõſiſte, & quod melius eſt,morere.

9 Flauerunt verò venti potentiae, & ſecularis ambitus, vt Petram fortiſſimam allidereut. Verùm,vt ſcripſit S.Hilar.2.de Trinit.*Vnum eſt hoc immobile fundamentũ,vna hęc eſt felix fidei petra, Petri ore confeſſa, Tu es Chriſtus filius Dei viui,tanta in ſe ſuſtinens argumenta veritatis,quanta peruerſitatum quęſtiones, & infidelitatis calumnię mouebuntur.* Quae verba nedum ad confeſſionem Petri,ſed ad ipſum Petrum,& ſucceſſores referenda ſunt.Nam & idem S.in Matth.cap.16. eundem Petrum vocauit,*Felix Eccleſię fundamentum, dignamque ędificatione illius Petram,quę inferorum leges diſſolueret.* Quid ni diſſolueret? quae verbo illius ædificata eſt, qui portat *omnia verbo virtutis ſuę?* Quomodo nutaret,pro quo Chriſtus rogauit ne fides eius deficeret? quando autem rogauit ex Auguſtino de correpr. & gratia c.8.rogauit,vt haberet in *fide liberrimam, fortiſſimam, inuictiſſimam, & perſeuerantiſſimam voluntatem.*

10 Vide praxim,nam cum Petrus inhìberetur à Principibus Sacerdotum aperire depoſitum,eique ſilentium praedicationis imperaretur,quid ille? *Oportet obedire magis Deo,quàm hominibus,* Actor.c. 5. & iterum c.4. *Non poſſumus quę audiuimus, & vidimus non loqui,* mortemque potius obiuit,Neronis tempore, quàm à praedicatione deſiſteret: vt merito (eo etiam titulo depoſiti, ſanguine videlicet Petri & Pauli conſignati) exclamarit Tertullianus lib.de praeſcript. c.23. *Statu felix Eccleſia,cui totã doctrinam,cumſanguine ſuo, profuderunt.*

Suc-

Successores vero tanta fortitudine obfirmati, vt nullo modo vel Tyrannorum potentia, vel Politicorũ vafricie vnquam obtineri potuit, vt scienter, & culpabiliter haeresis toleraretur, vel foueretur, & depositũ pessundaretur. Et licet impietas aduersus Ecclesiam fremeret, ignem, gladios, barathra, omnium tormentorum genera comminisceretur, clara, & aperta erat, & fidelis in cathedra Petri sedentium vox. *Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam à Concilio multo*, psal. 39.

11 Suasit interdum impietas pro Ecclesiae (vt fingebat) pace, hęreticos tolerari, anathematis mucronem ad tempus recondi, ictum differri. Verum aeternae Vrbis antistites, politicam rationem abiicientes, Christianam amplectentes, illud exercebant, quod scripserat Gregor. Nazianz. in Apolog. 1. *Meliùs, & optabilius est egregium bellum, pace impia, & à Deo distrahente*. Propterea Spiritus Dei, quando opus fuit, dexteras pontificales armauit antistitum, vt spirituali mucrone, ne totum corpus Ecclesiae tabesceret, putridas carnes resecarent. Præclarè in Pręsulum persona, idem Orientis iubar scripsit. Rursus hęc aurea verba oratione ad 150. Episcopos. *Verum nos pro Christo bellum gerere, perspicuo argumento declaramus, dum secundùm pacificum illum, & clementem Christum, atque infirmitates nostras portantem, dimicamus. Neque enim cum veræ, atque orthodoxę fidei pernicie, paci studemus, nonnihil de animorum contentione remittentes, vt moderationis, & aequitatis formam colligamus, &c. atque interim pacem colimus, legitimè nimirum pugnantes, atque intra limites nostros, spiritusque nosmetipsos continentes.*

12 Alij

12 Alij minis ad depositum inuertendum, Pontifices adoriri tentabant. Commotus fuit S. Cornelius Papa minis ac probris,quae Felicianus,& Fortunatus hæretici in ipsum iactabant,ex Cyprian.l.epist. 3. aliàs 55. Sed quomodo Cyprianus eum ad fortitudinem retinendam adhortatus sit,ex ipso accipiamus. *Si ita est, Frater charissime,vt nequissimorum timeatur audacia, & quod mali iure atque æquitate non possunt,temeritate, & desperatione perficiant; actum est de Episcopatus vigore,& de Ecclesiæ gubernandæ sublimi ac diuina potestate: nec Christiani vltra aut durare, aut esse iam possumus, si ad hoc ventum est, vt perditorum minas, atque insidias pertimescamus. Nam & Gentiles, & Iudæi minantur, & hæretici, atque omnes, quorum pectora,& mentes Diabolus obsedit,venenatam rabiem suam quotidie furiosa voce testantur. Non tamen idcirco cedendum est,quia minantur,aut ideò aduersarius,& inimicus maior est Christo, quia tantum sibi vindicat, & assumit in seculo.* Et infra. *Sed non idcirco,frater charissime,relinquenda est Ecclesiastica disciplina, aut Sacerdotalis soluenda censura, quoniam conuicijs infestamur,aut terroribus quatimur; quando occurrat,& moneat diuina Scriptura,dicens. A verbis viri peccatoris, ne timueirtis,q̃a gloria eius in stercus,& vermes.* Et iterum. *Vidi impium & exaltatum, & eleuatum super Cedros Libani,transiui,& ecce non erat. Et tandem. Neque enim quia pauci temerarij,& improbi cœlestes, & salutares vias Domini relinquunt,& sancta non agentes, à Spiritu sancto deseruntur,ideò & nos diuinæ traditionis immemores esse debemus,vt maiora esse furentium scelera,quàm Sacerdotum iudicia recenseamus;aut existimemus plus ad impugnandum posse humana conamina,*

quam

quam quòd ad protegendum praualet diuina tutela. An ad hoc, frater cariſſime, deponenda eſt catholica Eccleſia dignitas, & plebis intus poſita fidelis atque incorrupta maieſtas, & Sacerdotalis quoque authoritas, & poteſtas, vt iudicare velle ſe dicant de Eccleſia Præpoſito extra Eccleſiam conſtituti? de Christiano hæretici? de ſano ſaucij? de integro vulnerati? de ſtāte lapſi? de iudice rei? de Sacerdote ſacrilegi? Quid ſupereſt, quàm vt Eccleſia Capitolio cedat, & recedentibus Sacerdotibus, ac Domini altare remouentibus, in Cleri noſtri ſacrum, venerandumque conſenſum, ſimulacra atque idola cum aris ſuis transeant, & Nouatiano, aliјsque hæreticis, *reclamandi aduerſum nos, atque increpandi largior, & plenior materia præſtetur,* videlicet ijs, qui Chriſti dogmatibus contradicunt, *& non tantum rogari, ſed & timeri, & adhuc inſuper cœperint terroris ſui poteſtate dominari. Si pacem poſtulant, arma deponant; ſi ſatisfacere cupiunt, quid minantur? ſi verò emēdari cupiunt, cur cenſuram refugiunt? ſi corrigi volunt, cur delinquunt?* Si non ſanam doctrinam mordicus defendunt, cur volunt dici Chriſtiani? ſi eierant, cur eierandam doctrinam primi ipſi non produnt? *Credant certè, quod nec Antichriſtus* (vt idem dicit) *introibit Eccleſiam, quia minatur, aut armis eius, & violentia ceditur, quia reſiſtentes perempturos ſe eſſe profitetur. Armant nos hæretici, dum nos putant ſua comminatione terreri, nec in facie nos deijciunt, ſed magis erigunt, & accendunt, dum ipſam pacem perſecutione peiorem fratribus faciunt.* Sic armatus inuictè perſiſtebat Cornelius à Cypriano cohortatus, adamantinam in retinendo depoſito fortitudinem præſeferentem, minis rebellium reſiſtentem.

13 At vbi minę non pręualuerunt,& timor humilians, blanditiæ,& concupiſcentia inflammans, imò vtraque iunctis dexteris,rurſus audaces manus vim inferebant Summis Pontificibus,vt depoſitum immutarent. Ad Liberium Pontificem contra Athanaſium, ſacri depoſiti defenſorem acerrimum,inſtigandum, Imperatoris Eunuchus Romam ab eo miſſus eſt, vt donis adblandiretur,& litteris minacibus terrefaceret,vt ſcribit Sozomenus lib. 4.c. 14. *Spado primo incitabat Liberium, vt contra Athanaſium ſcriberet,& cum Arianis communicaret; id enim Imperatorem velle, & pro imperio iubere. Deinde munera oſtentans,verbis inſtabat,manuq; Liberij appręhenſa,ita locutus eſt. Obtempera Regi, & iſta accipe.* Vna manu,vt dicitur,lapidem proferens,altera panem. Sed cum reluctaſſet Liberius damnare virum orthodoxum,eam reddidit rationem: *Non ita ſe habet Eccleſiaſticus Canon, neque vnquam accepimus talem à PP.traditionem, quam ipſi à B.& magno Apoſtolo Petro acceperunt.* Additque omnia contra ipſum Athanaſium ſcripta,delenda. *Synodum longe à Palatio celebrandam, vbi non ſit praſtò Iudex, vel Comes, vel Imperator, vbi ſolus timor Dei ad omnia ſufficit, & Apoſtolorum inſtitutio. Ibidemque ante omnia fides catholica aſſeratur,quæ Nicea definita eſt. Deinde iudiciū de Athanaſio fiat.* Sed non multò poſt (vt ſcribit Athanaſius epiſt. ad ſolitariam vitam agentes) *trahitur Liberius ad Imperatorem: quò cum perueniſſet, magna quoque & ibi libertate dicendi vſus eſt.* Nam, *& ea* (vt ibidem pręmiſit Athanaſius) *ſecum impij cogitarant: ſi Liberium in noſtram ſententiam traxerimus, omnes breui ſuperabimus.* Quid ergo reſpondit? *Deſine perſequi Chriſtianos: ne tenta per me hæreticam impietatem*

in

in Ecclesiam introducere. Ad omnia potius sustinenda parati sumus, quàm nos Christiani eò deueniamus, vt Ariani appellemur: ne coge nos fieri perduelles. Quo nō impetrato (vt scripsit Ammianus Marcellinus lib. 15. c.16.) *ægrè populi metu, qui eius amore flagrabat, cum magna difficultate, noctis medio potuit asportari.* Igitur (vt dicit Damasus in Pontific.) *à Constantino deportatur in exilium, eò quod noluisset hęresi Arianę consentire,* Et, vt dicit Sozomenus; *in hac parte*, nempe custodiæ depositi Sacrosanctę fidei, *infractus Liberius: licet postea metu mortis*, solum ad subreptionem contra Athanasium inductus, subscripserit. Verùm idem Athanasius, quantum illibatè custodierit Liberius depositum, testimonium dat apertissimum: ad Constantium enim Augustum sic respondisse (cum de deposito tradendo vrgeretur) enarrat. *Nunquam mea statuta, sed Apostolica, vt essent firmata, & custodita perfeci, secutus morem ordinemque maiorum. Nihil addidi Episcopatui Vrbis Romæ, nihil minui passus sum: & illam fidem seruans, quæ per successionem tantorum Episcoporum cucurrit, ex quibus plures Martyres extiterunt, illibatam custodiri semper exopto.*

14 Amplius cum Oratores Teopompus, & Seuerinus ab Anastasio Imperatore, cum plenissima confessione fidei Chalcedonensis Synodi, ad Horsmidam destinati essent (vno capite, quod erat exceptum, postulato à Pontifice, nempè de Acacio e diptychis non eradendo, quod iudicio Pontificis in futura Synodo discutiendum remittebat) amicabiliter, & cum laude recepti sunt. Verùm, cum conarentur Pontificem non leui conatu ad ipsorum partes trahere (iam enim erant detecti hęresis Euthychianę fautores) Sacrosanctum

ctum depositum imminui Horsmida non patiens, eos vrbe discedere iussit, ne orthodoxa fides (communicata cum Acacio communione) pollueretur, periculum enim erat in promptu, ne fraudulentis aduersariorum technis, in communionem erroris, cum communicatione personæ traheretur.

15 Sed & Vigilius per vim Pontificatum adeptus est, è Petri sede deturbato Silverio, Theodoræ Augustæ, & Belisarij Ducis potentia, ea conditione, & pacto, vt in eorum gratiam, Anthimi, & Seueri, & Theodosij, Eutychianorum firmaret fidem, Anthymumque, ob hęresim eiectum à Constantinopolitana Sede, rursus inauguraret. Quod, & si Vigilius promiserit, & nonnulli hæresi Eutychinianæ, tunc intrusum Vigiliū viuente Siluerio subscripsisse autument (quamuis id suppositicium Annalium scriptor doctissimè existimet) Verum à Clero post mortem Siluerij intrusus prius, legitimus pastor Vigilius effectus, cum de adimpletione pacti, de restituendo Anthimo à Theodora vrgeretur (ò rem admirabilem) repentè gleba in saxum mutata, & leuis palea grani firmissimi naturam adepta est; nam ad Theodoram in hūc modum rescripsit. *Absit hoc à me Domina Augusta. Prius locutus sum malè, & insipienter: modo autem nullo modo tibi consentio, vt reuocem hominem hæreticum, & anathematizatum, paratus magis mori, quàm viuere;* imò vt scribit S. Gregorius ep. 36. contra Theodoram tunc Augustam & Acephalos, damnationis promulgauit sententiam. Idem Pontifex de tribus illis Capitulis, quæ prius Occidentales Patres, Concilio Chalcedonensi deferre putantes, defendebant (continebant autem ea scripta Theodoreti aliquot errores veritati immixtos) & sinō

finiſtrè iudicaſſet, cum Orientem eadem damnantem aſpexiſſet, ſententiam tamen mutauit, & Patribus V. Synodi, in eorundem damnatione conſenſit. Verùm quia alia erat quæſtio de perſonis, alia de fide, à recto itinere dogmatum Vigilius non deflexit, ac proinde de fide nihil immutauit. Nam (vt egregiè S. Gregorius Papa eadem epiſt. ponderauit.) *In Synodo, in qua de tribus capitulis actũ eſt, apertè liquet, nihil de fide concluſum eſſe, vel aliquatenus immutatum, ſed ſicut ſcitis, de quibusdã illic ſolummodo perſonis eſt actitatũ, quarũ vna, cuius ſcripta euidenter à rectitudine catholicæ fidei deuiabant, non iniuſtè damnata eſt.*

16 Egregia ſanè exempla poſteris relicta, quæ ſemper ſeruarunt, atque ſeruabunt Romani Pontifices, videlicet non propter gratiam Imperatorum, vel Regum, non pecunias, minas, promiſſiones, deflexos, nec conniuiſſe, nec conniuendum, vt depoſitum in aliqua, & ſi rã illa re, lęderetur, vel in dubietatis anguſtias redigeretur; ſciebant enim (quod ſapienter à S. Zenone Epiſcopo Veronenſi hom. de fide ſcriptũ eſt) quòd *miſera eſt fides, quam turbæ concinnant, debilis cuius quotidie diſſipantur varijs argumentationibus membra: Indefenſa, quæ Regum, Iudicum, diuitum, aliquoties gentiũ, etiam deſiderat per momenta patrocinia: adultera, quæ non cognoſcitur, quo authore ſit nata: præſumpta, quæ vult magis nouellæ traditioni ſuæ credi, quàm antiquitati, &c.*

17 Pueriliter ergò ſentiunt (vt verbis vtar antiquitatis ſcrutatoris, nobiliſſimi auctoris F. Thomæ Vualdenſis tom. 2. c. 64. de Sacram. Euchariſt.) *qui credunt, ac humana tantum imperioſa voluntate, pendere ſententiã decretalem, quaſi ſic, vel ſic poſſent, ſi vellent fidei rudimen-*

menta[Pōtifices] construere,& quasi PP.in Concilijs suis agentes de fide dicerent prophetias Domini ad fauorem petentium,sicut Sedechias filius Chanana, cum suis com plicibus: ita vt cum audiant à Nuncio Regis,quod dixit Michea. 3.Reg.22.*Ecce sermones Prophetarum , ore vno bono Regi prædicunt ; sit ergo sermo tuus similis eorum,& loquere bona : nec possit,aut debeat Ecclesia respondere cum Michæa Propheta Domini,viuit Dominus, quia quodcunque dixerit mihi Dominus,hoc loquar, sed cum assentatoribus Sedechiæ socijs,sola proferre, quæ interroganti complaceant. Nempè ego existimo, Matrem Ecclesiam.siue Romani Cleri, vel Concilij Generalis multo constantiorem diuino Balaam , meliori, certiorique sensu dicere semper posse; Si dederit mihi Balaac domū suam argenti,& auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei,vt plus vel minus loquar : idest si quid dixerint Philosophi ista via v3. Impanationis, non transubstantiationis*(de hac enim murmurabat Vvitcleph, tanquam difficiliori, & potuisse Ecclesiam proponere faciliorem,& plausibiliorem populis,& sensibus) *ista, inquam , via est vicinior sensui, pro accidentibus sustinendis,aut ista est lenior nostris conceptibus, constitue nobis illam;frustra sibi petunt,quod optant,sensibus scilicet suis fidem arctare,& non ad libitum peruertere veritatem. Quid ad hæc S.Ecclesia respondet ? non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt plus , vel minus loquar , quamuis dederis mihi domum auro plenam* , Sic fecit Liberius.*Ecce facilius esset nostris conceptibus dicere Christum purum hominem, & non Deum vt Arius, quàm supra omnem sensum Dei Filium æternaliter sine mutatione,vel ordine temporis propagatum à Patre in identitate numerali essentiæ , & tamen viam primam*

abiecit Sacrum Nicenum Concilium, & elegit secundã. Leuius esset dicere cum Manicheo Christum non fuisse verum hominem, ne immortalis Deus credi moriatur in Cruce, & tamen reiecta est, & via difficilior praelecta. Quare autem ista electa est, illa reiecta, sola ratio est, quia hec est sententia veritatis, illa non sic. Istam ergo sequebatur magnum Concilium, & insequebatur illam, Sed quomodo, subdit, *ista videbitur veritas, non illa? quia hos semper in consuetudine docere solebat animata fides Ecclesiae, à tempore Apostolorum per successionẽ Pontificum, & Plebium vsque ad tempora illa, quamuis non esset expressè definita, qualiter* Augustinus lib. de vtilitate credendi docet, *quòd in magnis Concilijs, cum dubium fidei ventilaretur, perpendebant PP. quid sentirent de hac re, ante eos per communem fidem, rursum vsque ad Apostolos, & hoc statim decreuerunt esse tenendum.* Vnde subdit Augustinus lib. 4. contra Donatist. cap. 10. *Illa consuetudo, quam etiam tunc homines, sursum versus respicientes, non videbant, à posterioribus institutam, rectè ab Apostolis tradita creditur, &c.* Haec tantus Doctor, magnus Ecclesiae defensor, ostendens contra Vvicleuistas (quos Nouatores sunt imitati) Pontificem Summum, depositum sacrum nullo modo immutantem, nec plus vel minus quàm accepit, consignantem; puritatem eius ostendentem, non propria cudentem; non vulgi sensibus, vel facilitati, aut principum subornationibus veritatem accommodatam, atque plausibilem, decernentem, sed eandem fidei veritatem promulgantem, quia veritas est reuelata, & sacra quadam analysi à posterioribus ad priora secula sursum versus, ostendit canales ad fontes reduci Apostolicos; vt & eos ad Apostolos, sursum versus deferri,

ma-

manifestissimè appareat.

18 Meritò illud Coronidis loco,de Summis Ecclesiae Praesulibus vsque ad nostra tempora, nos possumus afferre,quod Patres Occidentales 6. Synodi in act.4. non minus eruditè quam verè acclamarunt, & fidenter Constantino Imperatori insinuarunt. *Lumen Catholicae atque Apostolicae fidei per Beatos Petrum, & Paulum Apostolorum Principes, eorumque discipulos, & Apostolicos successores, gradatim vsque ad nostram paruitatem, Dei opitulatione seruatum est*, (quae metaphora deposito accommodari potest) *nulla haeretici erroris tetra caligine tenebratum, nec falsitatis nebulis confoedatum,nec intermixtis haereticis prauitatibus, velut caliginosis nebulis perumbratum,immune,atque syncerum, & suis radijs perlustratum,purissimis conatibus conseruare cupit, vestrum à Deo coronatum fastigium. In hoc enim tàm Apostolicae Sedis,quàm nostri exigui famulatus praedecessores vsque hactenus,non sine periculis desudarunt;nunc decretali commonitione cum Apostolicis Pontificibus consulentes; nunc Synodali definitione, quae veritatis regulam continebat, omnibus innotescentes;& terminos, quos transgredi nefas est, vsque ad animae ipsius exitum,constanter defendentes, &c.*

19 Quamuis autem multa sint de fide definita à posterioribus Pontificibus, ac proinde in Symbolis addita, V.G. cum Constantinopolitanae fidei symbolo addita est particula, *Filioque*, in processione Spiritus Sancti, non perindè deposito aliquid permixtum est, quod ad fidem nō attineat. Scitè Hugo AEtherianus lib.3.de haeres.cap. 10. satis superque integritatis depositi apologeticam istam doctrinam,his aureis litteris describendam posteritati tradidit. *Nulla insimula-*

tione, nulla reprehensione, nullaque calumnia notandus est antiquioris Romæ Antistes, quod causa interpretationis dictionem vnam, dico autem [ex Filio procedere] Spiritum sanctum; Sanctorumque plurium Episcoporum scientissimorum Cardinalium consensu habito, apposuerit. Licuit enim ei, semperque licebit Fratres confirmare, decreta edere, cudere interpretationes, sicubi aliquid obscurè scriptum sit, & de voluntate scriptionis argumentari; iudicio voluntatis illius relicto facere, hoc persuadente. Is enim est, cui oues, & agni commissi sunt, & idcircò non solum scripti recitator esse debet, verum Interpres illorum, quæ adscripta non sunt, vt Caput ouium, & Dei Pastor. Qua in re manifestum est antiquioris Romæ Præsulem potestatem in Petro accepisse, fidem renouandi (vt verbis Patrum vtar) habendi curam, & regimen omnium Sacerdotum; quin etiam omnium Christianorum. Quare palam, & publicè fit ex his, nequaquã licere cupiam calumniari Sãctissimũ, & magnam, omniumque Principem Romanam Ecclesiam, quasi aliam fidem conscripserit, aut composuerit, aut docuerit. Nam neque affert, neque perdocet, neque aliud tradit symbolũ, si editum à SS PP. interpretetur, non perpetiens fidem labefactari, apud quos semper effulsit. Quæ licet primatum habeat, attamen humiliat seipsam, respondendo, quod Chalcedone celebrata Synodus quondam se calumniantibus, respondit. Iniustè (inquit) *arguor, dum non fidem, sed memoriam renouo, non apposui, non ademi salutari Symbolo, si dictionem occultam manifestaui. Renouaui enim, vt Patres antedicti, fidem, & apposui Nicenæ, Constantinopolitanæ, atque Chalcedonensi Synodis, sed nullo modo illis contraria; quia dum illorum PP. vestigia persequor, solummodo quæ tunc quæsita non sunt, tempore*

post

post,per interpretationem, & appositionem verbi, quod non perspicuè ab omnibus intelligebatur, enucleaui, Et postea, *Aequum est igitur ratum habere, quod tanta Ecclesia decernit, quod tantus Pontifex enunciat. Qui autem primæ sedis, imò totius Orbis Præsuli resistunt, Christi dispositioni resistunt, & nisi resipiscant, contumaciæ iudicio plectentur. Quicunque nauiculam Christi spernit, in autè nauigat, & nisi plumbeas moles peruicacitatis reijciat, influent maria.* Hæc Hugo. Vides ergo tanti viri testimonio, nunquã contrariũ Symbolo additũ in editione decretorũ Pontificũ, nec nouã superinductã fidẽ, & traditã fidem non innouari, sed renouari, explicari, enucleari, & quod implicitè in prioribus Symbolis includebatur, explicatius tradi in posterioribus, vrgente hæreticorum instantia. Vnde & Basilius epist. 60. ad Ecclesiam Antiochenam dicit, quòd in Concil. Nicęno, *De Spiritu sancto doctrina indefinita est*; propterea quod tunc nondum *comparerent Pneumatomachi*. Cum vero bellum Spiritui sancto indixerunt, eum seruilis naturae esse dogmatizantes, mox eius consubstantialitas cum Patre, in Synodo Constantinopolitana definita est. Eadem fuit perpetua praxis Conciliorum, & Pontificum, vt nouis exurgentibus erroribus, vetus fides nouiter traderetur, non nouum depositum promeretur.



quam quòd ad protegendum praualet diuina tutela. An ad hoc, frater carissime, deponenda est catholicæ Ecclesiæ dignitas, & plebis intus positæ fidelis atque incorrupta maiestas, & Sacerdotalis quoque authoritas, & potestas, vt iudicare velle se dicant de Ecclesiæ Præposito extra Ecclesiam constituti? de Christiano hæretici? de sano saucij? de integro vulnerati? de stãte lapsi? de iudice rei? de Sacerdote sacrilegi? Quid superest, quàm vt Ecclesia Capitolio cedat, & recedentibus Sacerdotibus, ac Domini altare remouentibus, in Cleri nostri sacrum, venerandumque consensum, simulacra atque idola cum aris suis transeant, & Nouatiano, alijsque hæreticis, *reclamandi aduersum nos, atque increpandi largior, & plenior materia præstetur,* videlicet ijs, qui Christi dogmatibus contradicunt, *& non tantum rogari, sed & timeri, & adhuc insuper cœperint terroris sui potestate dominari. Si pacem postulant, arma deponant; si satisfacere cupiunt, quid minantur? si verò emẽdari cupiunt, cur censuram refugiunt? si corrigi volunt, cur delinquunt?* Si non sanam doctrinam mordicus defendunt, cur volunt dici Christiani? si eierant, cur eierandam doctrinam primi ipsi non produnt? *Credant certè, quod nec Antichristus* (vt idem dicit) *introibit Ecclesiam, quia minatur, aut armis eius, & violentiæ ceditur, quia resistentes perempturos se esse profitetur. Armant nos hæretici, dum nos putant sua comminatione terreri, nec in facie nos deijciunt, sed magis erigunt, & accendunt, dum ipsam pacem persecutione peiorem fratribus faciunt.* Sic armatus inuictè persistebat Cornelius à Cypriano cohortatus, adamantinam in retinendo deposito fortitudinem præseferentem, minis rebellium resistentem.

13 At

13 At vbi minę non pręualuerunt, & timor humilians, blanditiæ, & concupiscentia inflammans, imò vtraque iunctis dexteris, rursus audaces manus vim inferebant Summis Pontificibus, vt depositum immutarent. Ad Liberium Pontificem contra Athanasium, sacri depositi defensorem acerrimum, instigandum, Imperatoris Eunuchus Romam ab eo missus est, vt donis adblandiretur, & litteris minacibus terrefaceret, vt scribit Sozomenus lib. 4. c. 14. *Spado primo incitabat Liberium, vt contra Athanasium scriberet, & cum Arianis communicaret; id enim Imperatorem velle, & pro imperio iubere. Deinde munera ostentans, verbis instabat, manuq; Liberij apprehensa, ita locutus est. Obtempera Regi, & ista accipe.* Vna manu, vt dicitur, lapidem proferens, altera panem. Sed cum reluctasset Liberius damnare virum orthodoxum, eam reddidit rationem: *Non ita se habet Ecclesiasticus Canon, neque vnquam accepimus talem à PP. traditionem, quam ipsi à B. & magno Apostolo Petro acceperunt.* Additque omnia contra ipsum Athanasium scripta, delenda. *Synodum longe à Palatio celebrandam, vbi non sit prasto Iudex, vel Comes, vel Imperator, vbi solus timor Dei ad omnia sufficit, & Apostolorum institutio. Ibidemque ante omnia fides catholica asseratur, quæ Nicea definita est. Deinde iudiciū de Athanasio fiat.* Sed non multò post (vt scribit Athanasius epist. ad solitariam vitam agentes) *trahitur Liberius ad Imperatorem: quò cum peruenisset, magna quoque & ibi libertate dicendi vsus est.* Nam, & ea (vt ibidem pręmisit Athanasius) *secum impij cogitarant: si Liberium in nostram sententiam traxerimus, omnes breui superabimus.* Quid ergo respondit? *Desine persequi Christianos: ne tenta per me hæreticam impietatem*

in

in Ecclesiam introducere. Ad omnia potius sustinenda parati sumus, quàm nos Christiani eò deueniamus, vt Ariani appellemur: ne coge nos fieri perduelles. Quo nō impetrato (vt scripsit Ammianus Marcellinus lib. 15. c.16.) *ægrè populi metu, qui eius amore flagrabat, cum magna difficultate, noctis medio potuit asportari.* Igitur (vt dicit Damasus in Pontific.) *à Constantino deportatur in exilium, eò quod noluisset hæresi Arianæ consentire.* Et, vt dicit Sozomenus; *in hac parte*, nempe custodiæ depositi Sacrosanctę fidei, *infractus Liberius: licet postea metu mortis*, solum ad subreptionem contra Athanasium inductus, subscripserit. Verùm idem Athanasius, quantum illibatè custodierit Liberius depositum, testimonium dat apertissimum: ad Constantium enim Augustum sic respondisse (cum de deposito tradendo vrgeretur) enarrat. *Nunquam mea statuta, sed Apostolica, vt essent firmata, & custodita perfeci, secutus morem ordinemque maiorum. Nihil addidi Episcopatui Vrbis Romæ, nihil minui passus sum: & illam fidem seruans, quæ per successionem tantorum Episcoporum cucurrit, ex quibus plures Martyres extiterunt, illibatam custodiri semper excopto.*

14 Amplius cum Oratores Teopompus, & Seuerinus ab Anastasio Imperatore, cum plenissima confessione fidei Chalcedonensis Synodi, ad Horsmidam destinati essent (vno capite, quod erat exceptum, postulato à Pontifice, nempè de Acacio e diptychis non eradendo, quod iudicio P[illegible]ificis in futura Synodo discutiendum remitt[illegible] [illegible]liter, & cum laude recepti sunt. Verū[illegible] [illegible]ur Pontificem non [illegible]atu ad [illegible] [illegible]here (iam enim [illegible] he[illegible] [illegible]autores) Sacrosan-ctum

ctum depositum imminui Horsmida non patiens, eos vrbe discedere iussit, ne orthodoxa fides (communicata cum Acacio communione) pollueretur, periculum enim erat in promptu, ne fraudulentis aduersariorum technis, in communionem erroris, cum communicatione personæ traheretur.

15 Sed & Vigilius per vim Pontificatum adeptus est, è Petri sede deturbato Siluerio, Theodoræ Augustæ, & Belisarij Ducis potentia, ea conditione, & pacto, vt in eorum gratiam, Anthimi, & Seueri, & Theodosij, Eutychianorum firmaret fidem, Anthymumque, ob hęresim eiectum à Constantinopolitana Sede, rursus inauguraret. Quod, & si Vigilius promiserit, & nonnulli hæresi Eutychinianæ, tunc intrusum Vigiliū viuente Siluerio subscripsisse autument (quamuis id suppostititium Annalium scriptor doctissimè existimet) Verum à Clero post mortem Silerij intrusus prius, legitimus pastor Vigilius effectus, cum de adimpletione pacti, de restituendo Anthimo à Theodora vrgeretur (ò rem admirabilem) repentè gleba in saxum mutata, & leuis palea grani firmissimi naturam adepta est; nam ad Theodoram in hūc modum rescripsit. *Absit hoc à me Domina Augusta. Prius locutus sum malè, & insipienter: modo autem nullo modo tibi consentio, vt reuocem hominem hæreticum, & anathematizatum, paratus magis mori, quàm viuere*; imò vt scribit S. Gregorius ep.36. contra Theodoram tunc Augustam & Acephalos, damnationis promulgauit sententiam. Idem Pontifex de tribus illis Capitulis, quæ prius Oc-
s Patres, Concilio Chalcedonensi deferre
lefendebant (continebant autem ea scripta
.ti aliquot errores veritati immixtos) & sinō

M fini-

ſiniſtrè iudicaſſet, cum Orientem eadem damnantem aſpexiſſet, ſententiam tamen mutauit, & Patribus V. Synodi, in eorundem damnatione conſenſit. Verùm quia alia erat quæſtio de perſonis, alia de fide, à recto itinere dogmatum Vigilius non deflexit, ac proinde de fide nihil immutauit. Nam (vt egregiè S. Gregorius Papa eadem epiſt. ponderauit.) *In Synodo, in qua de tribus capitulis actũ eſt, apertè liquet, nihil de fide concluſum eſſe, vel aliquatenus immutatum, ſed ſicut ſcitis, de quibusdã illic ſolummodo perſonis eſt actitatũ, quarũ vna, cuius ſcripta euidenter à rectitudine catholicæ fidei deuiabant, non iniuſtè damnata eſt.*

16 Egregia ſanè exempla poſteris relicta, quæ ſemper ſeruarunt, atque ſeruabunt Romani Pontifices, videlicet non propter gratiam Imperatorum, vel Regum, non pecunias, minas, promiſſiones, deflexos, nec conniuiſſe, nec conniuendum, vt depoſitum in aliqua, & ſi tãilla re, lęderetur, vel in dubietatis anguſtias redigeretur; ſciebant enim (quod ſapienter à S. Zenone Epiſcopo Veronenſi hom. de fide ſcriptũ eſt) quòd *miſera eſt fides, quam turbæ concinnant, debilis cuius quotidie diſſipantur varijs argumentationibus membra: Indefenſa, quæ Regum, Iudicum, diuitum, aliquoties gentiũ, etiam deſiderat per momenta patrocinia: adultera, quæ non cognoſcitur, quo authore ſit nata: præſumpta, quæ vult magis nouellæ traditioni ſuæ credi, quàm antiquitati, &c.*

17 Pueriliter ergò ſentiunt (vt verbis vtar antiquitatis ſcrutatoris, nobiliſſimi auctoris F. Thomæ Vualdenſis tom. 2. c. 64. de Sacram. Euchariſt.) *qui credunt, ac humana tantum imperioſa voluntate, pendere ſententiã decretalem, quaſi ſic, vel ſic poſſent, ſi vellent fidei rudimen-*

menta[Pōtifices] construere, & quasi PP. in Concilijs suis agentes de fide dicerent prophetias Domini ad fauorem petentium, sicut Sedechias filius Chanana, cum suis complicibus: ita vt cum audiant à Nuncio Regis, quod dixit Micheæ. 3. Reg. 22. *Ecce sermones Prophetarum, ore vno bono Regi prædicant; sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona: nec possit, aut debeat Ecclesia respondere cum Michæa Propheta Domini, viuit Dominus, quia quodcunque dixerit mihi Dominus, hoc loquar, sed cum assentatoribus Sedechiæ socijs, sola proferre, quæ interroganti complaceant. Nempè ego existimo, Matrem Ecclesiam siue Romani Cleri, vel Concilij Generalis multo constantiorem diuino Balaam, meliori, certiorique sensu dicere semper posse; Si dederit mihi Balaac domū suam argenti, & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt plus vel minus loquar: idest si quid dixerint Philosophi ista via v3. Impanationis, non transubstantiationis* (de hac enim murmurabat Vvitcleph, tanquam difficiliori, & potuisse Ecclesiam proponere faciliorem, & plausibiliorem populis, & sensibus) *ista, inquam, via est vicinior sensui, pro accidentibus sustinendis, aut ista est leuior nostris conceptibus, constitue nobis illam; frustra sibi petunt, quod optant, sensibus scilicet suis fidem arctare, & non ad libitum peruertere veritatem. Quid ad hæc S. Ecclesia respondet? non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt plus, vel minus loquar, quamuis dederis mihi domum auro plenam*, Sic fecit Liberius. *Ecce facilius esset nostris conceptibus dicere Christum purum hominem, & non Deum vt Arius, quàm supra omnem sensum Dei Filium æternaliter sine mutatione, vel ordine temporis propagatum à Patre in identitate numerali essentiæ, & tamen viam primam*

 abije-

abiiecit Sacrum Nicænum Concilium, & elegit secundã. Leuius eßet dicere cum Manichæo Christum non fuisse verum hominem, ne immortalis Deus credi moriatur in Cruce, & tamen reiecta est, & via difficilior prælecta. Quare autem ista electa est, illa reiecta, sola ratio est, quia hæc est sententia veritatis, illa non sic. Istam ergo sequebatur magnum Concilium, & insequebatur illam, Sed quomodo, subdit, *ista videbitur veritas, non illa? quia hoc semper in consuetudine docere solebat animata fides Ecclesiæ, à tempore Apostolorum per successionẽ Pontificum, & Plebium vsque ad tempora illa, quamuis non esset expressè definita, qualiter* Augustinus lib. de vtilitate credendi docet, *quòd in magnis Concilijs, cum dubium fidei ventilaretur, perpendebant PP. quid sentirent de hac re, ante eos per communem fidem, rursum vsque ad Apostolos, & hoc statim decreuerunt esse tenendum.* Vnde subdit Augustinus lib. 4. contra Donatist. cap. 10. *Illa consuetudo, quam etiam tunc homines, sursum versus respicientes, non videbant, à posterioribus institutam, rectè ab Apostolis tradita creditur, &c.* Hæc tantus Doctor, magnus Ecclesiae defensor, ostendens contra Vvicleuistas (quos Nouatores sunt imitati) Pontificem Summum, depositum sacrum nullo modo immutantem, nec plus vel minus quàm accepit, consignantem; puritatem eius ostendentem, non propria cudentem; non vulgi sensibus, vel facilitati, aut principum subornationibus veritatem accommodatam, atque plausibilem, decernentem, sed eandem fidei veritatem promulgantem, quia veritas est reuelata, & sacra quadam analysi à posterioribus ad priora secula sursum versus, ostendit canales ad fontes reduci Apostolicos; vt & eos ad Apostolos, sursum versus deferri,

ma-

manifestissimè appareat.

18 Meritò illud Coronidis loco,de Summis Ecclesiae Praesulibus vsque ad nostra tempora, nos possumus afferre,quod Patres Occidentales 6. Synodi in act.4. non minus eruditè quam verè acclamarunt, & fidenter Constantino Imperatori insinuarunt. *Lumen Catholicæ atque Apostolicæ fidei per Beatos Petrum, & Paulum Apostolorum Principes, eorumque discipulos, & Apostolicos successores, gradatim vsque ad nostram paruitatem, Dei opitulatione seruatum est*, (quae metaphora deposito accommodari potest) *nulla hæretici erroris tetra caligine tenebratum, nec falsitatis nebulis consedatum,nec intermixtis hæreticis prauitatibus, velut caliginosis nebulis perumbratum,immune,atque syncerum, & suis radijs perlustratum,purissimis conatibus conseruare cupit, vestrum à Deo coronatum fastigium. In hoc enim tàm Apostolicæ Sedis,quàm nostri exigui famulatus prædecessores vsque hactenus,non sine periculis desudarunt;nunc decretali commonitione cum Apostolicis Pontificibus consulentes; nunc Synodali definitione, quæ veritatis regulam continebat, omnibus innotescentes;& terminos, quos transgredi nefas est, vsque ad animæ ipsius exitum, constanter defendentes, &c.*

19 Quamuis autem multa sint de fide definita à posterioribus Pontificibus, ac proinde in Symbolis addita, V.G. cum Constantinopolitanæ fidei symbolo addita est particula, *Filioque*, in processione Spiritus Sancti, non perindè deposito aliquid permixtum est, quod ad fidem nō attineat. Scitè Hugo AEtherianus lib.3.de heres.cap. 10. satis superque integritatis depositi apologeticam istam doctrinam,his aureis litteris describendam posteritati tradidit. *Nulla insimula-*

poſt,per interpretationem, & appoſitionem verbi, quod non perſpicuè ab omnibus intelligebatur, enucleaui, Et poſtea, *Aequum eſt igitur ratum habere, quod tanta Eccleſia decernit, quod tantus Pontifex enunciat. Qui autem primæ ſedis, imò totius Orbis Præſuli reſiſtunt, Christi diſpoſitioni reſiſtunt, & niſi reſipiſcant, contumaciæ iudicio plectentur. Quicunque nauiculam Christi ſpernit, in eâ autè nauigat, & niſi plumbeas moles peruicacitatis reijciat, influent maria.* Hæc Hugo. Vides ergo tanti viri teſtimonio, nunquã contrariũ Symbolo additũ in editione decretorũ Pontificũ, nec nouã ſuperinductã fidẽ, & traditã fidem non innouari, ſed renouari, explicari, enucleari, & quod implicitè in prioribus Symbolis includebatur, explicatius tradi in poſterioribus, vrgente hæreticorum inſtantia. Vnde & Baſilius epiſt. 60. ad Eccleſiam Antiochenam dicit, quòd in Concil. Niceno, *De Spiritu ſancto doctrina indefinita eſt*; propterea quod tunc nondum *comparerent Pneumatomachi*. Cum vero bellum Spiritui ſancto indixerunt, eum ſeruilis naturae eſſe dogmatizantes, mox eius conſubſtantialitas cum Patre, in Synodo Conſtantinopolitana definita eſt. Eadem fuit perpetua praxis Conciliorum, & Pontificum, vt nouis exurgentibus erroribus, vetus fides nouiter traderetur, non nouum depoſitum promeretur.



quam quòd ad protegendum praualet diuina tutela. An ad hoc, frater cariſſime, deponenda eſt catholicæ Eccleſiæ dignitas, & plebis intus poſita fidelis atque incorrupta maieſtas, & Sacerdotalis quoque authoritas, & poteſtas, vt iudicare velle ſe dicant de Eccleſiæ Præpoſito extra Eccleſiam conſtituti? de Chriſtiano hæretici? de ſano ſaucij? de integro vulnerati? de ſtãte lapſi? de iudice rei? de Sacerdote ſacrilegi? Quid ſupereſt, quàm vt Eccleſia Capitolio cedat, & recedentibus Sacerdotibus, ac Domini altare remouentibus, in Cleri noſtri ſacrum, venerandumque conſenſum, ſimulacra atque idola cum aris ſuis transeant, & Nouatiano, alijsque hæreticis, *reclamandi aduerſum nos, atque increpandi largior, & plenior materia praſtetur,* videlicet ijs, qui Chriſti dogmatibus contradicunt, *& non tantum rogari, ſed & timeri, & adhuc inſuper cœperint terroris ſui poteſtate dominari. Si pacem poſtulant, arma deponant; ſi ſatisfacere cupiunt, quid minantur? ſi verò emẽdari cupiunt, cur cenſuram refugiunt? ſi corrigi volunt, cur delinquunt?* Si non ſanam doctrinam mordicus defendunt, cur volunt dici Chriſtiani? ſi eierant, cur eierandam doctrinam primi ipſi non produnt? *Credant certè, quod nec Antichriſtus* (vt idem dicit) *introibit Eccleſiam, quia minatur, aut armis eius, & violentiæ ceditur, quia reſiſtentes perempturos ſe eſſe profitetur. Armant nos hæretici, dum nos putant ſua comminatione terreri, nec in facie nos deijciunt, ſed magis erigunt, & accendunt, dum ipſam pacem perſecutione peiorem fratribus faciunt.* Sic armatus inuictè perſiſtebat Cornelius à Cypriano cohortatus, adamantinam in retinendo depoſito fortitudinem præſeferentem, minis rebellium reſiſtentem.

13 At

13 At vbi minę non prępaluerunt,& timor humilians, blanditiæ,& concupiscentia inflammans, imò vtraque iunctis dexteris,rursus audaces manus vim inferebant Summis Pontificibus,vt depositum immutarent. Ad Liberium Pontificem contra Athanasium, sacri depositi defensorem acerrimum,instigandum, Imperatoris Eunuchus Romam ab eo missus est, vt donis adblandiretur,& litteris minacibus terrefaceret,vt scribit Sozomenus lib. 4.c. 14. *Spado primo incitabat Liberium, vt contra Athanasium scriberet,& cum Arianis communicaret; id enim Imperatorem velle, & pro imperio iubere. Deinde munera ostentans,verbis instabat,manuq; Liberij apprehensa,ita locutus est. Obtempera Regi, & ista accipe.* Vna manu,vt dicitur,lapidem proferens,alteram panem. Sed cum reluctasset Liberius damnare virum orthodoxum,eam reddidit rationem: *Non ita se habet Ecclesiasticus Canon, neque vnquam accepimus talem à PP.traditionem, quam ipsi à B.& magno Apostolo Petro acceperunt.* Additque omnia contra ipsum Athanasium scripta,delenda. *Synodum longe à Palatio celebrandam, vbi non sit prasto Iudex, vel Comes, vel Imperator, vbi solus timor Dei ad omnia sufficit, & Apostolorum institutio. Ibidemque ante omnia fides catholica asseratur,quæ Nicea definita est. Deinde iudiciū de Athanasio fiat.* Sed non multò post (vt scribit Athanasius epist. ad solitariam vitam agentes) *trahitur Liberius ad Imperatorem: quò cum peruenisset, magna quoque & ibi libertate dicendi vsus est.* Nam, & ea (vt ibidem pręmisit Athanasius) *secum impij cogitarant: si Liberium in nostram sententiam traxerimus, omnes breui superabimus.* Quid ergo respondit? *Desine persequi Christianos: ne tenta per me hæreticam impietatem*

in

in Ecclesiam introducere. Ad omnia potius sustinenda parati sumus, quàm nos Christiani eò deueniamus, vt Ariani appellemur: ne coge nos fieri perduelles. Quo nō impetrato (vt scripsit Ammianus Marcellinus lib. 15. c.16.) *ægrè populi metu, qui eius amore flagrabat, cum magna difficultate, noctis medio potuit asportari.* Igitur (vt dicit Damasus in Pontific.) *à Constantino deportatur in exilium, eò quod noluisset heresi Arianę consentire,* Et, vt dicit Sozomenus; *in hac parte*, nempe custodiæ depositi Sacrosanctę fidei, *infractus Liberius: licet postea metu mortis*, solum ad subreptionem contra Athanasium inductus, subscripserit. Verùm idem Athanasius, quantum illibatè custodierit Liberius depositum, testimonium dat apertissimum: ad Constantium enim Augustum sic respondisse (cum de deposito tradendo vrgeretur) enarrat. *Nunquam mea statuta, sed Apostolica, vt essent firmata, & custodita perfeci, secutus morem ordinemque maiorum. Nihil addidi Episcopatui Vrbis Romæ, nihil minui passus sum: & illam fidem seruans, quæ per successionem tantorum Episcoporum cucurrit, ex quibus plures Martyres extiterunt, illibatam custodiri semper exopto.*

14 Amplius cum Oratores Teopompus, & Seuerinus ab Anastasio Imperatore, cum plenissima confessione fidei Chalcedonensis Synodi, ad Horsmidam destinati essent (vno capite, quod erat exceptum, postulato à Pontifice, nempè de Acacio e diptychis non eradendo, quod iudicio Pontificis in futura Synodo discutiendum remittebat) amicabiliter, & cum laude recepti sunt. Verùm, cum conarentur Pontificem non leui conatu ad ipsorum partes trahere (iam enim erant detecti heresis Euthychianę fautores) Sacrosanctum

ctum

ctum depoſitum imminui Horſmida non patiens, eos vrbe diſcedere iuſſit, ne orthodoxa fides (communicata cum Acacio communione) pollueretur, periculum enim erat in promptu, ne fraudulentis aduerſariorum technis,in communionem erroris,cum communicatione perſonæ traheretur.

15 Sed & Vigilius per vim Pontificatum adeptus eſt, è Petri ſede deturbato Siluerio,Theodoræ Auguſtæ, & Beliſsarij Ducis potentia, ea conditione, & pacto , vt in eorum gratiam,Anthimi, & Seueri , & Theodoſij, Eutychianorum firmaret fidem , Anthymumque , ob hęreſim eiectum à Conſtantinopolitana Sede,rurſus inauguraret . Quod , & ſi Vigilius promiſerit ,& nonnulli hæreſi Eutychinianæ , tunc intruſum Vigiliū viuente Siluerio ſubſcripſiſſe autument (quamuis id ſuppoſititium Annalium ſcriptor doctiſſimè exiſtimet) Verum à Clero poſt mortem Siluerij intruſus prius, legitimus paſtor Vigilius effectus, cum de adimpletione pacti,de reſtituendo Anthimo à Theodora vrgeretur (ò rem admirabilem) repentè gleba in ſaxum mutata, & leuis palea grani firmiſſimi naturam adepta eſt;nam ad Theodoram in hūc modum reſcripſit. *Abſit hoc à me Domina Auguſta.Prius locutus ſum malè,& inſipienter : modo autem nullo modo tibi conſentio, vt reuocem hominem hæreticum, & anathematizatum, paratus magis mori, quàm viuere ;* imò vt ſcribit S. Gregorius ep.36.contra Theodoram tunc Auguſtam & Acephalos, damnationis promulgauit ſententiam. Idem Pontifex de tribus illis Capitulis,quæ prius Occidentales Patres, Concilio Chalcedonenſi deferre putantes,defendebant (continebant autem ea ſcripta Theodoreti aliquot errores veritati immixtos) & ſinō

finistrè iudicasset, cum Orientem eadem damnantem aspexisset, sententiam tamen mutauit, & Patribus V. Synodi, in eorundem damnatione consensit. Verùm quia alia erat quæstio de personis, alia de fide, à recto itinere dogmatum Vigilius non deflexit, ac proinde de fide nihil immutauit. Nam (vt egregiè S. Gregorius Papa eadem epist. ponderauit.) *In Synodo, in qua de tribus capitulis actū est, apertè liquet, nihil de fide conclusum esse, vel aliquatenus immutatum, sed sicut scitis, de quibusdā illic solummodo personis est actitatū, quarū vna, cuius scripta euidenter à rectitudine catholicæ fidei deuiabant, non iniustè damnata est.*

16 Egregia sanè exempla posteris relicta, quæ semper seruarunt, atque seruabunt Romani Pontifices, videlicet non propter gratiam Imperatorum, vel Regum, non pecunias, minas, promissiones, deflexos, nec conniuisse, nec conniuendum, vt depositum in aliqua, & si tā illa re, lęderetur, vel in dubietatis angustias redigeretur; sciebant enim (quod sapienter à S. Zenone Episcopo Veronensi hom. de fide scriptū est) quòd *misera est fides, quam turbæ concinnant, debilis cuius quotidie dissipantur varijs argumentationibus membra: Indefensa, quæ Regum, Iudicum, diuitum, aliquoties gentiū, etiam desiderat per momenta patrocinia: adultera, quæ non cognoscitur, quo authore sit nata: præsumpta, quæ vult magis nouellæ traditioni suæ credi, quàm antiquitati, &c.*

17 Pueriliter ergò sentiunt (vt verbis vtar antiquitatis scrutatoris, nobilissimi auctoris F. Thomæ Vualdensis tom. 2. c. 64. de Sacram. Eucharist.) *qui credunt, ac humana tantum imperiosa voluntate, pendere sententiā decretalem, quasi sic, vel sic possent, si vellent fides rudimen-*

menta[Pōtifices] conſtruere, & quaſi PP. in Concilijs ſuis agentes de fide dicerent prophetias Domini ad fauorem petentium, ſicut Sedechias filius Chanana, cum ſuis com plicibus: ita vt cum audiant à Nuncio Regis, quod dixit Michea. 3.Reg. 22. *Ecce ſermones Prophetarum, ore vno bono Regi prædicunt; ſit ergo ſermo tuus ſimilis eorum, & loquere bona: nec poſſit, aut debeat Eccleſia reſpondere cum Michea Propheta Domini, viuit Dominus, quia quodcunque dixerit mihi Dominus, hoc loquar, ſed cum aſſentatoribus Sedechiæ ſocijs, ſola proferre, quæ interroganti complaceant. Nempè ego exiſtimo, Matrem Eccleſiam ſiue Romani Cleri, vel Concilij Generalis multo conſtantiorem diuino Balaam, meliori, certiorique ſenſu dicere ſemper poſſe; Si dederit mihi Balaac domũ ſuam argenti, & auri, non potero immutare verbum Do mini Dei mei, vt plus vel minus loquar: ideſt ſi quid dixerint Philoſophi iſta via v3. Impanationis, non tranſubſtantiationis*(de hac enim murmurabat Vvitcleph, tanquam difficiliori, & potuiſſe Eccleſiam proponere faciliorem, & plauſibiliorem populis, & ſenſibus) *iſta, inquam, via eſt vicinior ſenſui, pro accidentibus ſuſtinendis, aut iſta eſt leuior noſtris conceptibus, conſtitue nobis illam; fruſtra ſibi petunt, quod optant, ſenſibus ſcilicet ſuis fidem arctare, & non ad libitum peruertere veritatem. Quid ad hæc S. Eccleſia reſpondet? non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt plus, vel minus loquar, quamuis dederis mihi domum auro plenam*, Sic fecit Liberius. *Ecce facilius eſſet noſtris conceptibus dicere Chriſtum purum hominem, & non Deum vt Arius, quàm ſupra omnem ſenſum Dei Filium æternaliter ſine mutatione, vel ordine temporis propagatum à Patre in identitate numerali eſſentiæ, & tamen viam primam*

abiecit Sacrum Nicenum Concilium, & elegit secundã. Leuius eßet dicere cum Manicheo Christum non fuisse verum hominem, ne immortalis Deus credi moriatur in Cruce, & tamen reiecta est, & via difficilior praelecta. Quare autem ista electa est, illa reiecta, sola ratio est, quia hec est sententia veritatis, illa non sic. Istam ergo sequebatur magnum Concilium, & insequebatur illam, Sed quomodo, subdit, *ista videbitur veritas, non illa? quia hos semper in consuetudine docere solebat animata fides Ecclesiae, à tempore Apostolorum per successionẽ Pontificum, & Plebium vsque ad tempora illa, quamuis non esset expreßè definita,* qualiter Augustinus lib. de vtilitate credendi docet, *quòd in magnis Concilijs, cum dubium fidei ventilaretur, perpendebant PP. quid sentirent de hac re, ante eos per communem fidem, rursum vsque ad Apostolos, & hoc statim decreuerunt esse tenendum.* Vnde subdit Augustinus lib. 4. contra Donatist. cap. 10. *Illa consuetudo, quam etiam tunc homines, sursum versus respicientes, non videbant, à posterioribus institutam, rectè ab Apostolis tradita creditur, &c.* Hæc tantus Doctor, magnus Ecclesiae defensor, ostendens contra Vvicleuistas (quos Nouatores sunt imitati) Pontificem Summum, depositum sacrum nullo modo immutantem, nec plus vel minus quàm accepit, consignantem; puritatem eius ostendentem, non propria cudentem; non vulgi sensibus, vel facilitati, aut principum subornationibus veritatem accommodatam, atque plausibilem, decernentem, sed eandem fidei veritatem promulgantem, quia veritas est reuelata, & sacra quadam analysi à posterioribus ad priora secula sursum versus, ostendit canales ad fontes reduci Apostolicos; vt & eos ad Apostolos, sursum versus deferri,

ma-

manifeſtiſſimè appareat.

18 Meritò illud Coronidis loco,de Summis Eccleſiae Praeſulibus vſque ad noſtra tempora, nos poſſumus afferre,quod Patres Occidentales 6. Synodi in act.4. non minus eruditè quam verè acclamarunt, & fidenter Conſtantino Imperatori inſinuarunt. *Lumen Catholicæ atque Apoſtolicæ fidei per Beatos Petrum, & Paulum Apoſtolorum Principes, eorumque diſcipulos, & Apoſtolicos ſucceſſores, gradatim vsque ad nostram paruitatem, Dei opitulatione ſeruatum eſt*, (quae metaphora depoſito accommodari poteſt) *nulla hæretici erroris tetra caligine tenebratum, nec falsitatis nebulis confœdatum,nec intermixtis hæreticis prauitatibus, velut caliginosis nebulis perumbratum,immune,atque syncerum, & suis radijs perlustratum,puriſſimis conatibus conseruare cupit, vestrum à Deo coronatum faſtigium. In hoc enim tàm Apostolicæ Sedis,quàm nostri exiguifamulatus prædeceſſores vsque hactenus,non sine periculis desudarunt;nunc decretali commonitione cum Apostolicis Pontificibus consulentes; nunc Synodali definitione, quæ veritatis regulam continebat, omnibus innotescentes;& terminos, quos transgredi nefas est, vsque ad animæ ipsius exitum,constanter defendentes, &c.*

19 Quamuis autem multa ſint de fide definita à poſterioribus Pontificibus, ac proinde in Symbolis addita, V.G. cum Conſtantinopolitanæ fidei ſymbolo addita eſt particula, *Filioque*, in proceſſione Spiritus Sancti, non perindè depoſito aliquid permixtum eſt, quod ad fidem nō attineat. Scitè Hugo AEtherianus lib.3.de hęreſ.cap. 10. ſatis ſuperque integritatis depoſiti apologeticam iſtam doctrinam,his aureis litteris deſcribendam poſteritati tradidit. *Nulla insimula-*

poſt,per interpretationem, & appoſitionem verbi, quod non perſpicuè ab omnibus intelligebatur, enucleaui, Et poſtea, *Aequum eſt igitur ratum habere, quod tanta Eccleſia decernit, quod tantus Pontifex enunciat. Qui autem primæ ſedis, imò totius Orbis Præſuli reſiſtunt, Chriſti diſpoſitioni reſiſtunt, & niſi reſipiſcant; contumaciæ iudicio plectentur. Quicunque nauiculam Chriſti ſpernit, imautè nauigat, & niſi plumbeas moles peruicacitatis reijciat, influent maria*. Hæc Hugo. Vides ergo tanti viri teſtimonio, nunquā contrariū Symbolo additū in editione decretorū Pontificū, nec nouā ſuperinductā fidē, & traditā fidem non innouari, ſed renouari, explicari, enucleari, & quod implicitè in prioribus Symbolis includebatur, explicatius tradi in poſterioribus, vrgente hæreticorum inſtantia. Vnde & Baſilius epiſt. 60. ad Eccleſiam Antiochenam dicit, quòd in Concil. Niceno, *De Spiritu ſancto doctrina indefinita eſt*; propterea quod tunc nondum *comparerent Pneumatomachi*. Cum vero bellum Spiritui ſancto indixerunt, eum ſeruilis naturae eſſe dogmatizantes, mox eius conſubſtantialitas cum Patre, in Synodo Conſtantinopolitana definita eſt. Eadem fuit perpetua praxis Conciliorum, & Pontificum, vt nouis exurgentibus erroribus, vetus fides nouiter traderetur, non nouum depoſitum promeretur.



CAPVT XIV.

In quo Calumniæ aduersus fidelitatem Romani Pontificis, ab Aduersarijs Hæreticis confictæ, euidenter repelluntur.

1 
Principe Apostolorum Petro auspicantur aduersarii, & depositum in duobus violasse contendunt. Ita Centuriat. lib. 2. cap. 10. col. 558. 559. 560. Primò in Christi Domini abnegatione. Secundò, in legalium obseruatione. *Persuasit* (addit Vvitakerus) *ceremonias legis non esse abrogatas, sed ad salutem necessarias: Errauit in cibis*, (subdit) *& vocatione Gentium, & diuinitùs cœlesti visione admonitum, parere noluisse*. At hae merae calumniae. Nam & si Petrus negauit, fidem nō perdidit, nec in depositum peccauit, non enim è cathedra negationem Ecclesiae credendam praescripsit. Nec verbo Gentes iudaizare coegit, sed factum, & exemplum (quod se à Gentilibus subtraxerat, & Iudęis se coniunxerat, pręter tamen intentionem suam) coactio visa est, quodammodo ad imitandum. Propter quod à Paulo repręhensus, quasi suo exemplo ad legalia seruanda inuitaret. Vnde si quis excessus fuit, (vt dicit Tertull. de præscript. cap. 23.) *Conuersationis fuit vi-*

vitium, non prædicationis, numquam enim decreto fideles abstrinxit, ad credendum legalia esse seruanda, sed potius oppositum decretum est in Concilio Apostolorum. c. 15. Act. Et si autem in visione dicta, reluctaretur S. Petrus, de tempore reluctabatur, quando scilicet Gentilibus esset praedicandum: numquam tamen decreto cauit, Gentiles non posse pertinere ad Regnum Dei, vel illis non esse Euangelij praedicationem demandandam. Insignis ergo calumnia est aduersariorum.

2 Opponunt Lino 2. col. 627. c. 10. à deposito deuiasse, dum iussit capita fœminarum velanda. Iocatur etiã Franciscus Iunius, *Lino* (dicens) *fuit nomen, ideoque in nominis sui monimentum, in capitibus fœminarum esse voluit, vt non nisi è Lino velarentur*. At non propter Lini nomen, sed propter illas causas, quas recenset Paulus 1. Cor. 11. & assignant Patres, velandas, conformiter ad Apostolum, decreuit Linus. Nec aliud, nisi quod Paulus sanciuerat, inculcauit, & seruandum voluit. Certè aduersarius (vt in veteri est Prouerbio apud Chrysip. in Plat. Euthydemo) *Linum lino nectit*, hoc est, friuola sua, friuolis Centuriatorum texturis connectens.

3 Anacletum impetunt, quòd Sancti Petri memoriã extruxerit. Centuriat. l. 2. col. 628. & Danæus criminatur, ob id, Anacletum iecisse semina superstitionis, & idololatriae. Nugae. Sanctorum enim venerationem Anacletus, ex deposito Apostolicæ traditionis didicerat; & eam exemplo, & praxi demonstrauit. Suspirant aduersarij ea templa expilare non potuisse, quæ ornatissima, & celeberrima, etiam in persequutionum procellis Caius, & alij post Euseb. lib. 2. c. 25. ex Ruffini

ver-

versione, testantur. Certè, vt dicitur, *Clauis ligna findere, & securi fores* aperire tentassent, ad thesauros depredãdos, vt fecerunt Caluinicolæ, eorum Symmistæ, cum templa, & sacras aedes Galliarum expilarunt.

4 Thelesphorum, septem Hebdomadibus ante Pascha ieiunia indicentem, trium Missarũ sollemnia in die Natiuitatis præscribentem, super plebem, & laicos clericorum Ordinem efferentem, & ab eorum iurisdictione eximentem, aggrediuntur: *superstitiosum* (addit Danæus) *& superbum* inclamando. *Vnicum* (conclamat etiam Iunius) *esse verbum Dei*, ab hoc discrepare illas Telesphori constitutiones. Sed *comędia veteris licentia, de plaustro loquitur hæresis*, ex Hieronym. ad Rust. Monach. O superbiam, ne dum primates, sed Deum (vt dicebat Aristophanes) carpentem: nec enim tàm Thelesphorum criminantur, quàm Apostolos ipsos, qui omnia pęnè hęc in deposito, familiari traditione reposuerunt; Imò Christum Dominum, qui sanciendi leges, & Canones Petro, & successoribus tradidit potestatem.

5 Victorem olim Theodorus, & Victor alius traduxerunt, quasi Christum Dominum fassus esset, esse purũ hominem, apud Euseb. lib. 5. c. 28. Sed męra fuit impostura, & mentitos contra Victorem, scribit idem Eusebius. Caluinus etiã 4. Inst. c. 7. sect. 7. *Irenęus* (inquit) *Victorem grauiter corripuit, quòd temerè, ob rem nihili, pernicioso dissidio turbarit Ecclesiam, paruit, non reclamauit.* Haec ille. Vel hinc cognoscat aduersarius Pontificis Romani primatum. Nam Irenęus intercedebat, ne tot Ecclesiæ Asiaticæ à corpore Christi separarentur. Ea autem causa, quae fortè leuis Irenęo videbatur (putabat enim in solam, & nudam consuetudinem

pec-

peccari) grauis in se erat, quod implicitè aduersarius fatetur, & fatebatur Irenęus, quando causa talis putabatur, quòd in contradictores posset Pontifex Romanus gladium exerere cēsurarum, & ne exerceret, rogabatur. Quarè immerito Mornęus Sanctum Pontificem *proteruum* vocat, opposit. 1. pag. 8. myst. iniquit. & iterum, progressu 2. pag. 10. *vsurpatorem tituli Pontificij*, cum Tertull. Victoris hostis, adhuc Montanizans, *Episcopi Episcoporum* titulo eundem cohonestarit. lib. de pudic. cap. 1. Sed, *quid Pygmęis cum Hercule?* dicebat ille.

6 Zepherinus notatur, quod Montanistis pacem dederit, & quòd peius est (ait Vvitakerus) Prophetias Montani agnouerit, & approbarit, & Tertullianum esse huius rei testem. A quo imposturam hanc mutuatus sit Nouator agnoscimus, nempè à suis veteribus Symmistis, & Prodromis, Auctoribus harum sycophātiarum. Iam Tertullianus ab Ecclesia Romana fuerat eliminatus, & vt se iniustè separatū esse suaderet (lib. aduersus Praxeam) Zepherinum sui erroris patronū facit. Sed familiaris hæreticorum mos fuit, & impostura, Romani Pontificis patrocinio, mendaciter conficto, suas hæreses subornare. Falsis rumoribus deceptus est Pontifex, circa personas falsò informatus, quòd hæresim non cōmiserint, vel talia dogmata seminassent (nēpè Tertullianus cum suis) vel quod callidè sub verbis catholicis hæreses abscondèrent; quare pacem & litteras communicatorias dedit fontibus, innocentibus existimatis. Numquam tamen in illis impostoribus hęresim agnouit, vel eandem approbauit Zepherinus. Adeò infirma hæc sunt tela aduersariorum, *vt Volselli pugnare videantur, non gladijs*, vt in veteri est prouerbio.

7 Eo

7 Eo etiam titulo veluti depositi inuersor accusatur
Vrbanus,quod, (aiunt Cent. 3.c.10.col.277.) Con-
firmationem instituerit : eamque dixerit Christi bap-
tismo sanctiorem,vt addit Dançus.Sed satis suis se de-
pingunt coloribus aduersarij , dum antiquitatis testi-
monio, quae Vrbanum praecessit, in Ecclesia admini-
stratam Confirmationem,euincitur,vt ex Dionys.Ter-
tull.& alijs apertè demonstratur , qui fuerunt Vrbano
antiquiores . Vtrumque autem magnum Sacramentũ
est,Confirmatio tamen augumentum praestat ad gra-
tiam.de consec.dist.5.c.3.

8 Pontiano notam erroris Centuriat. imponunt col.
278.quod docuerit(aiunt) Sacerdotes conficere Cor-
pus,& Sanguinem Christi , & à peccatis posse absol-
uere. At non mirum , quod homunciones, maximis
viris oblatrent , nam & Aquilam Cornix prouocat .
Errant verò,peiùs quàm Sadduçei,non intelligentes,& 5
nescientes scripturas,& *virtutem Dei*, qui talem pote-
statem dedit hominibus , quam fateri ex Verbo Dei
scripto astringuntur. *Hoc facite in meam commemora-
tionem* Matth.22.& Ioan. 20. *Accipite Spiritum san-
ctum,Quorum remiseritis peccata,&c.*

9 Cornelio imponunt , quòd aquam solam in Calice
adhibendam voluerit tempore sacrificij,*Quia* (inquiũt
c.6.col.145.& 7.col.165.) Cyprianus ad Cornelium
de ea re scripsit . O bellos homines , qui ex alienis ad
alienos scriptis litteris , placita auctorum diuinant.
Certè eorum oculus dexter tũc saliebat, pruritu enim
oculi superstitiosè diuinare mulieres solebant. Falsum
omen. numquam enim de ea re Cyprianus scripsit ad
Cornelium,sed ad Cęcilium,nec eius ad quem scribit,
sed aliorum esse hunc errorem pronunciat.Ibi quoque
vino

vino aquam admiſcendam tradit Sanctus Martyr. Quòd verò addit Mornçus progreſſu 2. pag. 10. Cornelium à quodã Baſilide fuiſſe deceptum, quæſtio illa facti fuit, vt ſedi ſuae reſtitueretur, mentiendo ſe catholicum: *Vndè nec culpandus eſt* (ait Cyprianus 1. ep. 4.) *cui dolosè obreptum eſt; quàm hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit.*

10 Stephanum ab Apoſtolica traditione defeciſſe conclamant alij, eò quod haereticos non eſſe rebaptizandos ſanciuerit, nec Paſcha celebrandum more Iudaico. His applaudere viſus eſt Mornçus opp. 3. pag. 15. dum quaeſtionem de anabaptiſmo haereticorum facit adiaphoram. Verùm iſti Nouatores magis Iudaei, & haeretici, dum Donatiſtarum, & Iudęorum patrocinium ſuſcipiunt. In Cœlum ergo expuunt, & ſuis laqueis capiuntur, & ſe haereticos probant, dum haereſim falsò obijciunt Sedi Apoſtolicae, & ex Petil. apud Auguſt. de vnico bapt. confutantur c. 14. vbi per ordinem Petilianus Romanae Eccleſiae recenſens Epiſcopos, *Inter eos commemorauit, & Stephanum, quos Epiſcopatum illibatè geſſiſſe, confeſſus eſt.*

11 Marcellinum depoſiti traditorem, & inuaſorem occinunt communiter Nouatores; idolis quoque ſacrificaſſe, & ſi non verbis docuiſſe, tamen factis aliquid contra fidem (ait Vvitakerus) ſtatuiſſe: nec referre (ſubdit) qua cauſa id fecerit, nec factum iſtud negari poſſe. Sed hoc eſt iam acta agere, ſiquidem (vt dicit S. Auguſt. contra Petil. c. 16. & cap. 16. de vnico bapt.) id obiectum fuit à Donatiſtis, nec vmquam probatũ. Sed nedum eripimus arma haereticis iſtis, quibus pugnent, ſubminiſtremus alijs materiã inficiandi, & proteruiendi; admiſſo facto (ex Breuiario Romano allegante

gante Concilium Sinuessanum) certum est Marcellinum nunquam aliquid docuisse contra fidem: nec nisi tormentorum metu, infidelitatis actum externũ exercuit, cuius grauiter pœnituit, illustri postea agone triumphans. Vndè nihil contra fidem docuit, nec factis, nec verbis. Assistentiam verò Spiritus sancti promissam scimus, ne è Cathedra Papa fidei contrarium dogma doceat, non quod in externum infidelitatis actum prorumpere non possit, nec à gratia, & charitate excidere.

12 De Liberio triumphum ostentant, illum traducendo (mendaciter) circa fidem naufragasse. Vnde *Arianum* conclamat Heshusius: *subscripsisse Arianorum hęresi*, occinit Sutliuius; & etiam, si soli damnationi Athanasij subscripserit, *idem est*, (ait Sibrandus) *subscribere hæreticæ confessioni, & in damnationem Orthodoxi Episcopi:* Imò & *Syrmiensi* (aiunt) *confessioni, & Antiochenæ ab Arianis editæ subscripsit, in quibus nulla habebatur mentio consubstantialitatis*, ὁμόυσιον. Verùm insignis est calumnia haereseos insimulare orthodoxum Pontificem, quem etiam inter Sanctos Patres recensent Ambr. 3. de Virg. Epip. hęres. 27. Basil. epist. 74. & alij. Certè Liberij lapsus, non fuit contra fidem, sed fidei confessionem. Numquam hęresi Arianæ subscripsit, sed metu victus cõicasse cum Arianis visus est, subscribendo in Concilio Syrmiensi, & damnando Athanasiũ. Quãquã re vera in d. Conc. Syrmiensi formulae illae, etsi ab Arianis conditae, & (vt dicit Hil. de Synodis) carentes voce, *Consubstantialis*, vt suspectae tamen habitae non sunt ab eodem Hil. & pium sensum habere posse demonstrat (quamuis ab hęreticis ad prauum sensũ vocula *Homiusion*, vsurparetur.) Cogebat

gebat (ait Sozomenus lib. 4. c. 4.) Conſtantius Imperator Liberium, confiteri Filium non eſſe Patri Conſubſtantialem, non tamen habetur (ex eodem) Liberium ei conſenſiſſe, imò ex repudiatione oppoſitum colligimus. Vndè ex iſta conſtantia Eudoxius cum ſuis ſparſit per calumniam, Liberium profeſſum eſſe, Filium Patri diſſimilem; pro fundamento aſſumentes Athanaſij damnationem, & ſuffragium in Conci. Syrmienſi. Confeſſiones ergo illae in recto ſenſu intellectae ab Hilario, cùm nullam hęreſim continerent, certum quod nulli hęreſi ſubſcripſit Liberius: & Athanaſij damnationi ſubſcribens, non fuit hęreſim approbare, vel fidē Cōcilij Nicęni eierare, ſed hominē orthodoxum ex timore iniuſtè expellere, & ablegare. Fuit ergo peccatum in exteriorem fidei confeſſionem, nullo modo contra fidem, quam ſemper orthodoxè profeſſus eſt. Cuius ſignum apertiſſimum, nam priuſquam è Syrmio diſcederet Liberius, fidei profeſſionem edidit, anathematizando eos, qui negaſſent Filij conſubſtantialitatem, & Macedonianos recipere noluit, eò quod (ait Socrat. lib. 4. cap. 11.) eſſent ſectæ Arianae, vtpotè qui fidem Concilij Nicęni abnegaſſent.

13 Felix II. (vt obijciunt aduerſarij ex Hieron.) *Arianus in locum Liberij ſubſtituitur. Etiam Arianis addictum* vocat Socrates lib. 2. cap. 25. ſic clamant alij, & Heshuſius 1. de Ecc. c. 9. & cum eo Vvitakerus, Sutliuius, & Danęus, Mornęus oppoſ. 5. pag. 3. ſed numquā hæreticum fuiſſe, etiam Aduerſarij fatentur, ait n. Iunius. *Felix II. numquam Arianus fuit mente, ſed pacis ſtudio longiùs prolabens, qua bona fide poterat, Arianos, & ad miniſterium ſacrum, & ad communionem admiſit, teſte Sozomen. ex quo fortaſſe factum, vt licet ab*

Aria-

Arianis dissentiens mente, Arianus tamen respectu partium, quibus consultum volebat, ab Hieronymo dicere-tur, nempè οὐκ ἀρειανὸς ἀλλ' ἀγεανίζω *specie Arianus*. Ergo non re, sed specie, à Hieronymo vocari potuit Arianus, maximè quod opera Arianorum, præsertim Acacij, Cęsarçę Episcopi in sede locatus est, vnde per vim intrusum Felicem multi veteres clamant. Arianis verò *addictum*, Socrates dicit Felicem, non Arianum, ex communione quam inibat cum Arianis ante Pontificatum, & si catholicus esset; cessante verò intrusione Felicis, mox legitimè idem Felix Papa factus (etiā viuente Liberio, à quo Romanus Clerus super suspicionem exterioris infidelitatis supra tactae, & ob pacem cum Arianis factam recesserat, eum à Pontificatu abdicando) non modo ipsorum communionem est execratus, sed Arianorum capita, ipsumque Constantium anathemate percussit, manens in sede legitimè, donec martyrio vita fungeretur, quo defuncto, iterum euocatus Liberius, nebula illa externæ suspicionis infidelitatis, quam tempori seruiens incurrerat, penitùs effugata.

14 Calumniosè verò ab eodem Mornæo traducitur Damasus oppos. 6. pag. 41. quod fuerit, ait, *immersus luxui, & dormitans*, cum à Theodore. lib. 5. cap. 10. vocetur, *vir, omni genere laudis florentissimus*, & iterum c. 2. *Propter vitæ præstabilis ornamenta, insignis*. Qui adeò vigilauit pro deposito, vt Apollinarem, Auxentium, & c. damnaret, Concilium Constantinopolitanum aduersus Macedonianos, Eunomianos indixerit. Item traducitur tamquam mastix Basilij, quòd eum hæreticum existimauerit. At quo decreto? quibus litteris? ostendat Mornæus. Solùm, ex falsis rumori-

moribus calumniantium, Basilius apud Damasum traductus est, & familiaritas cum eodem Damaso ad tempus refriguit, numquam tamen à Pontifice hæreticus habitus.

15 In Siricium continentiæ vindicem, & assertorem salaces Nouatores calamum acuunt. Illi affingunt, quod matrimonium pollutionem vocarit. Ita Caluinus lib.4.c.12.§.24.cui adstipulantur Iunius,& Sibrãdus.Vvitak.lib.7.contra Duræum pag. 460. ait, quòd *primus cęlibatum Sacerdotibus imposuit.* Sub eodem Siricio *corruptam disciplinam, quia primus legem cęlibatus sanciuit*, ait Mornæus in opposit. 8. pag. 51. At numquam matrimoniũ damnauit Siricius, sed solùm Nicolaitarum reliquiarum suscitatores, nempè Iouinianum, Auxentium, & c. qui non obstante sacro ordine, quo insigniti erant, incæstas nuptias celebrabant, quas meritò pollutiones appellabat Sanctus Antistes. Vndè & Mornæus oppos.40.pag. 238. Ambrosium à Siricio plectendi tales incæstuosos clericos auxilium postulasse, scribit. Immeritò tamen Siricium eius legis de cælibatu authorem facit, cum iampridem, Conc. Neocæsar. Ancyranum, Siricio antiquiora eius legis in Ecclesia vsitatae, ab Apostolorum traditione antiqua descendentis, meminerint. Aerem ergo verberant isti homunciones, impura, & sacrilega carnis mancipia, qui continentiae leges audent corruptionem disciplinae appellare, & ne castigent corpus suum, plagas innocenti intentant.

16 De tribus criminibus à Magdeburgensibus accusatur Innocentius primus. Primò, quod Nouatianum dogma fouerit, negans Virgini lapsae absolutionem epist.2. Secundò, quod docuerit in baptismo dato ab

N hære-

hæreticis non dari Spiritumsanctum epist. 18. Tertiò, quod cæremonias Moysis inuexit, dum legis veteris auctoritate (prout etiam Sibrandus proponit) iubet Clericos, & Episcopos ducere in vxorem, virgines, non viduas. Vndè è culice camelum faciens Danęus, exclamauit, *errores Innocentij esse Sole clariores*. Sed quis nisi cęcutiens, non videt Innocentium, non absolutè impartiendam absolutionem Virgini lapsae denegasse, sed impęnitenti, & in peccato perseuerandi affectæ? Baptismi verò, vel Ordinis Sacramenta, cum ab hæreticis suscipiuntur, & si character in illis imprimatur, gratiæ tamen fructu carent. Et propterea meritò dixit, tunc non dari Spiritum sanctum. Pleni sunt libri Sanctorum, præsertim Augustini contra Donatistas, hanc doctrinam è deposito enucleantium. Numquam autē voluit Christianos, Innocentius, legi Mosaycae adscriptos esse. Locum verò quem ex lege Moysis adduxit, non ideo allegauit, vt eo comprobaret constitutiones Ecclesiasticas, sed vt à minori ad maius argueremus, vt si Sacerdotem veteris legis ducta vidua indecens erat fieri bigamum, multò magis clericos in noua lege, & Episcopos indecorum, esse bigamos. Numquam tamē præcepit clericos, & Episcopos Virgines ducere, qui ex Apostolica traditione, continentiae votum Sacro ministerio Euchar. sciebat annexum.

17 Splendidissimum porrò mendacium est Mornęi pag. 57. opp. 10. conclamantis Zosimum ab Hæreticis Pelagianis fuisse deceptum. Sed quae deceptio? num dogma ipsius Pelagij approbatum? an persona haeretica iustificatā? nihil aliud in hac causa intercessit, nisi quod (vt ait Augustinus de pecc. original. cap. 8.) cum postulasset Cęlestius Pelagij discipulus, ab Apostolica Sede

Sede audiri, à Zozimo admissus, & fidem orthodoxam confitendo, & paratus erudiri, hæresi nondum detecta, dimissus est (nondum probatus nocens) & voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Sed Iuliani Pelagiani pullus demonstratur Mornæus; nam eo titulo Zosimum perstrinxit, quod Cęlestium non damnasset.

18 Mentitur autem in caput suum Grammatulus ille Laurentius Valla, in declaratione de falsa donatione Constantini, dum Cęlestinum Pontificem facit Nestorianum. O bellum historicum. Volens enim dicere Cęlestium Pelagij discipulum, quē constat Nestorianis erroribus imbutum, Cælestinum, loco Cælestij, apposuit, Tãtum verò abest, vt Nestorianis erroribus fuerit inuolutus Cælestinus Papa, vt prophanum Nestoriũ, (vt patet ex gestis Concilii Ephesini) sua authoritate confoderit.

19 Sixto imponebant Nestoriani, & Pelagiani, quod à partibus suis staret, multa sub nomine eius euulgantes, & Ruffinus præcipuè venditauit, opus Sixti Pythagorici, sub nomine Sixti. sed imposturam detexit Hieronymus ad Cthesiphontem, & Augustinus similiter 2. retract. c. 40.

20 Centuriatores cent. 5. c. 10. fol. 1260. Leoni Primo imponunt, quod ep. 79. ad Nicetum, matrimonium scripserit dissolui posse. Sed ibi loquitur de separatione quoad thorum, non autem quoad vinculum. Mornæus verò oppos. 11. pag. 68. imponit Sancto Pontifici, quod in ep. ad Anatolium, Synodum Constantinopolitanam eierarit. Sed Sanctus Pontifex ibi conqueritur, congregatam Synodum, studio Imperatoris, in rationem ambitus trahi.

21 Simplicium mordet Mornęus oppos. 12. pag. 77. quòd Canonibus Concilij Chalcedonensis acquiescere detrectaret. Sed quāti fecerit Canones Chalcedonenses, patet ex epistola 4. Simplicij, vbi Zenonem Imperatorem adhortatur, ne eiusdem Synodi decreta violari permitteret.

22 Gelasio impanationem in Euchāristia attribuunt libro scripto contra Eutychetem, & canon. *cōperimus*. de consec. dist. 3. non posse sumi vnam speciem absq; altera. Cent. lib. 5. cen, 4. c. 4. de cœna Dñi c. 10. quos sequuntur Vvitakerus, & Iunius. Sed author eius libri ad Eutychetem non est Gelasius Papa, sed vel Gennadius, aut Gelasius Cęsarçę Episcopus, de quo Hierony. lib. de script. Ecclesiasticis. Locus verò Gelasij in canon. *comperimus*, de sacrificante Sacerdote exponitur, qui vtramque speciem sumere tenetur.

23 Anastasium II. valde flagellant Nouatores, Centuriatores enim cent. 6. cap. 10. insimulant, quòd Acacio communicauerit, & nomen eiusdem in Dyphticis reposuerit, ac proinde fulmine ictus interierit, vnde Mornęus Acacianum non est veritus appellare, opp. 12. pag. 77. Sed Acacius antè Anastasium iampridem obierat (ex Euag. lib. 3. c. 18.) idemque Pontifex ad Anastasium Imperatorem scripsit, vt iubeat nomen Acacij taceri in Ecclesia, cum fuerit iustissimè à Felice III. prædecessore suo condemnatus. Eiusdem farinae est, mendacium communicationis Anastasij cū Photino. Sed esto communicarit, an Acacij errores approbauit? Fędissimè verò prolapsi sunt de morte Anastasii, nec enim Papa Anastasius, sed Imperator Anastasius fulmine percussus, sublatus est. vide Couar. 4. varia. resol. c. 13. Baron. & c.

24 Sym-

24 Symmachus, cum de errore Manichæorum falsò traduceretur ab Anastasio epist. contra eundem; ex depositi custodia mendacium retundit. *Roma*, ait, *mihi testis est, & scrinia testimonium perhibent, vtrum à fide catholica (quam in Sede B. Apostoli Petri veniens ex paganitate, suscepi) aliqua ex parte deuiauerim. Procedat aliquis, & qualibet ratione conuincat, alioquin conuitia ista sunt, non criminum probamenta.*

Vigilius insimulatur Eutychianorũ errorũ patronus à Centur. & à Mornęo progressu 18. pag. 92. ex promissione facta Theodorae Augustae, si Pontificalem Sedem obtineret; vnde Epistolam scripsisse referunt, ex Liberato, vbi Eutychianam haeresim confirmare videtur. Sed facilis est solutio, quod quamdiu vixit Syluerius, Vigilius fuit intrusus, quod ei exprobat Siluerius ep. 1. to. 2. Concil. & to. 1. epistolarum. Dicitur secundò, & melius, quòd illa epistola fuit conficta ab hæreticis. Vnde in 6. Synodo Act. 15. anathema dicitur libellis, qui dicuntur facti à Vigilio ad Iustinianũ, & Theodoram. Suppositiția quoque ea epistola, nam ibi Imperatores, Pontifex Vigilius, Patres, & Dominos vocat, cum filij solitum sit à Rom. Pontif. appellari. Liberatus verò non est mirum, si talem epistolam Vigilio affixerit. Falso enim rumori per hæreticos sparso, credere potuit. At detur, quòd fuerit Vigilij illa epistola ad Theodorã, vbi promittebat Anthimo ob hæresim deposito, suæ sedis restitutionem: pœnituisse eum constat, cum scripserit. *Absit hoc à me Domina Augusta, prius locutus sum malè, & insipienter, modò autem nullo modo tibi consentio, vt reuocem hominem hæreticum, & anathematizatum.* Et tentatus sæpius de eiusdem restitutione inuictum robur ostendit, & contra

Theodoram, & Acephalos, damnationis sententiam promulgauit. Videndi Gregorius lib. 2. indict. 10. cap. 36. ad Episcopos Hiberniae, &c. Paulus Diaconus in Iustiniano.

25 Horsmidae pag. 84. opposit. 15. illud attribuit Mornęus, religionem potius imperasse, quam contulisse, quando Constantinopolitanam legationem, Ennodio, Fortunato, & Vitali data illis fidei formula, iniunxit. Sed haec Mornæana, hoc est, temeraria impostura, nec enim aliam formulam legatis praescripsit, praeter acceptam à sacris Concilijs, & praedecessoribus, nec conferendum, vel consultandum amplius remanebat, cum aliàs definita seruari, traderetur.

26 Nec Magno Gregorio parcunt; nam & Danęus de graui errore notat Sanctum Pontificem, quod permiserit Presbyteris Sacramenti Confirmationis administrationem. Sed si distinxisset ordinarium ab extraordinario ministro huius Sacramenti, iampridem errorē exuisset, laruata ista Simia. Tumultuatur etiam Mornęus progress. 24. pag. 125. de Gregorio, & alijs successoribus, quod non ad Euangelij promulgationem, sed ad nugamenta propaganda cęremonias, & ritus induxerit, scilicet, altaria, cęreos. At nunquam ista Euangelio aduersantur, & haec iampridem in Ecclesia exercebantur, ex Hierony. epist. 17. & 18. ad Marcellam (quę omnia ad cultum Dei, & deuotionem, & mysticas etiam significationes, vt Patres tradunt) merito adhibebantur. vide Durantem de ritibus Ecclesiae.

27 Ad subsellia Geneuensia prouocatur Bonifacius V. quod Epistola ad Eduinum Regem Angliae scripserit, Filium Dei missum, vt nos ab originali peccato eriperet. Cui loco àddunt Centuriatores cent. 7. c. 10. col. 482.

482.voculam,*à ſolo*, ſed quod peccati originalis meminerit Papa,non excludit alia,conformiter ad Euangelium ; nam vbi legimus, *Ecce,qui tollit peccata mundi*,Gręci Codices,ad quae nos prouocāt, in ſingulari habent *peccatum mundi*, nempe originale, quod eſt fons,& origo omnium peccatorum. Siſtitur quoque idem Pontifex à Danęo,quòd voluerit Bonifacius tēpla Chriſtiana eſſę asyla furibus,& homicidis. Quaſi immunitas eccleſiaſtica multo ante non fuerit ante Bonifacium introducta, à temporibus videlicet Conſtantini,cuius meminerunt Nazian.oratione 20. Ambroſ.epi.33.Chryſoſt.to.5.S.Auguſt.epiſt.187. Concil.Tolet.11.can.10. Et Innoc. III. c.*inter alia*,de immun.ſtatuta Canonum,& Regum allegans: & in templi,& loci ſacri reuerentia rationabiliter fundatur.

28 Honorium verò I. Monothelitarum haereſi infectum Centuriatores clamant cent.7.c.10.& 11. col. 553.& 482. *vnam namque* (aiunt) *voluntatem Chriſti in Epiſtola aſſeruit,& eius memoria damnata eſt, atque proſcripta in 6. Synodo, & 8. & in epiſtola Agathonis.* Sed iam pridem Sanctus Maximus Martyr, Sanctum Pontificem ab haereſi Monothelitarum falsò iactata, vindicauit, in diſputatione cum Pyrrho. De humana tantum natura Honorius loquebatur, vnam in eodem homine Chriſto ponens voluntatem, ad confutandū aduerſarios,qui duas, contrariaſq; voluntates humanas in eodem homine Chriſto aſſerebant. Vetuit etiā ne vnam,vèl duas dicerent in Chriſto voluntates, ne vel Euthychetis,vel Neſtorij impietati anſā debacchādi miniſtrarent,& pro pacis bono ſilentium huiuſmodi indictum eſt quantum ad voces, cęterum re ipſa vnum ſuppoſitum,cum duabus naturis (in quibus in-

cludebantur duae operationes) apertè confitendas mandauit. Adulterata autem verba Honorij ab aduersarijs (qui hunc errorem ex dicta occasione Honorio affixerunt) patet, ex ordinario Græcorum stylo, nam in eadē 6. Synodo Act. 12. & 14. plurimae corruptiones factae in 5. Synodo deprehensae sunt, & act. 3. eiusdem 6. Synodi in Vigilij scriptis, ijsdem Monothelitis reperientibus, & obijcientibus, *cum vna persona Christi* istud additamentum, *& vnam operationem*. Nonne in eadem 6. Synodo pro Honorio legati Synodi decertassent, si illud obiectum esset Honorio, vt fecerunt pro Vigilio? Imò & Agatho in epistola, quae lecta fuit Act. 4. apertissimè nullum ex suorum Praedecessorum à recta fide deuiasse luculenter ostendit; ibidemque Monothelitarum Duces, Cyrum, Sergium, &c. nulla Honorij facta mentione, condemnat. Sed cōcedatur aduersariis Honorii impostura: litterę illae, vt dicit Torrensis, qui errorem in Honorio fatetur) priuatae fuerunt, non de cathedra, vel maturo fratrum consilio iudicialiter transmissae. Personalis ergo fuisset error, non iudicialis, nullo modo cathedrae Petri, nec fideli custodiae depositi repugnans, ita Turrecr. 2. de Ecclef. cap. 93. Satis fila calumniarum struxerunt, nec opus erat veridicae probationis aranearum tela.

29 Sanctum Martinum primum sugillant Cent. 7. col. 486. quod dixerit non esse dandam veniam iis, qui post ordinationem laberentur. Sed inglomerabilia glomerant mendacia. Numquam lapsis Martinus veniam denegauit: lapsos ad sacras functiones ordinum exercendas restitui noluit. *Superbum* quoque Mornęus opp. 23. pag. 121. *& audacem Ecclesiastica libertatis oppressorem vocat*. Sed quid mirum, si Pauli Episcopi

Con-

Constantinopolitani Martini aduersarii, & calumniatoris vestigia sequitur, cui in haeresi, & schismate, odio in Summos Pontifices per omnia Mornæus similis. Audax ne & superbus, quia Sanctus Papa iura sua tuetur, & in omnes Ecclesias iurisdictionem exercet? si eum non vult vt Sanctum, & Martyrem venerari cum Ecclesia Latina, saltem cum Græca recipiat, quae ex Gennadio 13. Martii tantum Pontificem digna memoria, veneratur, & colit.

30 Diuortium concessisse infirmitatis causa Gregoriū III. rursumque ordinatos reconsecrasse Cent. 7. c. 690. opponunt. Si hoc vt malum, vt reuera malum est, reprehendunt quinti euangelij, & libertatis assertores, & vindices, Mahometani spiritus haeredes; imò iudaicae salacitatis aemuli, repudium permittentes, cur à Polygamia non abhorrent? Sed non repudia concessit Gregorius, non reordinationes, sed matrimonium illud annullat ex impotentia perpetua naturali praecedente, & postmodum cognita. Reordinari quoque voluit, quae ab illegitimis ministris potestate carentibus initiati essent. Verè parietem impietatis suae luto mendacii liniunt.

31 Stephano imponunt rursus Centuriatores Regna mundi per fas, & nefas Romanae Sedi acquirere licere. Mendacium, vt rectè contra eos, & Mornæum aduertit Coquetius in Antimorn. pag. 382. Nonne Pontifex iniustè ab Arnulpho vexatus, iustā aduersus eum causam habuit à Pipino Francorum Rege auxilium implorandi? Nonne iustè Pipinus Exarchatum, & Pentapolim, debellatis hostibus B. Petro, & successoribus ex sua deuotione obtulit? ergo ne iniustè possident, iusto titulo delatas sibi ditiones? an oculus eorum ne-

quam

quam, quia pius, & deuotus Pipinus? quantò modestiùs Anastasius Bibliot.tantò veriùs dixit de Stephano, quòd erat *traditionem ecclesiasticam conseruans*, &c.

32 Ab Adriano Primo damnatam imponunt septimã Synodum, quæ & Nicęna 2.vbi tractatum, & definitũ est pro sacris imaginibus. Astiterunt autem in ea Synodo Francfordiensi Legati Adriani Papæ, ait Mornæus opp.28.pag.182.Sed deceptus est Mornay: nam & si praesentes fuerũt Legati, in ea Synodo, loco Adriani, non consenserint, vt fatẽtur etiã Centuriatores 8.c.9. col.639.& Papa nedũ approbauit, sed expresse reprobauit Francfordiense decretũ, vt patet ex lib.Adriani de imaginibus ad Carolum. Aliud autẽ quoq; est aliquid damnatum esse in Concilio, aliud per Cõcilium: primum factum exprimitur, secundum cum facto interuenire debet authoritas, quæ hic desideratur. Illud etiam dici potest, neque ex intentione, & formaliter Francofordiensem Synodum damnasse vniuersalẽ Synodum, sed materialiter deceptã in quęstione facti, ex impostura, librorum Carolinorum, mentientium decretum illud Nicęnum fuisse factum à Græcis Romano Pontifice inconsulto: & ibidem statutum imagines Sanctorum adorandas cultu latriæ, vnde Synodus illa non formaliter, sed materialiter errauit, nec mirũ, quia Legati etiam dissenserunt, vt dictum est.

33 Nicolaus quoque Papa submordetur à muribus Aquilonaribus, quòd definierit baptismum in solo Christi nomine collatum esse validum. Nunquam hoc Pontifex definiuit, sed sententiam multorum Pontif. asseruit, Ambrosij primo de Spiritu sancto, c.3. Bern. ep.240.&c.Nec è cathedra pronunciauit, hãc dissol-

uendo

uendo quæſtionem: definiuit tantum baptiſmum legitimè datum, etiam à Iudęo, vel Gentili, rectè adminiſtratum. Imponunt quoque eidem Centuriatores, quod contra Dei inſtitutionem diuortia approbauit, Lotharij, & Thiehtbergae, matrimonium diſſoluens. Sed contrarium apparet ex c.27.q. 2. c. 26. nūquā enim aſſentiri voluit Summus Pontifex ſolutioni connubij, ſed ſolum poſſe fieri ſeparationem quoad thorum, & cohabitationem, diuini amoris intuitu, mutuo conſenſu, docuit. Legatur ep.50. ad Carolum Regem, & ep.11. ad Lotharium Regem. vide Coquęum in Antimornęo p.440. eoſdem impetentem.

34 Ioannes VIII. traducitur à Mornęo, quòd dixerit, Martyres eſſe, qui ſtipendijs ipſius militātes, in bello caderent. Numquam id Pontifex docuit: nam & ſi pro fide occumbant militantes pro fide, non habentur ab Eccleſia vt martyres; vndè & pro eis orat, nec eorum reliquias veneratur. Solùm conſultus Pontifex an conſequerentur veniam peccatorum huiuſmodi cadentes, ſtatum Chriſtianorum tuendo, reſpondet, quod *requiem æternæ vitæ ſuſcipient, contra Paganos, atque infideles ſtrenuè dimicantes.* Photium quoq; à praedeceſſoribus damnatum, reſtitutum à Io.8. conqueritur Mornæus: ſed non praeiudicat animi imbecillitas Pontificiae dignitati, vnde propter hoc exiſtimat Baronius emanaſſe fabulam, quòd hic Papa fuerit fœmina, contumeliae enim loco (quod tamen modeſti Eccleſiae filij quidam, ſubticere debebant) mulier dicta eſt, quòd cum eſſet Ioannes vir, à ſemiuiro Eunucho victus ſit, ad reſtituendum Photium, cum tamen multa ſint, quae Pontificem ad id faciendum impulerint, nempè Græcorum potentia in Italia, promiſſio

Im-

Imperatoris Basilij, de liberanda Italia, bonum pacis, & vnionis Ecclesiarum. Numquam autem damnata est à Ioanne Papa VIII. Synodus celebrata sub Adriano; litterae enim illae in Photiana Synodo productae sub nomine Ioannis Papae falsatae sunt, authoritatē Photii, vt procedente tempore apud Schismaticos haberent auctoritatem.

35 Stephanus VI. à Magdeburgensibus 9. c. 10. col. 511. pungitur, quòd decretis hominum conscientias obligarit, & Romanae Ecclesiae decreta, ab omnibus necessariò obseruanda primus decreuerit, dist. 19. *Enimuerò*, quos secutus Mornæus, ijsdem penè verbis subscripsit progressu 37. pag. 198. dicens, tale statutum superbiam redolere. Sed quid mirum si velint esse isti nebulones onagri liberi, & vinculis suauissimis Ecclesiae non alligari, vt illis non coerciti ad omnem impietatem praecipites ferantur? Sed non primus fuit Stephanus, qui sanctiones eiusmodi condidit, nam Agatho, Nicolaus, & alii Pontifices venerabiliter ab omnibus, suscipienda decreta Apostolicae Sedis pronunciarunt. Legantur alia Cap. eiusdem dist. 19.

36 Stephanus VIII. aculeato perstringitur stylo, quod cadauer Formosi praedecessoris mutilarit, & in frustra concisum in Tyberim proiecerit, & ordinatos à Formoso reordinari praeceperit. Addit Vvitakerus à Stephano, & Sergio adiudicatum esse Formosum hæreticum, & hæretico peiorem. Sed non fuit Stephani error in fide, sed violentia in facto, quae non fidem Christi euacuauit, sed firmauit, dum assistentiam in non errando, non in factis, sed in doctrina promissam, adimpletam videmus. Inexaturabile quoque odium fuit, vt qui Formoso adhæsissent, & ab eo ordinati, iterum

ordi-

ordinarentur. At nec decreto iudiciali debere ordinari, id statutum est, sed ex violenta passione, de facto, & non de iure procedente. Numquam autem possunt ostendere decretum, aut aliquod autographum, quo à Stephano Formosus sit hæreticus adiudicatus, quare mendacibus, vt mordacibus verbis, in opp. 39. pag. 200. perstringitur immeritò Stephanus à Mornęo, quòd haeresis Stephani, *imo Romanæ*, ait, *Synodi, non exigui momenti fuerit, eum Formosum, nec esse potuisse, nec esse Pontificem decernunt*. Sed non desunt qui fabulam existiment, quae in cadauer Formosi patrata sunt, ex Panuinio. Etiam Sanderus lib. 7. visibilis Monarchiae nu. 678. non legitimam Synodũ in Formosum congregatam scripsit.

37 Sergius III. eadem censura, qua Stephanus perstringitur, quia enim Ioannes IX. eius prædecessor, Stephani acta irritauit, & gesta contra Formosum; in Ioannem, & Formosum Nouator inuehitur. Et ex hoc facto in progres. 37. pag. 207. causam debacchandi assumens Mornęus dicit de Pontificibus, quòd, *Pia illis omnis impietas, & vitium, cum iam ab ipsis sola vtilitate definiantur*. Sed immeritò, nec enim Catholica fides vitia cum pietate, peccatum cum potestate confundit, imò talia facta si vera sunt, detestatur Ecclesia, potestatem reueretur, vnde etiam Ioan. IX. Stephanum praedecessorem, sibi tamen infensum, piae recordationis virum appellat, ex Baron. anno 404. nu. 4. Diuino autem iudicio haec permissa sunt, vt discernamus quid ex potestate Pontificum proueniat, quid ex humanitate, & fragilitate descendat. Magis Ecclesia certè tunc ostenditur, non esse humanum figmentum,

quan-

quando moribus iniquis, vt immobile persistit fundamentum. Nec mirum, si tunc Ecclesia tales sortita est luctuosissimos Prędidentes, quia Tusculanorum Principum ambitu, & potentia in cathedram Petri ascendebant. Sed esto monstra talia in Sede Apostolica sedissent (sic per ludibrium ea vocat Spalatensis 4. de Repub. cap. 7. nu. 34.) Angelis, nedum hominibus ex maiestate, & potestate reuerenda fuissent, non traducenda, & infamanda, vt faciunt, haeretici fęces, & folles, & alimenta gehennæ.

38 Sed & totius Orbis thęatro illudendum exponunt Centuriatores Io. XIII. vel XIV. Sydera cœli, & terrã aduocat Danęus ad spectandum immane sacrilegium; quid? Ioannes cępit baptizare campanas. Non distinguunt lusci isti, syllabarum aucupes, & vocum censores proprium ab impropriè dicto baptismate. Non dixit Pontifex iste, baptizari campanas baptismate, quo peccata lauantur, sed quod lauantur, & vnguntur in signum dedicationis Diuino cultui. Quae formula nec tunc primò à Ioanne incępit, sed antiquior inuenitur, cum sit in antiquissimo Ordine Romano descripta. Non mirum, si bellum campanis inducunt hæretici, nam Saracenis, & Turcis familiare est campanas frangere, earumq; vsum ablegare. si nomen displicet baptismatis, displiceat phrasis Dominica, cũ dixit *Baptismo habeo baptizari, &c.*

39 Syluestrum II. Magiæ deditum diffamant Centuriatores. 10. c. 10. p. 548. Necromantiae ope viam sibi fecisse ad Pontificatum scribit Mornęus p. 224. prog. 40. addens, in tempore isto effęminato malis artibus intento, illud impletum: *Sicut populus, sic & Sacerdos.* pag. 226. Sed hęc fabella à Bernone schismatico conficta

ficta est (teste Pãuinio) & occasionem ministrauit Syluestri eruditio, Mathematicis enim scientijs, & Arithmetica instructus erat, vnde praestigijs, à bardis illius seculi hominibus, deditus putabatur. Quamuis autem (Syluester primo vocatus Gerebertus) ante Pontificatum, Pontificatui esset infensus, ad Pontificatum assumptus, iura Ecclesiae, & depositum accerrimè defendit; vnde meritò non vt Magus, vel impius (vt blaterant hęretici) sed tamquam sapiens, & pius, à Sergio quarto viro Sancto, sit meritò laudatus, & commendatus.

40 Benedictum VIII. & IX. Ioannem XXI. Syluestrũ III. Gregorium VI. *Vna fidelia dealbandos, omnes Magiæ crimine deditos*, pronunciat Morn. pag. 226. At non omnes atro lapillo notandi sunt. Verum est, quod inter hos Benedictus IX. impuber Tusculani Comitis filius indigna perpatrauit; tamen vita sua pessima resipiscens Pontificatui cessit, & priuatam vitam egisse testantur Leo Hostiensis 2. Chron. Cassin. cap. 80. & author vitae S. Bartholomęi Abbatis Cryptae Ferratae, & si eiusdem sedis inuasor, postea habitus sit, dimissam repetendo cathedram, quare vt intrusus habẽdus est. Benedictum verò VIII. praeclara facinora egisse ostendit Annalium conditor ad annum 1024. Syluester vero III. cum in locum viuẽtis creatus fuerit, pro non Põtifice habitus est. Gregorius vero VI. à Glabero eiusdẽ tẽporis scriptore hoc titulo cohonestatur. *Post Benedictum IX. consensu totius populi Romani eiectum, loco eius subrogatus est, vir Religiosissimus, ac sanctitate perspicuus Gregorius, natione Romanus, cuius bona fama quicquid prior fędeuerat in melius reformauit*. Vbi Magia à Mornęo opposita? Sed quid opus

opus est Aethiopem dealbare, hoc est, mendacem conari, vt vera fateatur. Ioannes vero XX. aliàs XXI. primo ferale monstrū habitum ex intrusione, sed facta abdicatione denuò electus, legitimus Pontifex agnitus est. vide Baron. sup. cit.

41 Gregorium VII. adoriuntur, eundemque Necromanticum, & nedum simoniae labe pollutum, sed etiā hæreticum vocant Centuriat. 11. Cent. 10. col. 535. & Tilman. Heshus. lib. 1. cap. 9. de Ecclesia, & alij, & in specie Berengarij hæresim defendisse impij mentiuntur. Sed hæc maxima laus est (vt scripsit in simili Sanctus Hieronymus de Augustino) quòd *hæretici tantum virum insectati sint, & quem gladijs nequiuerunt, voto interfecerunt*. Iam pridem à Bennone Pseudocardinali ab Henrico Quarto (à quibus veluti aspides à rubeta, venenum mutuati Magdeburg. & alij eiusdem farinae homines) hęc crimina obiecta, sed meritò à talibus calumnijs orthodoxi eum liberauerunt, & quidem in Simoniaca labe Sanctus Anselmus Episcopus Lucensis, de alijs obiectis ab Henrico suam innocentiam, populo præsente, Gregorius ipse demonstrauit. Porrò tantum abest, vt Berengarianam hęresim defenderit, vt idem Pontifex, cum esset Archidiaconus, Romanae Sedis sub Leone in Concil. Turonensi, Berengarium conuicerit, & vt Legatus Apostolicae Sedis, damnauerit (ex Guitmundo 3. de Eucharistia) & Romæ iterum anathematis mucrone Pontifex factus, eandem hæresim transfoderit, ex Vvaldens. 2. de sacr. cap. 43. Meræ ergo impiorum imposturæ, & calumniae.

42 Paschali II. hęresim quidam impij calumniosè olim impegerunt, eò quod Henrico IV. (dicebant) inuestituras Ecclesiasticorum concessisset: sed quod per

vim

vim extorserat Henricus Imperator, postmodum (ex Othone Phrisingensi) Synodo congregata tale priuilegium reuocauit. Et longè interest ex Sandero 7. de visibili Monarchia, inter facta huiusmodi, & decreta Pontificum. Malè fecit Marcellinus (si verum est) thurificando malè Liberius Athanasium damnando; sed fidem Christi non euacuarunt: nunquam enim decreta præiudicialia contra cathedram ediderunt, sic & Paschalis, malè fecit etiam iurando, inuestituras promittere, vt se redimeret, at nunquam id, vt licitum stabiliuit, atque decreuit, imò potius illud priuilegium extortum, tanquam contrarium canonicis sanctionibus intrepidè est reuocatum. lege nostrum doctissimum annalium ecclesiasticorum descriptorem P.F. Abrahamum Bzouium Magistrum in lib. Roman. Pontif. p. 328. c. 26.

43 Accusatur Alexander Tertius, quòd in c. *cum esset, de testamen.* determinauerit, tres testes sufficere in testamentis, & iuris sanctionem vocat, alienam à Dei, & Ecclesiae sanctionibus. Verum non alienam, aut quasi aduersam iuri Diuino, & Ecclesiastico vocauit Alex. ciuilem legem; sed, non eidem conformem, cum non septenarius numerus, sed duorum, vel trium testium sufficiat. in c. negotijs, ob quod allegat etiam diuinam scripturam: *In ore duorum vel trium stet omne verbum.* Quod si potuit Imperator augere testiū num. vsq; ad septenarium, cur non potuit conformiter ad Diuinas leges, pro ditione Ecclesiastica saltem, vel pro tota Ecclesia, quantum attinet ad pias caussas, Alex. restringere? Vnde non est nisi ciuilis legis abrogatio, facta per Pontificem, & sanctum decretum existimandum, in quo, etiam si in ratione reddenda (nempè quòd nō

O sit

fit conformis ſanctio Imperatoris diuinæ legi,&c.) erratum eſſet,non infirmatur fides, cum rationes decretorum,Pontifices,non,vt credendas, proponant. Alterum verò,quod obijcitur,eſt, matrimonium per verba de præſenti contractum, ſi non ſit conſummatum, non poſſe diſſolui per Rom.Pontificem,etiam ſi quidã prędeceſſores aliter iudicauerint.c.*licet*. de ſpõſa duorum. Si Alexander id definiſſet,obiectio militaret.Nũc vero cum nihil Alexander credendum pręſcribat; ſed ſuam ſententiam explicet, nullum eſt in tali Canone definitionis veſtigium. Coaxent ranae Vvitakerus, & Iunius,& dicant eſſe has tergiuerſationes, cum Alex. dixerit *à prædeceſſoribus aliter ſit iudicatum*. Nec.n. illa particula:*iudicatum*, definitionis notam importat, ſed facti,& propriæ opinionis,non è cathedra determinationis ſententiam. *Statuam colare faucibus conantur*,ex veteri Prouerbio,Pontificiam Maieſtatem præpotentem, iniuſtè conantes opprimere.

44 Sed en altera nauigatio, inter quos non impiger, ſed fruſtra,remos,& vela adaptat Vvitakerus. *Cæleſtinus*,ait,*huius nominis III*. docuit matrimonium poſſe diſſolui,ex glo.c.quanto de diuortiis, quod tamen ab Innoc. 3. in dicto cap.& in Trid. Concil. damnatum eſt. Sed non quidquid in decretalibus poſitum eſt,id ad documenta fidei pertinet: ſępe enim conſulti Pontifices, quæſtionibus reſpondebant, ſua placita, vel DD. afferendo,non definiendo: vnde ſi errauit Cęleſtinus in ſententia,materialis error fuit, non formalis, quare numquam probatur intectum, depoſitum iudicialiter à Pontificibus per prauam doctrinam pertinaciter defenſam,vel eſſe perturbatum,vel adulteratum, ſed nauem calumniarum plenam nec remige, vel

vento

vento possunt impellere.

45 Iudaizantem faciunt Innocentium III.(quibus admiscetur Vuitakerus) quia in cap. *per venerabilem, qui sint filij legitimi*, legem veterem nondum abrogatam esse docuit. Sed non litteraliter, verum mysticè, & figuraliter in suo tamen figurato, idest, in lege noua veterem legem seruari docuit, typus enim quodammodo seruari videtur, cum id quod per typum repræsentatur, obseruari videmus. Voluit etiam significare Deuteronomium, ex vi verbi, secundam legem appellatum, quod in figura plurima contineret, quæ in Euãgelio perficiuntur. Vnde & in hunc sensum Christus Dominus dixit, quod non venit *soluere legem, sed adimplere*. Viget autem lex illa, non in se; sed in suis significatis. *Paternas vellent isti canere cantiones*, vt est in Prouerbio, si Iudaismum possent introducere, cum Lutherus, & Caluinus omnia legalia, nũc seruari posse salua Religione, atque conscientia dogmatizarint, & multi Luthericolae circumcisionem ambierunt. Propterea pallium quærunt in nostris, quo obtegantur; sed frustra laborant.

46 Impetunt vno impetu in Nicolaum IV. & Ioannẽ XXII. contra paupertatem Christi Domini, & Apostolorũ, contrarias constitutiones, vt aiunt, edentes, inter quos, Vvitakerus, & Sutliuius suam quoque occinunt cantiunculam. At nullo modo inter se sunt contrariae dictorum Pontificum constitutiones: Ioannes enim definit esse hæreticum docere Christum Iesum nihil habuisse nec in communi, nec in particulari. Nicolaus exquisitissimam paupertatem docuit, habuisse Christum Dominum, vt ex stipe collatitia vitam pauperrimam transigeret. Sed conciliantur isti Pontifices,

quod Christus interdum verbo, & exemplo rigidissimam illam paupertatem docuerit, quandoque autem minus rigidam exemplo monstrauit, loculos enim habebat Apostolorum Collegium. Primum docuit Nicolaus. Secundum de fide Ioannes pronunciauit. In alia autem quæstione, an possit vsus à dominio in rebus vsu consumptibilibus separari, tanquam de re non spectante ad fidem, affirmauit vnus, negauit alter. Quamquam non desint DD. qui hos duos Pontifices in concordiam redigant. Vide Turrecrem. in summa de Eccles. lib. 2. c. 112. ad vltimum.

47 Funestius traducitur Io. 22. à Caluino 4. inst. c. 7. §. 28. quòd docuerit, ait, animam humanam esse mortalem. Accusatur rursus, quod docuerit iustorum animas nō videre Deum, nisi post iudicium. Ita Okam in opere 93. dierum, quem sequitur Mornęus pag. 442. progress. 17. dicens: *Per Minoritam vnum, Dominicanum alterum, Lutetiam missos à Papa, qui hanc opinionem de sugestu docerent, & Sorbonam ad eam opinionem approbandam, cohortarentur*, & Vvitakerus superinducit Ioānis opinionem, damnatam sono buccinarum, & tubarum, coram Philippo Rege, per Theologos Parisienses; sed dolis nati manducones isti, & angulares bombyces de suo cerebro hæc confingunt. Fuit in ea sententia tanquam priuatus Doctor Ioannes, quem amicè quoque, & beneuolè Philippus admonebat, vt ab illis opinionibus caueret, nunquam tamen eam definiuit vt Pontifex, vt etiam scripsit Ioannes Villanus lib. 10. c. 230. eius ætatis scriptor, quinimo curabat, vt Prælati, & Theologi deliberatè dicerent, quid in ea re sentirēt (ad definitionem enim se accingebat) vnde idem Villanus 11. hist. c. 19. refert, pridie quam è vita migraret,

graret, opinionem reuocasse, protestans, nullam habuisse fidem, quam totius Ecclesiae sententiam, nec aliud curasse, quàm vtrinque quęstio agitaretur, vt sopiri, & terminari posset, quae postea à successore terminata, & definita est, nempè à Benedicto 12. & demum in Cócilio Florentino. Vnde nedum criminatores aduersarij deprehenduntur, sed etiam hęretici, cũ impositam falsò Ioanni sententiam falsam, & hęreticam, Caluinus postea expresse docuerit 4. inst. c. 25. §. 6. contra Ecclesiæ definitiones. *O canes, quos Apostolus foras expellit, latrantes in Deum veritatis.* (dicam cũ Tertulliano lib. 2. contra Marcio. c. 5.) dum infallibiliter à Deo assistentiam promissam definitiuae sententiae Pontificum, eludere contenditis: *hæc sunt argumentationes*, verius calumniarum *ossa, quæ roditis.*

48 Ioannes quoque XXIII. producitur, quòd duos symbolicos articulos negauerit, *carnis resurrectionẽ, & vitam æternam*, & de hoc in publico Orbis theatro in Concilio Constantiensi fuisse conuictum. Fuerunt Ioanni alia multa crimina, vt hæc etiam obiecta, at nunquam probata fuit dictorum articulorum abnegatio, solus rumor vulgi de dissoluta vita Ioannis aures multorum occuparat. Vnde in sess. 12. recitatur diffinitiua sententia depositionis Ioannis, nulla hęresis (quæ potissima ratio fuisset depositionis) mentione facta. Sed errarit: nullum præiudicium afferret veritati catholicæ, quando eo tempore non constabat de legitimo eius Pontificatu, cum alij duo cum ipso, Benedictus XIII. & Gregorius XII. se Pontifices assererent, Ecclesiam schismate crudeli diuexante.

49 Innocentius VIII. insimulatur, quod Nortuuergis concesserit, vt sine vino sacrificium conficerent. Sed

Volaterrani hęc est fictio, nec enim in vllo diplomate, nec alio authentico scriptore tàm grauis, tàm insignis mutationis vestigium reperitur. Sed ea admissa, concessio facti fuit, non legis, vel dogmatis pręscriptum.

50 Tandem Leo X. à tenebricosis ministellis Luthericolis infamatur, quod animam mortalem docuerit, vitamque futuram abnegauerit, & totam Christianam Religionem pro fabula habuerit: sed istorum nebulonum mendacium, ea facilitate refellitur, qua asseritur & pura Pontificis fides, ex Lutheranorum damnatione, & proscriptione per Leonem facta satis elucet. Nũquam ergo probare poterunt inuersum depositum à Pontificibus nostris, nisi (vt scripsit Athanasius in oratione prima contra Arianos) *In falsitate sibi consentiant, & copulentur, vt faciunt, neque id mirum, cum vnum habeant auctorem, qui ipsis cuilibet mendacia seminet: vnde* (vt idem dicit) *quęcumque scribunt, non vera veritatis scribunt, sed luxi causa ad imposturam hominum.*

51 In custodia autem sui depositi à prioribus hęreticis per manus accepti Nouatores ipsi (vt demonstrauimus) nũquam fidi deprehensi sunt, quotidie dogmata sui depositi plumbei variantes, truncantes, castrantes, vt in confess. Augustana millies variata libet inspicere. Vnde idem Athanasius scitè pronunciauit, *Neque vel ita in suis decretis acquiescunt; & quotannis conueniunt fœdi, & ridiculi, cum scripta eorum non modo ab alijs, sed etiã ab ipsismet explodantur* (vt ostendunt Coccius, & Barlcius) *& cum insidijs student, se simulant de fide scribere, & dum videntur manus lauare cum Pilato, maiores errores confingunt, & docent, & suam incertam fidem demonstrant, vel potius certam*

tam

tam infidelitatem, dementiamque ostendunt. Quis eos scribentes iure non auuersetur? Quis non damnauerit eorum audaciam? Hæc ille; nedum præsentes Arianos confodiens, sed futuros Nouatores horum temporum prænuncians, & antequam orirentur, transfigens.

CAPVT XV.

Numquam Romani Pontifices nouos articulos fidei condunt, vel noua dogmata cudunt, sed quæ in deposito continentur consignant, & sua authoritate obsignant.

1 VT impunitatẽ suæ apostasię coloret Spalat.c.7.pag.16.sui Consilij imponit Rom. Ecclef. quod *nouos articulos obtrudat, qui manifestam*, ait, *in se continent falsitatem, & ad necem persequatur, qui contra mutire audeãt.* pag.ead. ait, *ad fidei articulos Romæ reducuntur, quorũ nullam habuimus à Christo institutionem, quibusq; insuper animæ fidelium miserè decipiuntur, & consequenter cæci, simul cum cæcis ducto-*

ribus in barathrum perditionis ruunt,& præcipitantur. Hæc impius.

2 Agnoſcit autem Eccleſia Catholica Chriſtum Dominum fidei noſtrae authorem, Paulo dicente. *Aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum.* Heb. 12. *Vnigenitus ſiquidem*, qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit, Ioannis 1. *Chriſto namque* (ait Tertullian. de reſurr. carnis cap. 1.) *ſeruabantur omnia retro occulta nudare, dubitata dirigere, prælibata ſupplere, prędicata reprę ſentare*, &, vt vnico verbo concludam, quæ à Patre acceperat, nota facere Apoſtolis, quos non vt ſeruos, ſed vt amicos adlegabat: Vnde & ipſi fuerunt (vt Lucas ait in procem.) *Miniſtri ſermonis*, qui Eccleſiae eandem fidem, & diſciplinam, Domini mandato conſignarunt. Quare ſicut eadem Eccleſia Apoſtolos, miniſtros prędicat, ita ſe cum illis fidelem cuſtodem profitetur.

3 Fons ergo ſapientiae, & reuelatae fidei eſt Verbum Dei: riui & fontes, atque canales Apoſtoli, concha vbi congregatae ſunt aquae, Eccleſia, vt eadem aquae identitas limpidiſſima aſſeruetur in ea, quam Chriſtus docuit, & per Apoſtolos accepit.

4 Quamuis autem Eccleſia ſit miniſtra obiecti fidei; ab Apoſtolorum miniſterio longè ſecernitur: ſiquidē illi electi ſunt teſtes oculares, dicente Ioanne 1. ep. c. 1. *Quod vidimus, quod audiuimus, quod manus noſtræ contrectauerunt*, &c. *hoc annunciamus vobis*. Plura etiā myſteria agnouerūt, pleniùs inſtructi, primitias Spiritus habentes, familiari, & immediata Spiritus ſancti reuelatione vtentes, qua euangelia, epiſtolas canonicas, atque catholicas conſcripſerunt: ad cuius Apoſtolicae quoque plenitudinem poteſtatis, quacunque illis

oblata

oblata occasione,& ex tempore, prout à Spiritu sancto mouebantur, de quocunque dogmate loqui potuissent,quācunque controuersiam de fidei rebus decidendo,vt nec in conclusione,nec in medijs vnquam hallucinari potuissent.Decens quippe erat, vt qui nationum Doctores adlegabantur,pleniùs deducerentur in omnem veritatem, quae ad fundationem Ecclesiarum necessaria erat: & ad perfectionem nouae legis, in cuius statu multa de nouo reuelata, vinum nouum non in veteres,sed in nouos vtres immissum. Ecclesiae vero Pastores, quibus Patres omnem doctrinam consignarunt,& si diuinis charismatibus,infrà Apostolos, repleta,ijsdem Apostolis tanquam testibus à Deo prędordinatis,& de visu,aures accomodare debebant,idq; solum annunciare,quod accepissent; proinde non nouos articulos condere poterant, sed solum consignatos,nihilque pręter sibi concredita tradere debebant. Cum enim sub fide non cadat,nisi quod à Deo est reuelatum;quid vero reuelatum sit, non nisi per Apostolos,qui prædicarunt, quibus reuelatio facta est ad ipsam transmissum sit, consequens est, vt auditus in visum referatur,vt certi simus illud met, quod ex auditu Apostolorum percepit Ecclesia, ab ijsdem esse prædicatum,& diuina reuelatione susceptum.

5 Si ergo noua dogmata Ecclesia cuderet (vt traducunt Nouatores) præterquam quod ministerij sui fines transgrederetur,illud proponeret, quod ad Apostolicum censum referri nequiret, nec ad Christum Dominum fidei,& reuelationis authorem. Necesse igitur est,quod cum controuersum aliquod terminādum occurrit,vt illud *ad Dei regulas dirigatur* (vt in simile discurrebat Tertullianus lib.de anima c.1. Plaissi-

nissimum vero est, nullum authorem reuelatae fidei nisi Christum, nullos legatos Christi nisi Apostolos ab Ecclesia agnosci, ab his ergo Ecclesia edocenda erat circa credenda dicente Propheta Esai. 14. *Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino*, nempè Apostolorum magisterio, & ministerio. A quo ergo alio reuelationē expectare debebat Ecclesia, nisi à Deo per Apostolos sermonis administros? *Quis* (ait Tertull. supr.) *reuelabit quod Deus texit? Vnde sciscitandum est? vnde & ignorare tutissimum est. Praestat per Deum, nescire quod non reuelauerit; quàm per hominem scire, quia ipse praesumpserit.* Quod si nouos articulos crederet Ecclesia, quae non reuelasset Deus proponeret, nec esset antiquae, & traditae fidei promulgatio, & obsignatio, sed nouellae adinuentionis praesumptio.

6 Errasset proculdubio Isaias in limine, si non ex Sion, sed ex Lycęo, vel Athenis, Gręcis, vel Latinis, diuina doctrina iterum prodire debebat: & tamen clamat c. 3. *De Sion exibit Lex, & verbum eius de Hierusalem.* Cumque Ecclesia eadem dogmata praedicet, non recentia, sed vetera praedicare fatendum est, alioquin recentium dogmatum praedicationem extraordinaria missione, & peculiari legatione (quam probare teneretur) obsignare necesse esset: & consequenter dicendum esset, non successisse Apostolis, Apostolicos, sed post 12. Apostolos, alios Apostolos adlegatos, cum cōdendi nouos articulos facultate, & potestate. Quod si id adstruatur, dicere necesse est, *Iterum Christum descendisse, iterum ipsum docuisse, iterum crucifixum, iterum resuscitatum; sic enim Apostolos solet facere.* Ex Tertull. de praescrip. c. 33. Quae omnia cum Oeconomiam Christi Domini irritam, & inanem efficiant,

per-

peruersè ab impijs de tali, articulos nouos condendi, infamatur poteſtate. Apoſtolica ferula cum Corinthijs Eccleſia emendaretur, ſi articulorum nouorum autorem ſe faceret, reprehendente Apoſtolo Corinthios. 1.Cor.4. *An à vobis proceſſit verbum Dei, & in vobis ſolis permanſit?* Nec enim illi fontes erant reuelatae doctrinae, ſed tramites. Non ſunt rurſus reclamante Paulo Heb.3. iacienda *fundamēta doctrinæ.* Et iterum. *fundamentum enim nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus:* 1.Cor.3. Fundamentum inquam primarium, ſunt enim Apoſtoli ſecundarium, ſuper quos ſuperędificandum docet Apoſtolus, *Superædificati ſuper fundamentū Apoſtolorum, & Prophetarum; ipſo ſummo angulari lapode Chriſto Ieſu.* Eph.2.

7 Snper Petrum ædificauit Chriſtus Eccleſiam, & ſuper eiuſdem fidei confeſſionem, quàm in perſona totius Eccleſiae profeſſus eſt, propter quam claues promeruit, & vt eadem fidei confeſſio cum poteſtate eadem ad ſucceſſores tranſmitteretur. Cur igitur quando fidei plenitudo Petro reuelata eſt, nouorum articulorum, quos de nouo (vt fingunt) ſucceſſores condere debebant, eidem Pater cœleſtis nō manifeſtauit? *Inuidit credo* (dicamus cum S.Hilario de Trin. lib. 6. *huic Petro Deus, vt in tempora poſteriora diſſimulans, hæc nunc nobis,* nouis prædicatoribus, reſeruaret. Certò impoſſibile eſt, vt de nouo reuelentur, & condantur à ſucceſſoribus fidei articuli, vt blaterant Hæretici, cum de nouo claues, & Apoſtolatū Eccleſia non recepit. *Sit* (diſcurrit idem Hil.) *fides alia, ſi alia claues regni cœlorum ſunt: ſit & fides alia, ſi Eccleſia alia eſt futura, aduerſum quam portæ inferi non praualebunt: ſit fides*

des alia, si alius erit Apostolatus, ligata, & soluta per se in terra ligans in cœlo, atq; soluens: si fides alia, si Christus Filius Dei alius, præterquã qui est, prædicabitur. Sin vero hæc sola fides confessa Christum Dei Filium omniũ beatitudinum gloriam meruit in Petro, nimirum vt claues antiquitus acciperet, & super ipsum Ecclesia fundaretur, Apostolatus apicem sortiretur, & indefectibilis fidei charismate dotaretur, vnicum Dei Filium, Fidei authorem, & institutorem agnoscens, *necesse est, vt ea*, quae, præter tradita, de nouo reuelata traderet Ecclesia, *Claues regni cœlorum non adepta, & extra fidem, ac virtutem Apostolicam constituta, nec Ecclesia sit illa, nec Christus*. Sed cum eadem sit numero Ecclesia, super successores Petri, & super humeros ipsius Petri fabricata, idemq; Christus cum suis mysterijs, quẽ Petrus confessus est, successores profiteantur, (sicut & eadem potestas, & eędem claues) nouum portentum est somniare, Ecclesiam nouos articulos in dies posse cudere, & fabricare.

8 Ipsa quoque Ecclesia, per fidem, & sacramenta constituitur, quare (vt rectè infert ingeniorum flos. S. Thomas Aquinas 3.p.q.64.ar.2.ad 3.) Romani Pontifices Petri *successores, sunt Vicarij Dei quantum ad regimen Ecclesiæ constitutæ per fidem, & fidei sacramenta: vnde sicut non licet eis constituere aliã Ecclesiam, ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia sacramenta*. Quod si possent, nouam quoque Ecclesiã condere possent, dum fidem nouam ex se possent. Sed numquid, vt gallina sortita est de suo parere? aut vt volucres fęminæ, quæ ex se pariunt? quo verbi semine nouo fęcundata, vt pariat? iam vero si marem adiungas,

gas, Valentinianam illam, & portentosam combinationem introducis, contra quam Tertullianus in Valent. c. 10. scribens inuehitur) videlicet, *Hominem, & Ecclesiam*, nouam sophiam, *Fidem, Spem, Charitatem*, fęminas; *Ecclesiasticum, Macariotem*, mares parientē; tales enim ex Tertull. Valentiniani somniabant esse Ecclesiae partus. Verum tolerabilius Valentinianos sophiae, fidei, Macariotis, &c. progenitores, nempè Ecclesiam, & hominem, humanæ conditioni sese attemperantes, assignasse dicendum esset, quàm fingere, Ecclesiam seipsa sola, nulla coniugij opera concepisse, & peperisse fœminam (vt sophiam Valentiniani ijdem inconstanter fatebātur) hoc est, absque noui seminis susceptione, & reuelatione cœlesti sophiam, Fidem, Ecclesiasticos, ab alia quoque noua Ecclesia progenitos. Sic ad Genealogias interminatas, & fabulas fingendi daretur occasio, & ad principia fidei, quae certo iam stabilita sunt, de nouo & nouè quærendi, & numquam inueniendi: vnde tędio victi Ethnici, inquisitionis molestia, & ex incerto itinere fatigati, nullo modo ad sacramenta nostra suscipienda properarent. Fabulas struant hęretici: *Christiano*, vt scripsit Tertullianus de anima c. 3. *paucis ad scientiam huius rei opus est. nam & certa semper in paucis, & amplius illi quærere non licet, quàm quod à Deo discitur, quòd autem à Deo discitur, totum est*.

9. Quod si vt vidimus, Pseudoctores aliqui inducere tentarent nouos articulos, & talia dogmata prędicare, quę Patres ignorarunt, & Apostoli non prædicarunt; tantum abest, vt Ecclesia per impossibile, illos reciperet, atque proponeret, vt potius exufflaret, & cum Hilario supra, quiuis fidelis exclamaret. Ab Apostolis,

quæ

quæ teneo edoctus sum, his immedicabiliter imbutus sum; & ignosce Omnipotens Deus, quia in his nec emendari possum, sed commori possum. Tardè mihi hos piissimos, quantum ego arbitror, Doctores ætas nunc huius sæculi protulit. Sero hos habuit fides mea, qua tu erudisti, magistros. Inauditis ergo omnibus his in te credidi, per te renatus sum, & exinde tuus ita sum. Qui igitur fieri potest, vt nouos, & inauditos articulos Ecclesia condat, quæ mori potius cum Hil. statuit, quàm nouationem præscribere aliquam, vel ab alijs innouata admittere?

10 Ipsa quoque vniuersi pulchritudo, quae propter Ecclesiam facta est. (*Cælum enim propter Ecclesiam conditum est*) scripsit Chrisostomus Hom. 4. de verbis Esai. non in nouarum specierum creatione, sed in generatione, & procreatione rerum, per vim seminificatiuam, & earundem iugi conseruatione, consistit, *nouū enim genus*, ait August. 5. de Genes. ad litter. *instituere credi non potest, quoniam tunc omnia consummauit.* Requieuit Deus ab opere creationis, quod patrarat. Semel locutus est, dicens. *Fiat lux*, &c. Gen. 1. solùm portat nunc *omnia verbo virtutis suæ.* Heb. 1. per conseruationem; etiam *& vsque modo*, hoc inquam modo, *operatur.* Ioan. c. 5. Multò magis in Ecclesiae dispositione, à nouis articulis formandis quiescere debebat, cum omnia locutus sit nobis in filio. Conseruationi tantum, & propagationi dogmatum, eiusdemque culturæ insistente, & inuigilante, nec dormiente, neque dormitante, qui custodit Israel.

11 Bonum semen in sua integritate, & mensura confecta, & coagitata, seminatum est à Patrefamilias Christo Domino in agro suo, prudentes, & fideles seruos

præ-

præfecit, triticam prędicationis sementem tradendo, vt sererent verbum Dei. Fides sata, Dei agricultura est. Non ergo iterum serendum, nec arbores plantandae, augmentum, & fructificatio sola expetenda, vnde crescens, & fructificans fides ab Apostolo cap. 1. ad Colossenses describitur: quem locum ponderans August. de vnitate Ecclesiae c. 15. sic dixit. *Numquam iterum seminandum est bonum semen, quando ex quo seminatum est, crescit vsque ad messem?* Quomodo ergo ab Ecclesia expectari possunt, noua semina, noua fidei traditio? *Seuerunt*, ait S. Vincent. cap. 30. *maiores nostri antiquitus in hac Ecclesia segete triticeæ fidei semina: iniquum valde, & incongruum, vt nos eorum posteri, pro germana veritate frumenti, subdiditium eligamus errorem*, vel addititium superinducamus frumentum. *Quin potius hoc rectum, & consequens est, vt primis atque extremis, sibimet non discrepantibus, de incrementis triticeæ institutionis, triticei quoque dogmatis frugem demetamus, vt cùm aliquid ex illis seminum primordijs accessu temporis euoluatur, &c. Nihil tamen de germinis proprietate mutetur: addatur licet forma, species, distinctio, eadem tamen cuiusque generis natura permaneat.* Etiam vegetatiua facultas in senibus, & in pueris, iuuenibusque deprehenditur, sed diuersis effectibus graduatur, in illis nutrimento soli, non augmento intendit; in istis nutrimentum, & augmentum subministrat. Puerilem agebat ætatem Ecclesia sub statu legis, adolescentiam, Christi, & Apostolorum ætate, fas ergo erat, vt sua incremēta susciperet, & in augmēto magis proficeret credendorum, quæ de nouo reuelabantur in tempore gratiæ: audi Apostolum. *Alijs generationibus non est agnitum mysterium Christi, sicut*

nunc

nunc reuelatum est Sanctis Apostolis eius, &c. Ephes. 3. Amplius. *Ego*, dicebat Paulus, *plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit*. 1. Cor. 3. Satis ergo est, vt in maturitate ætatis Ecclesię eadem potestas, quæ olim fuit soli nutrimento, & veteris fidei conseruationi deseruiat, quamuis incremēta nouarum reuelationum non ministret. Egregiè Cęlestinus ad Nestorium. *Planè etenim ac manifestè tradita ab Apostolis nobis, nec augmentum, nec imminutionem requirunt.*

12 Conclusi quidem prius tenebamur in ea fide, quæ reuelanda erat, & in illis figuris, & prædicationibus continebantur multa implicitè, postea explicatius reuelanda in plenitudine temporis, quando reuelationis plenitudo completa est: Lex etiam & Prophetę vsque ad Ioannem. Prophetis quoq; Apostoli successerunt, per legem Euangelicam figuras implentes. Si igitur nouorum articulorum iam reuelatio superesset, nondum veterum fides in tempore gratiæ impleta esset. Et vbi quæso perfectio Apostolicae cognitionis primitias spiritus obtinentis, si adhuc in dies præter illa, etiam alia de nouo reuelantur? Reddas si potes Ecclesiae, nunc in ætate grandeuae iuuentutis florem, quando illi charismata plenissimè collata sunt, & tunc assigna denuò Christum, vel Paracletum venire, & nouiter Ecclesiam immediatè, & nouiter edocere.

13 Istos appello, & interrogo, ex Hil. 7. de Trin. si noua conduntur dogmata ab Ecclesia, an vna tunc & eadē fides sit, an altera. Vna certè est, Apostolo dicente *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*, Eph. 4. Qui ergo de nouo reuelantur articuli, peto, an sub fidei principijs continentur, vel non. Si continentur, iam non de nouo reuelantur, si quidem in illis veluti in

semi-

ſemine continentur, & ſicut effectus in cauſa, & tunc cum proferuntur, vel explicantur,non noua fides conditur,ſed explicatur,integra manente fidei ſubſtantia. Si alij de nouo reuelarentur articuli, qui in prioribus non continerentur,iam noua fides traderetur,bis fundamentum Chriſtus Ieſus collocaretur: non ſemel,ſed bis loqueretur Deus: noua agricultura induceretur: nouum ergo ſtatum in Eccleſia cum Ioachino Abbate expectare oporteret: reuelationes nouas,quæ Apoſtolos latuerunt,haberemus,contradicente Chriſto Domino,dum Apoſtolis promiſit Ioan. 14.quod Spiritus ſanctus docturus erat eos *omnem veritatem*,de credendis ſcilicet,& agendis (vt ibidem Angelicus interpretatur) Apoſtolica pariter graduatione obtinente, ſecundùm quam (Hil. 8. de Trinit. interprete) *quoſdã quidem poſuit Deus in Eccleſia.Primum Apoſtolos, in quibus eſt verbum ſapientiæ.Secundo prophetas, in quibus eſt donum ſcientiæ. Tertio Magiſtros, in quibus eſt doctrina fidei.* Certum namque eſt, quod quanto ſapientia ſcientiam, & doctrinam excedit, tantò Apoſtolica cognitio poſteriorum omnium Paſtorum, & Doctorum ſcientiam, & doctrinam exuperat, vt nihil reuelari poſſe de nouo fingi poſſit,tanquam pertinens ad fidei doctrinam,quod reuelatum non ſit, & reconditum in Apoſtolicæ ſapientię theſauris. In hęreticis ipſis,dicit idem Sanctus,*Nec verbum ſapientiæ eſt,nec ſermo ſcientiæ, nec religionis fides, quia impietas, quæ non capit intelligentiam, extra ſermonis ſcientiam eſt, extra ſimplicitatem fidei eſt, nec enim quicquam quod ſapit loquitur, nec quod loqui non poteſt, poteſt crederè*. Vnde non eſt mirum ſi inſipienter hęreticus loquitur ne credat,dum ſub prætextu innouationis fidei

quam in nobis comminiſcitur, veterem impugnat, quę velut aquila renouatur, indemutabiliter ſubſtantia fidei permanente, nouas tamen fidei explicationes admittente, non tamen inauditum verbum, ideſt, nouum proponente, quicquid Nouitij obmurmurent.

14 Sed quid factioſi magiſtelli? quot nunc articulos decreuit Eccleſia credendos, qui nec ab Apoſtolis prędicati ſunt, nec à veteri Eccleſia agniti? vt patet de multis, inquiunt, libris canonicis, ſacramentorum numero, effectibus (& de charactere etiam exemplificauit nuper quidam Neotericus ab Eccleſia interdictus) & alijs. *Pertranſibũt plurimi* ſubdunt, ait Daniel c. 12. *& multiplex erit ſcientia*. Et Dauid pſalm. 118. *Super ſenes intellexi.* Quid ergo mirum ſi aſſeratur Eccleſiam hodiernam ſuper veteres ſapere, & maiorem ſcientiam obtinere, vt noua tradat, & prioribus ſeculis inaudita? Quod ſi aurora conſurgens eſt, vſque ad perfectum diem creſcere debet, vt clarius nunc multa tradat, quæ in aurora, hoc eſt primitiuo ſtatu agnita non ſunt. Hæc Nouelli.

15 Sed non diſcernit hæretica prauitas, vel argutula nouitas aliud eſſe diuerſum, & contrarium, extraneũ fidei, & depoſito obtrudere: aliud conſequens addere principijs fidei, & implicitum explicare, vel vetus & antiquum dogma nouo modo enucleare. A diuerſitate, contrarietate, extraneitate apoſtolica vox deterret. *Si quis euangelizauerit præter id, quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* & 2. Cor. 1. *Fidelis Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo eſt & non.* Et iterum Gal. 2. *Si quæ deſtruxi iterum reædifico, præuaricatorem me conſtituo* ad conſectaria principijs addenda, eademq; principia explicanda, ab eodẽ animamur

Apo-

Apostolo. 1.Cor.3.*Dei agricultura estis*. Vnde fas est, ait Lerinensis cap. 30. *vt prisca illa cœlestis philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, polian-tur, sed nefas est, vt commutentur, nefas est vt detrun-centur, vt mutilentur. Accipiant licet euidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant necesse est plenitudinem, in-tegritatem, proprietatem.*

16 Semper ergo eadem principia credita, non semper (exceptis Apostolis) ab Apostolicis omnibus omnia consectaria agnita, vnde vt ponderauit S.Tho. 1.p.q. 33.ar.4. Propter hoc *multa reputantur nunc hæretica, quæ prius non reputabantur, propter hoc, quod nunc ma-gis manifestum quid ex eis sequatur*, & clarè apparet connexio conclusionum, quæ definitæ sunt cum prin-cipijs, quæ prius agnita non est. Et quamuis hæc noua videantur, ad Apostolicum depositum pertinent, & doctrina Apostolica dicenda, quia in virtute in illa cō-tinentur, nec ab Apostolis, qui primitias Spiritus ac-ceperunt, fuerunt ignorata, non tamen ab omnibus Apostolicis agnita sunt, quia non omnes conclusio-nes, & veritates tradiderunt Apostoli, sed quæ neces-saria erant tradiderunt, eaque sublimiora tradita Apo stolicis, progressu temporis apud aliquos vel in dubiū reuocata, vel ignorata, vnde postea occasione vrgente explicata, & enucleata, vt patet de hæreticorum bap-tismatis iteratione cauenda, cuius quæstionis dissolu-tio ex Apostolica traditione, quæ apud multos Episco pos obscura reputabatur, lucem aspexit ex Cyp. ep.7. & August. 5. de baptis. c.26. contra Donat. Vnde se-cundum has explicationes, suos profectus habet Ec-clesia, vt explicatius, & multiplicius intelligat supra veteres, & in diem perfectum assurgat. Quare nouitates

dicendae non sunt tales explicationes, quæ virtualiter,& implicitè in prioribus articulis continebantur, sed antiquarum rerum nouae enucleationes, non noua, sed nouè propositae. Sic mandatum nouum dilectionis (vt exponit Chrisostomus hom.71.) nouum dicitur à Ioanne,propter modum.Quare consulto (ait Lerinensis cap. 33.) non quæcunque noua; sed prophanas vocum nouitates vitandas admonuit Apost. [Prophanas vocũ nouitates deuita.] *Quid est pfanas? quæ nihil habent sani, nihil religiosi, ab Ecclesiæ penetralibus,quæ est templum Dei,penitus extraneas,prophanas vocum inquit,idest dogmatum,rerum,sententiarum nouitates,quæ sunt vetustati, quæ antiquitati contrariæ.* Antiquitate autem earundem rerum retenta, exigente hæreticorum instantia, noua nomina adinuenta sunt,vnde August. tract.97.in Ioannem, & tract. 79. *Patres aduersus impietatem Arianorum nouum nomen tali nomine signauerunt,hoc enim vocatur Homousion, quod est,Ego,& Pater vnum sumus.* Et sic nouae videtur definitiones, & priscis incognitae, ex noui vocabuli inuentione post antiquorum tempora,vnde Cyrillus 1.ep.ad Prȩsb.cum docuisset Virginem, *Deiparam* appellandam subdit.*Hanc nobis fidem diuini tradidere discipuli, & licet nullam fecerint dictionis huius mentionem,ita tamen sentire à Patribus edocti sumus.* Sic aduersantium ora obstruuntur, & nihil aliud probat obiectio,quam quod fidei profectus, & scientia Theol.crescant, quantum ad explicationem,& modum,vt explicatum est.

37 Quantum ergo attinet ad dogmata, vt concludam cum Lerinensi cap.32.*Christi Ecclesia sedula,& cauta depositorum apud se dogmatum custos,nihil in ijs vnquã per-*

permutat, nihil minuit, nihil addit: non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non vsurpat aliena, sed omni industria hoc vnum studet, vt vetera fideliter, sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus informata, & inchoata accuret, & poliat. Si qua iam expressa, & enucleata consolidet, & firmet; si qua iam confirmata, & definita custodiat. Denique quid vnquã aliud Conciliorum decretis (vel Apostolicae sedis definitionibus) *enisa est, nisi vt quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur, quod antea Lentius prædicabatur, hoc idem instãtius prædicaretur? quod anteà securiùs colebatur, hoc idem postea sollicitius excoleretur? Hoc inquam semper, neq; quicquã præterea, hæreticorum nouitatibus excitata, Conciliorum suorum decretis, Catholica perfecit Ecclesia, nisi vt quod prius à maioribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per scripturæ chirographum consignaret: magnam rerum summam paucis litteris comprehendendo, & plerunque propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei sensum, nouæ appellationis proprietate signando.* Si hæc documenta legissent Nouelli, noua non inuenissent.

18 In ijs verò, quæ ad mores, & disciplinam ecclesiasticam pertinent, multa pro tempore aucta sunt, vnde rectè scripsit Epiph. hæres. 75. *Non potuerunt Apostoli statim omnia constituere, sed Ecclesia accepit complementum dispensationis, pro locorum, & temporum opportunitate, nam singulæ res non ab initio omnia habuerunt, sed progressu temporis, ea quæ ad perfectionem requiruntur, probantur.*

CAPVT XVI.

Consequens est numquam euenturum, nec euenisse, quod contra depositum, vel contra sensum SS. Patrum omnium, vel grauiorum, suas priuatas opiniones ijdem Pontifices obtrudant.

1 
O autem nomine à Nouatoribus sugillatur Romanus Pontifex, quod contra Patrum decreta, vel sensum, dogmata finiat, atque determinet, nouosque ritus, & traditiones introducat aduersus veterum disciplinam. Sic passim Centuriatores, nam lib. 2. cap. 4. *quosdam* (aiunt) *Episcopos rerum habenis potitos, simplicem, & vulgarem consuetudinem immutasse, & si autem in alijs quoque Ecclesijs aliquæ accesserint cęremoniæ, & traditiones, tamen, nusquam plures quā in Ecclesia Romana accessisse, reperiuntur*. lib. 4. cap. 6. *Hoc primum*, aiunt, *monemus lectorem, vt attentè conferat cum superioribus seculis, & obseruet, quantum hoc sec ulum à primitiuæ Ecclesiæ simpliciori statu degenerauit, cumulatis, & in Ecclesiam inuectis, tum Gentilium, tum Iudaicis ritibus,*

bus, &c. Martinus quoque Kemnitius in suo examine Concilij Tridentini, Tridentinos Patres insimulauit, quod contra SS. Patres decreta firmarint, apud Andrad.lib.de pecc.origin. Nouissimè Archia postata Spalat.in Consil.professionis suæ cap.5.præ motiuo inter cætera suæ apostasię assignat, quod *Ecclesiastica disciplinæ, regiminisque spiritualis nostrorum temporum normam, plurimum à veteri dissidentem, non sine admiratione*, ait, *intuebar*, & in libello Anonymo cap.10.dicit *Papam libidine dominandi in praceps abijsse, & contra mores maiorum, contra leges, cõstitutiones condere exorsum, quibus Christianos ligauit, &c.* Et quidem si de exteriori disciplina, & regiminis forma morum directiua sermo sit, in multis fatemur orthodoxè, à veteri immutatam pro temporum, personarum, & locorum cõditione, quod prudentis legislatoris prudentia etiam in ciuitate, & terrena politia requirit. Si vero de fide disciplina loquatur, per omnia conformis est præsens Ecclesiæ facies cum veteri, nec vmquam factum est, nec fit, nec fiet, vt contra maiores, & Ecclesiæ Proceres, Pontifex fidei constitutiones condat, & prædicet. Clamabat ex throno Apostolico Damasus ad Episcopos Illyriæ apud Niceph.lib.13.cap.31. *Cauendum ne per eos, qui varias doctrinas comminiscuntur, in lubricũ seducamur, ac potius quotiescunque illi variantibus consilijs circumferuntur, Patrum nostrorum à nobis sententiæ sunt retinendæ, &c.*

2 Et Horimida ep.67.ad Possessorem. *Fixa sunt à Patribus, quæ fideles sectari debeant instituta, siue prædicatio, seu verbum pro populi ædificatione compositum, si cum fide recta, & doctrina sana concordet admittatur, si discordat aboleatur. Vnum est fundamentum extra*

quod qualibet fabrica ſi consurgit infima est, super illud quiſquis ſuperædificat, ſeu vilia, ſeu precioſa conſideret, errat autem is, qui à via quã SS.PP. electio monſtrauit, exorbitat.

3 Leo Papa ad Imperatorem ſcribens contra Euthychetem, ait. *Vt autem pietas tua cum Venerabilium Patrum prædicationibus nos concordare cognoſcat, aliquatenus eorum ſententias huic credidi ſubijciendas eſſe ſermoni, quibus ſi digneris attendere, nos non aliud prædicare reperies, quam quod SS. Patres noſtri toto orbe docuere, nec quicquã ab illis, niſi ſolos hæreticos diſcrepare.* Quid in Concilijs? Patrum teſtimonio, hæreſis Ariana depreſſa. Epiſcopi enim Nicçç congregati (ait Athanaſ. epiſt. ad Afros) *Non ſibimet ipſis adinuentionis verba inuenientes, ſed habentes ea à Patribus, conſcripſerunt.* In Concil. Epheſ. Neſtorius Patrum teſtimonijs confoditur. *Sequentes itaque* (aiunt Patres illius Concil.) *confeſſiones omnium SS. Patrum, quas loquente Spiritu ſancto protulerunt, & intentioni eorum, æquis veſtigijs inhærentes, profitemur, &c.* In ſexta Synodo Act. 12. can. 19. hæc regula præfigitur. *Si ad ſcripturas pertinens controuerſia aliqua excitata fuerit, non eam aliter interpretentur Epiſcopi, quam quomodo Eccleſiæ luminaria, & Doctores ſuis ſcriptis expoſuerunt.* In Concil. Niceno 2. Act. 7. aduerſus Iconomachos, teſtimonijs Patrum reportatus triumphus. *His* (inquiunt Epi-Epiſcopi) *ſic ſe habentibus, Regiam viam incedentes, & Sanctorum noſtrorum, & Diuinorum Patrum doctrinæ inſiſtentes, & catholicæ Eccleſiæ, in qua Spiritus ſanctus inhabitat, traditionem obſeruantes, definimus cum omni diligentia, &c.* Et in fine ſic acclamatum legimus. *Hęc eſt fides Apostolorum, hęc eſt fides Patrũ,*

hæc

hęc est fides Orthodoxorum, quod & Tridentina Synodus est imitata.

4 Ipsimet Patres secundum suorum temporum successiones nouellis adinuentionibus vetustiores Patres opponebant, sic Athanas.lib.de decretis Nicę. Synod. aduersus Eusebium, dicebat. *Ecce nos quidem ex Patribus ad Patres, per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstrauimus. Vos autem ò noui Iudæi, & Caiphæ filij, quos tandem nominum vestrorum ostendere potestis progenitores?* Et Basilius de Spiritu sancto, vbi aduersus Pneumatomachos, plures SS. Patrum authoritates adduxisset, ait cap.29. *Qui fit igitur vt ego sim innouator, & recentium verborum architectus, qui totas nationes, Ciuitates, & consuetudinem omni hominũ memoria vetustiorem, insuper & viros Ecclesiæ columnas, & omni scientia, & virtute spiritus venerandos, duces, & authores huius vocis exhibeam?* &c. Præterea In hæreticorum synagogis fidem subuersam, idem Sanctus monstrat cap.30. ob Patrum doctrinam ab impijs conculcatam. *Hæc vero tempestas Ecclesiarum, qua tandem marina procella non est atrocior? In qua vt tota Patrum ditio commota fuit, ita omne fundamentum, & si quod dogmatum munimentum, conuulsum est.* August. quoque cum testimonijs Sanctorum Pelagianam hæresim impetisset, sic concludit contra Iulianum lib.2. *Hoc autem probauimus Catholicorum authoritate SS. qui & hoc asserunt, quod de peccato originali dicimus, & illa quoque vera esse confitemur. Ac per hoc non est consequens, quod hoc falsum sit, quia vera sunt illa: tales quippe, ac tanti viri secundum Catholicam fidem, qua vbique toto orbe diffunditur, & hoc, & illa vera esse confirmant, vt vestra fragilis, & quasi argutula nouitas*

sola

sola authoritate conteratur illorum, praterquam quod, ea dicunt, vt se per eos loqui, veritas ipsa testetur.

5 Noui quoque Gabaonitae de sua peruicacia erubescentes, ad nostra præsidia interdum confugiunt, Patrumque monimenta se recipere callido studio simulant, vt orthodoxa dogmata prædicare videantur, vel cum orthodoxis per omnia communicare mentiantur: de quibus loquens S. Martinus Papa dixit in Concil. Lateran. consult. 3. *Qui spiritalem expugnant Hierusalem, idest Catholicam Ecclesiam, imitantur eos, qui terrenam expugnauerunt Hierusalem, & festinant ipsi paternis abuti quodammodo doctrinis, sicut Rapsaces patria voce contra Iudaeos abusus est, vt difficile nequitia eius potuit sentiri, sicut & isti propriè insidiantur. Nec in honorem Patrum, sed in simplicium, sicut ille Iudaeorum, hoc callidè peragere nituntur.* Talis fuit vox illa Lutherica in Commēt. ad Gal. *S. Hilarius, Cyrillus, Ambros. August. Euangelium, & fidem in Christum absq; vlla hypochrisi, purè, & simpliciter tradiderunt, hereticis restiterunt, & Ecclesiam ab innumeris erroribus repurgarunt.* Et Caluini vera fuit ista confessio, epistola ad Sadoletum. *Statue tibi ob oculos veterem Ecclesię faciem, qualem Chrysostomi, aut Basilij atate apud Gręcos, Cypriani, Ambrosij, Augustini seculo apud Latinos extitisse, ipsorum monumenta fidem faciunt.* Inde permoti Caluinicolæ in disputatione Albae Iuliae cap. 8. Trideitas. & Nearianos (Iustinum martyrem, Clementē Alex. &c. adducendo) euicerunt; sicut & Anglocaluinistae Puritanos damnarunt, quòd Patrum testimonia abijcerent. Tanta est hęc vis veritatis, vt ab inimicis probetur, nec hęresis ipsa in publicū prodire nesciat, nisi aliam esse se simulet, & Patrum sermonem, & idioma,

ma, & nostrorum amictum assumat, ad ineruditos inescandos.

6 Cum ergo Pontificalis Apostoli Petri sedes, sacrati consessus, vniuersalis Ecclesiae Patrum praxis, hęretica etiam æmulatio, hoc loco tanquam firmissimo ariete ad debellãda hęreticorum mœnia, vsi fuerint, quis nisi insipiens, & totius religionis euersor dicere audebit posse Romanos Pontifices contra scita Patrum, contra instituta maiorum, nouos ritus, noua dogmata, vel si ipsi quid melius (aiunt) inuenerint, fidelibus ad credendum præscribere? si traditio in consensu Patrũ continetur, quis dicet, posse Romanum Pontificem contra Apostolicam doctrinam definire? clamat (ait Lerinensis cap. 12.) Paulus Apostolus. Sed *licet aut nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam euangelizauimus vobis anathema sit, etiã si Petrus, etiã si Andreas, etiam si Ioannes, etiam si postremo omnis Apostolorum chorus, euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus, anathema sit, &c. etiam*, inquit, *fiat, quod non potest fieri, quisquis ille traditam fidem mutare tentauerit, anathema sit.* Vnde meritò Thomas Vvaldensis tom. 1. contra Vvitcleph. in præfat. dixit, quod, *maior pars Patrum à tempore Apostolorum successiuè vsque ad nos sensit, & tradidit irrefragabile esse*. Subdens. *A qua professione nullus sub pœna perfidiæ potest declinare fidelis, nec Papa, nec generale Concilium, quia in articulis fidei est, vbi in Symbolo dicitur, Credo S. Ecclesiam Catholicam.* Fides autem Catholica in scriptura, & traditione fundatur, hæc vniuersitate, consensione, antiquitate demonstratur: ergo sicut impossibile est, vt contra traditionem definiat Pontifex Rom. ita numquam fiet (vt numquam factum est) quod contra

tra omnium vel penè omnium, maiorem, vel grauiorē partem venerabilium Patrum aliquid statuat, & decernat. An fortè ea, quæ super fundamenta Apostolorum constructa sunt demoliri posse contendes? Sed Apostolus te exterret dicēs. *Si enim quæ destruxi, iterū hæc ędifico, pręuaricatorem me constituo.* Gal. 2. Perfecta est Apostolicorum doctrina (propterea eorum manus tornatiles aureæ in sacris epitalamijs describuntur) Aequum igitur est, vt in eadem forma perfectionis seruentur, nec formam pristinam immutent. Detur id arboribus Lacędemonum ex rotundis arte quadrari, nā & quadratas quoque fieri posse rotundas, dixit quidā ad Agesilaum, quadrata tabulata in ædificio demirantem. Quod si in omnibus facultatibus, regulis artium, earundemque principijs positis, vel demonstratis, ipsi quoque professores, & artifices subijciuntur, vt secundum regulas, & principia non contra, vel præter illas, procedant, etiam si ijsdem regulis pręsint, vt docendis, & quo ad alios manifestandis: multo magis id asserendum in doctrina reuelata, vt cum Pontifices Summi, & Concilia non pręsint illis secundum se, sed quo ad alios, docendo scilicet, & administrando, & decernendo hæc, non illa, in isto non illo sensu reuelata, pręscriptis vtantur regulis, ijsdemque, in hoc sensu, subiciantur, vt contra illas docere non possint. Cumq; sint ijdem Pontifices animati iudices, & *Critirion*, vt vocant, *quod*, & secundum leges pronuncient, idest, scripturam, traditionem, Patres, tanquam *critirio quo*, ijsdem subijciuntur pro directione iudicij, & si eadem, quoad nos quantum ad propositionem, & manifestationem, ipsis, vt animatis iudicibus subiiciantur. Hinc egregiè Chrysostomus hom. 8. in epist. ad Heb. *Sicut*

enim

enim,ait.*qui regulas certas exhibent,non compellunt decem millia metra ſcrutari,ſed illud quod traditum cuſtodire debent*, *ſic & in dogmatibus*. Quomodo ergo aduerſus regulas artis definient, qui per eaſdem lineas rectas,errorum curuas,& obliquas lineas deprehendunt? Hac hypotheſi (quę impoſſibilis eſt) data, nempe,contra has regulas Eccleſiam poſſe ſentire, tūc ſi aliquis id hęreticis cōcederet, velut parta victoria,impoſito clariſſimis viris iugo,catenis ligatos, manibus poſt terga reuinctis,ad ſuum Capitolium captiuos traherent hęretici: per vicos,& compita,prodiret quiuis de media plebe Magiſtellus, & iudices ſuos ſubſannaret, audiens Doctores catholicos docentes, & admonentes Præpoſitos contra Patres inſurgere. Quos iocos non darent? quae ſcommata non eructarent aduerſus venerandam canitiem? iterum cum Cauſęo hic *delirum ſenem* appellabit Clementem Romanum,*Fanaticum* pronunciabit ille, Irenęum cū Centuriatoribus.Hic cum Heshuſio *rudem in doctrina Chriſtiana* vocabit Alexandrinum Clementem; ille cum Luthero Cyprianum *infirmi Theologi* titulo decorabit. Et ne plura eorum impia dicteria congeram, Nouatorum colluuies theatris aptior, quàm templis, triclinijs quàm Academijs, immenſum ſyncophantiarum aceruum ſtruet, quibus voluptarias aures titillet, & omni cubito aptos puluillos extruat. Iam qui abſtinentiae repagulis coerceri non patiuntur, mox à Baſilio,Nazianz.Chryſoſtomo,Leone nō euinci promulgabunt: Sanctorum reliquias execrantes, Auguſtini,Hieronymi,authoritate ſe non premi conclamabunt: Sacramentorum numerum ad duo vel tria reſtringentes,Dionyſij,Cypriani, Innocentij doctrinis

ctrinis instrui non patientur; & quod maius est vnaquęque hæresis, Patrum authoritate damnata, de suo funere euigilabit, nouam cutem superinduet Arius, dissoluta ossa coniunget Macedonius, carnem reproducet Nestorius, iniustè à Patribus exsibilatos quærẽtur, ad noua subsellia prouocabunt, dum competentes tunc habitos iudices, progressu temporum (data illa falsa hypothesi) vt incompetentes videant reprobari.

7 Cur ergo istam hypothesim asserentes concorporales, & comparticipes gratiæ Christi (dicam cum Prospero contra Collatorem initio) *de his armis quibus communis fides est defensata causantur? Cur bellum confectum retractant, & munitiones securę dudum pacis infirmant? An victores displicent, & victi placent? tantaque insolentia damnati fouentur errores, vt prauitatis inuidia, & authores nostri pulsentur, & iudices?*

8 At plures, inquies, Patres, multos sacros libros de canone excluserunt, quos postea recepit Ecclesia. Sed multo plures eosdem in sacro scripturarum albo reposuerunt, vt latè ostendimus to. 2. pręscrip. Nouatoris Bilsoni, superintendentis Vintoniensis, in recognitione passionum Christi, satis, superque testimonium sufficiat. *Patres aliqui*, (ait) *ꝙ quasdã scripturæ partes negauerint, aut omiserint eorundem authoritati, nihil derogat.* Præclarè ante definitionem Tridentinam scripserat Sanctus Augustinus de doctrin. Christian. lib. 2. c. 8. in recipiendis scripturis, *eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesijs Catholicis, præponat fidelis, eis, quas quædam non accipiunt. In ijs vero quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures, grauioresque accipiunt, eis quas pauciores, minorisque authoritatis Ecclesiæ*

cleſia tenent. Si autem alias inuenerit à pluribus,alias à grauioribus haberi,quamquàm hoc inueniri non poſſit, æqualis tamen authoritatis habendas puto, &c. Hac regula Pontifices, & Concilia vſi ſunt, in ſcripturarum canone formando, vel alia dogmata finiendo, vt Eccleſias,vel Patres omnes,quibuſdam,plures,& grauiores, paucioribus, & minùs grauibus præponerent: & in æquali lance poſitis hic pluribus, ibi grauioribus,prudentiſſimè iudicium ſuſpenderint, numquam tamen contra omnes vel pene omnes, vel plures,vel grauiores decreta formarint. Falſum ergo eſt, quod ſomniant moderni quidam, Eccleſiam contra plures Patres definiſſe, Spiritum ſanctum etiam procedere à Filio, nam fermè omnes PP. nedum Latini, ſed Græci hanc veritatem orthodoxam profeſſi ſunt, quos refert S.Doct.opuſ.contra errores Græcorũ,& in Synodo *Florent.ſeſſ.*7.& in oratione Beſſarionis cap.5 6.7.multo plures recenſentur. Pauciſſimi ſunt in contrarium declinantes,inter quos Theoph. in cap.3. Io. & S.Ioannes Damaſ.qui amicabiliter à S.Thoma p.p. q.36.ar.3.exponitur. Inconſideratum quoque,quod etiam obijcitur;magnam partem Patrum ſenſiſſe animam eſſe ex traduce, vel ſaltem addubitaſſe: Nam multo plures ijdemque grauiores apertè creari, faſſi ſunt,tam Græci,quàm Latini Patres. Legat, qui vult curioſitatem exercere Clem. in Conſtit. Apoſtolicis lib.5.c.6.Athenagoram de reſurrectione mortuorum, Clem.Alexã.4.ſtrom.Methodium apud Epiphan.hęreſi 3.alioſque innumeros diligentiſſimè recenſitos à Coccio in ſuo theſauro par.2.de natura hominis ar.1. Iam verò quam friuolum ſit,quod ijdem adducunt, in eundem lapidem iterum offendentes,plurimos Patres

aſſe-

asseruisse tàm Grçcos, quàm Latinos animabus iustis purgatione non indigentibus, non illicò cœlum reserari, sed vsque ad diem iudicij differri beatitudinis prçmium, ex innumeris enim Patribus id falsum esse euincitur, nam Orig. 2. Periarch. Cyp. in exhortat. martyrii, Basil. oratione in 40. martyr. Nazianz. in funere Basilij, Hieron. in obitu Blesillae, Paulae, &c. Ambros. ep. 59. August. tract. 49. in Ioann. lib. 20. de ciu. cap. 9. Greg. 4. moral. c. 25. & alij, contrarium docet, fuseque Bellarminus de beatitud. SS. lib. 1. c. 5. ostendit constantem tum Græcorum, tum Latinorum fermè omnium Patrum fuisse sententiam, iustorum animas, quibus nihil purgandum restat, diuinam essentiam mox conspicere, vbi à corpore fuerint absolutç, & satis doctè à multis Doctoribus Patres in oppositum excusantur. Sed *quid saluis infamia nummis?* dixit ille diues apud Iuuenalem; *quid mendacium, saluis veritatis testimonijs?* Illud vero quod, eadem pensatur chorda, intolerabilius, quod ijdem, & nouissimè Poza, eructarunt, nempè plurimos Patres à veniali culpa non fecisse exemptam Dei Genitricem, & nihilominus Ecclesiam contrarium definisse. Bona verba quçsò, turpe est hostem fingere quem ferias, multo magis irreligiosum Patribus affigere, quod non somniarunt. Cauti esse debemus; siquidem hic fuit astus hæreticorum, & praxis ad probandum, quod prauè senserint Patres, dubias authoritates afferre, obscura, quae exponi possent, allegare, & vt scripsit Lerinensis cap. 11. *Captant plerumque veteris cuiusquam viri scripta paulò inuolutius edita, quç pro ipsa sui obscuritate, dogmati suo, quasi congruant, vt illud nescio quid, quodcunque proferunt, neque primi, neque soli sentire videantur*, vel vt ipsos

quoque

quoque Patres traducant, quod praua senserint, & paleas,& suos nęuos habeant. Proferuntur autem in medio, qui leuem culpam asserunt in Virgine Deipara agnouisse,scilicet Athanasius sermon.4.contra Arianos,vbi dicit Matrem Christi in nuptijs *increpatam*, addit causam Irenęus lib.3.cap.18. propter *intempestiuā eius festinationem*. Repręhensam quoque Chrysost.hom.20.& Theoph.cum Euthymio asserūt, quod *humana ambitione* miraculum postularet. Verum Athanasius increpationis nomine admonitionē, vel instructionem intellexit,non tàm propter Virginē, quàm ob circumstantes,factam. Sic Irenęus integritatis virginalis, fidei, puritatis vindex apertissimus,eodem modo exponitur. Vnde & Iustinus martyr Respōsione ad q. 136.ad orthod. talis expositionis (ne eam nos comminiscere videamur) author ostenditur: ait enim *Illud quid tibi,& mihi est mulier? non ad obiurgationem dictum est matri à seruatore, sed quasi hoc demonstrare vellet, non nos ij sumus,qui curam suscepimus vini,quod in nuptijs consumitur,tamen prę amore,si vis ne deficiat eis vinum, dic ministris,vt faciant quæ ego eis dixero, & videbis eis non deesse vinum, id quod etiam accidit.Non ergo verbis matrem obiurgauit, cum eam factis honorauit.*Chrysostomus exponitur à S.Thom.3.p.q.27.ar.5.vt intelligatur,in ea Dominū cohibuisse non inordinatum gloriae motum,quantum ad ipsam,*Sed id quod ab alijs posset extimari.*Dicit etiā S. Thomas, quod *Chrysostomus excessit in illis verbis*. Excesserit quoque Irenęus cum Athanasio, an Patres hi numero pauciores,vniuerso Sanctorum choro prę-iudicare possunt? Pręsto sunt Ignatius,Iustinus,Origenes,Gregor.Neocęsar. Athanas. Ephręm. Epiph.Na-

ziãz. Chrysost. Sophron. & alij Patres Græci. Ex Latinis. Cypria. Ambro. August. Arnobius, Chrysol. Euch. Sedulius, Fulg. Greg. Papa, Hidelphonsus, & alij, quorum verba leges in Coccio de Deipara art. 1. ne paginas oneremus. Hi omnes purissimam, peccati expertem vnanimi consensu profitentur Deiparam, vt opponentes, vel non attendisse horum testimonia, vel in calculis aberrasse, vel melioribus lapillis sua signare noluisse putandum sit, &c. alia exempla adducunt, quibus respondemus 3. tom. cath. præscrip.

9 Quantò præstaset in his, & similibus diffidentes Patres illos pauciores, cum reliqua aliorum multitudine concordare, magis quàm, quæ silentio sepeliri oporteбat, rediuiua ventilatione iterum diffamare. *Sequentes omnino* (vt in hoc proposito scripsit Lerinẽs. c. 11.) *vestigia authoris sui Cham, qui nuditatem venerandi Noe non modo operire neglexit, verum quoque irridendam cæteris enunciauit.* Certè in hac parte modestior Georgius Maior, professione Lutheranus, qui nuditatem illorum Patrum nec suis temerare oculis, neque alijs patere volens, hoc pallio contexit. *Quod matri vinum petenti respondet: Quid tibi, & mihi est mulier? id ideò facit, vt ipsius fidem exerceat. Non enim propter hæc verba fidem abijcit mater, quasi repulsam passa à Filio, sed fidem retinet, cum ipsius naturæ bonitatem, & omnes iuuandi studium, & voluntatem nouerit.* Hæc Nouator. in secundã Dominicam post Epiph. Et si Patrum nuditas ostendenda erat, & propalanda, non omnium erant, vel penè omnium, sed eorum solum, qui errarunt, excessus manifestandi, non vero indiscriminatim inculpabiles Patres, vi expoliare veracis eorundem confessionis tegumento, vt propterea duplo fiãt

rei,

rei,qui talia sunt commenti, & quod verenda denudata eorum, qui excesserunt (piè illos etiam cum hostibus Ecclesiæ poterant interpretari) non texerint; & quòd cęteros vera sentientes,denudare cum ignominia satagerunt; indeque (omnibus in ordinem, & orbem redactis) dignè Claramontana, & Tridentina disciplina (vt dicunt) hoc est,ecclesiastica definitione vapulasse (immeritò tamẽ) euulgarint, & ad feriẽdos in posterum absque delectu, & collatione numeri ad numerum,& qualitatis personarũ, Ecclesiæ Proceres, his exemplis,in alijs controuersijs(inaniter) procedere debere, sint conati edocere.

10 Alij demum alias commenti sunt vias ad positionẽ supra dictam tuendam; nempè cultu quidem posse aliquid statui contra omnes,vel grauiores PP.non autem ecclesiastica definitione. Rectè id quidem,si pietas,quae respicit cultum, & religio à sapientia, quae respicit fidem,possent aliqua ratione seiungi.Præclarè scripsit Lactantius 4.inst. c. 4. quod *non potest religio, aut à sapientia separari,nec sapiẽtia à religione secerni, quia idem Deus,& qui intelligi debet,quod est sapientiæ, & honorari, quod est religionis; sed sapientia præcedit, religio subsequitur,quia prius est Deum scire,consequens colere. Itaque in duobus nominibus,vna vis est, quamuis diuersa videantur. Alterum enim positum est in sensu,alterum in actu. Sed tamen similia sunt duobus riuis vno fonte manantibus,fons autem sapientiæ,& religionis Deus est,à quo si duo riui oberrauerint, arescant necesse est,quem qui nesciunt,nec sapientes esse possunt, nec religiosi.* Cultus certè (qui est in sollemnizandis diuinis mysterijs, qui fidem consequitur)|& ipsa quae præcedit fides,duo riui sunt,hoc ordine incedentes,vt

in controuersiis de aliquo mysterio, prius ex deposito inspiciatur fides, & inuestigentur monumenta maiorum, mox quod religionis est, & cultus tractetur, ne perturbetur fidei, & religionis ordo; & qui nolunt prius ex sapientia erudiri, nec religiosi deprehendi possunt.

11 Accedit, quod religio, quæ respicit cultum, & si à Theologicis discernatur virtutibus, eiusdem nihilominus actus, fidei dirigentis adminiculum postulat, prius enim in cultus ratione requiritur actus, quo cognoscamus id, quod colendum est (quod pertinet ad virtutē fidei) mox proceditur ad exhibitionem cultus, quod pertinet ad religionem, quae à fide dirigitur. Vnde vera est hæc causalis. Quia hæc cognitio falsa est, & erroribus mixta, ideo falsus cultus est, qualis est Iudæorum, Ethnicorum, Hæreticorum. Quia vera est Catholicorum cognitio, & sapientia, verus est noster cultus, veraque religio; & si dubia pariter esset cognitio, (vt apud Ethnicos, Iudęos, hæreticos; vel etiam apud nostros per impossibile) dubius quoq; cultus, ac superstitiosus cultus induceretur, in dubia (data hypothesi) cognitione fundatus. Vnde D. Paulus Apost. Act. 17. Athenienses, eo titulo superstitiosos nuncupauit, quòd aram cum dubia illa inscriptione, *Ignoto Deo* erexissent. Quia.n. vt ibidem notauit Chrysost. in eum locum, *Deos etiā extraneos sibi in tutelares adsciuerūt, timentes forsan ne alius esset, quē ignorarent, ipsis quidē nōdum cognitus, qui tm̄ alibi coleretur, propter maiorem securitatē etiā illi altare erexerunt*. Christus quoque Dn̄s Io. 4. ob dubiā, ac falsam cognitionē, Samaritanā de superstitioso cultu conuincit, dicens. *Vos adoratis,*

quod

quod nescitis, nos adoramus, quod scimus, idest, (vt exponit Glossa) *nos Iudæi, non omnes, sed electi adoramus, quod scimus, quia nobis cognitio Dei, testamentum, prophetia commissa*.

12 Cum ergo recta cognitio, quae per syncerā fidem, ex Patrū quoq; doctrinis suscepta habeatur, verique cultus sit directiua, fieri nequaquā pōt, vt nec falsus, vel dubius cultus, ipsorū repugnante sapientia, introduci possit, cū non minus depositū inuadatur, ex errore sapientiae contradicenti, quàm ex falso incertoq; cultu religioni obsistenti, vt impossibile existimetur inducendus alicuius mysterij dubius cultus contra Patrum sapientiam pugnaturus. An fortè putamus contra venerandam Sanctorum caniciem, eorundemque consonans Magisterium, vel magistralem cathedram, diuinam Petri cathedram, altare erecturam? quis nisi dissensionis spiritus id imaginari poterit? Irridebat magnus ille Augustinus lib. 6. de ciuitate Dei cap. 5. Gentiles, quod Ioui, Veneri adulteris sacrificarent, vnde perstrictus Ethnicus, cum M. Varrone triplicem Theologiam distinguebat, fabulosam, Thęatralem, & Ciuilem, hanc ad Philosophos, & Sacerdotes, illas priores ad Poetas, & populares pertinere asseuerans. Sed quid Augustinus cap. 7. *Numquid* (ait) *barbatum Iouem, & imberbem Mercurium Poetæ habent, Pontifices non habent? an aliter stat adorandus in locis sacris, quàm procedit ridendus in theatris?* existimabat vir Sanctus, impossibile esse pro vero Deo coli posse in Templo, quem Poetæ, & theatra dehonestabant, vnde Lactant. lib. 5. cap. 21. clamat. *Qualis hæc religio, aut quanta maiestas, quę adoratur in Templis, & illuditur in thęatris?* Ergo ne possibile erit, vt idem

myſterium in catholica Eccleſia (quæ eſt columna, & firmamentum veritatis) repellatur è Patrum conſenſione, & Magiſterio, & ſtatuatur colendũ in templo? cum Petri cathedra non aliunde, quàm ex traditione dogmata firmet, quibus Patres teſtimonium perhibent, ipſamque definiendi, & depoſiti tradendi poteſtatem Patres tueantur: vnde non niſi ex Patrum magiſterio Sacramentorum numerum, librorum canonicorum catalogum, ipſam quoque Pontificis thyaram, &c. aduerſus impios defendimus. &c.

13 Rationabile ſemper eſt, & erit, Eccleſiæ obſequium in diuino cultu, propterea non formidandum, quod contra Patrum chorum, fideique traditionem ex Patribus manifeſtatam, aliquid ſtatuatur. Scit enim Eccleſia, quod perbellè ſcripſit Chryſol. ſerm. 109. quod *quantum placet obſequium, quod ratione ſubnixum eſt, tantùm quod rationem non habet, exacerbat. Rationabile obſequium* (ſubdit) *eſt, quod non præſumptione turbatur, non temeritate confunditur, non violatur illicitis, non ſimulatione fucatur*, & de irrationabili dicit, quod *feruor eſt, furor eſt, quod ratione non frenatur. Hinc Iudaicus populus dum ſibi præter rationem quærit Deũ, Deum cui cum ratione ſeruiebat, amiſit, &c.* Et quõ, vt ſcripſit Clemens Alexand. 7. Strom. *In bello non eſt deſerendus ordo, quem dedit Imperator militi; ita non deſerendus ordo, quem dedit verbum vitæ, & Apoſtolica diſciplina* de ſeruando depoſito. *State*, ait Apoſtolus, *& tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram*, 2. Theſſal. 2. & ſubdit Clemens, *Vulgus autem, ne hoc quidem examinauit, an ſit ſequendus aliquis, & quiſnam hic, & quemadmodum.*


dum. Quare spernentibus veterum magisterium, & gloriam quoque aucupantibus quibusdam nouitiolis, (qui super senes sapere gloriantur, & primas Patrum cathedras ambientes, nec dedignatur esse secundi) illud dici potest, quod quidam Philosophus dixit Megarensibus, ex Clemente Alexandrino, videlicet, *Vos autem Megarenses*, inquit Theognis, *neque tertij, neque quarti, neque duodecimi estis, neque in ratione, nec in numero. Sed tamquam puluis quam proijcit ventus à facie terræ, & tamquam stilla à cado.* Hæc Strom. lib. 7. in fine.





CAPVT XVII.

In explicatione, vel definitione dogmatũ, non expectant Romani Pontifices nouas, & immediatas reuelationes, sed ex depositi inspectione, Spiritu sancto assistente, illustrante, dirigente, tamquam legitimi iudices, & Critirion quod, decernunt, & definiunt.

1 N dirimendis verò religionis controuersiis, constans est orthodoxorum sententia, Summum Pontificem spiritu Prophetico non afflari, nec immediatas reuelationes expectare. Quare impiè sugillatur, quòd nouis reuelationibus instructus, decreta fidei condat, quęstiones fidei dirimat; semel enim hoc admisso, difficilè Gentilis, vel nostrorum temporũ Euthusiasta de Anabaptistarum castris, Enthusiasmis abrenunciabit, putabit enim denuò introduci *horrenda, & caliginosa Hecatæ spectra, Trophonijque subterraneas imposturas, & vaticinia, aut Dodonęæ quercus deliramenta, aut Delphica tripodis prę-stigias*, aut fatidicos Castalij fontis latices, & similia, quae omnia, *hoc vnum* (vt scribit Nazianz. oratione in ss. lumina) *vaticinari minimè potuerunt, nimirum forè, vt in perpetuum consilerent.*

9. Verum

2 Verum tamen est, & nullum sacrarum literarum peritum effugit, Israeliticam gentem ad Deum confugere solitam ad illum consulendum, & oracula postulandum, vel per visiones, & somnia, vel per Prophetas, vel per Sacerdotes, seu per Pontificem, qui indutus Ephod, consulebat Deum Num. 17. cui vel dabantur responsa per Angelum humana voce loquentem, vel per schedam, vel per gemmas, quas gestabat in pectore, coloris immutatione, vt tradit Iosephus. Sed distinguendum est de rebus, & negotiis gerendis, & de caussis legalibus, & religionis. In his enim immediatè ab ore Sacerdotis pendebant absque alia reuelatione: vnde sub capitali pœna in eiusdem religionis controuersiis, Sacerdotem adire tenebantur Israelitæ, de ore eius decisionem expectando, & iudicium Sacerdotis non detrectando, Deut. 17. vbi dicitur, *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto iudicis morietur homo ille, &c.* Vnde Malach. 2. dicitur. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius, &c.* In illis verò accedebant ad Pontificem, res tamen gerendae Deo proponebantur, & ex diuino responso, vel impediebantur, vel executioni demandabantur: vnde Num. 27. dicitur. *Pro hoc si quid agendum erit Eleazar Sacerdos consulet Dominum: ad verbum eius ingredietur, & egredietur ipse, & omnes filij Israel cum eo, & cętera multitudo.* Solus Moyses, qui Pontifex extraordinarius erat, in deserto omnes controuersias in populo ortas terminabat, postea ad leuamen additi sunt Tribuni, Centuriones, Quinquagenarii, Decani minora iudicantes, maiora ad Moysem remittentes. Ad maiorem decorem quoque 70. Seniores electi, qui in grauioribus causis illi assisterent,

rent, Spiritu Moysis iisdem impertito, ad gubernationē populi,& controuersias dirimendas. Num. 11. Et præter hęc solus Moyses multas cōtrouersias ad religionem spectantes, Deo consulto, & responso eius accepto, terminabat. Talis fuit quæstio, quid faciendum de ijs, qui propter immunditiam legalem non poterāt celebrare Pascha, Num. 9. Qua pœna plectendus, qui ligna die Sabbato colligeret, Num. 15. An filię Salphadad possent habere hereditatem. Cæteri verò Sūmi Sacerdotes, ex lege.l. traditione, absque noua reuelatione, legis controuersias dirimebant, diuina assistentia illos ad infallibilem decisionem dirigente. Quid ita? quia Moyses legislator cōstitutus est à Deo, & Spiritu prophetico dotatus: vnde, sicut & cęteri Prophetæ, & scriptores Canonici, immediata reuelatione Dei illustrabatur; omnes enim huiusmodi reuelationes ad fidei firmamenta pertinebant, quae collocare debebant, quotquot ministri sermonis, & verbi reuelati à Deo destinabantur. Vnde Hier. in Ezech. 40. dicit de Ecclesia, quòd *cęmentarij sunt Angeli, imperio Dei ministrantes, Item Moyses, & omnes Prophetæ, & Apostoli, qui in ædificatione Ciuitatis Dei adiutores & ministri sunt voluntatis Dominicę, vnde, & Apostolus. Dei agricultura, Dei ædificatio sumus.* Cęterum Sūmi Sacerdotes, qui ex lege, vel arcana traditione, cōtrouersias religionis, absque nouo oraculo, sed diuinitus directi, terminabant, ædificio superextruentes. Ad publicarum verò rerum vsum, in ijsdem consulendi Dominum authoritas remansit, & iuxta decretum tunc editum (cum Magistratus, & ministrorum ratio in Arabiæ montibus constituta fuit) vt nihil magni, ac noui ad Rempublicam spectantis negotij statueretur,

tur, nisi diuinum de eo consilium Summo Sacerdote oratore, & interprete haberetur. Ad eundem Pontificem, maximè in bellicis expeditionibus, oracula diuina præstolantes Israelitæ confugiebant.

3 In his autem Politicis negotijs, tales consultationes concessit diuinissimo consilio diuina maiestas, vt auferretur ab idololatra populo occasio idololatrādi, & superstitiones exercendi; si enim ijs consultentibus de temporalibus, & sensibilibus bonis, (quibus populus ille carnalis auidissimè inhiabat) non esset diuinitus responsum, Ariolos, diuinos, & phythones consuluisset, sicut propter hanc ipsam causam (ait Iustinus dialog. contra Triphonem) *dum Deum de Sabbathis, & oblationibus*, eisdem, *sanctiones tulisse*, scriptura demonstrat. Accedit quod Iudæorum ætas ex Chrysostomo pueritiæ assimilata est (homil. 4. in c. 1. ad Colossens.) sensibilibus ergo vocibus Iudaicus populus instruendus erat, & visibilibus oraculis in officio detinendus, qui sensibilia bona iam tenaciter, velut puerulus affectabat. Ob hæc (ait sanctus Chrysostomus) *Quomodo pueris solet præfici litterator, ita Iudæis Moysem præposuit, & his quæ pueris solent, illis fecit adumbrans ac pingens, vt nos solemus elementa. Nam vmbram, inquit, futurorum bonorum lex habens, non ipsam imaginem rerum; & quemadmodum pueris placentas emimus, & pecuniam damus, vnum hoc ab ipsis exigentes interea, in disciplinam vt eant; ita, & Deus tum fecit, & diuitias dedit, & delicias, vnum ab ipsis dumtaxat per multam remissionem, & indulgentiam mercatus, vt Moysem audirent, propterea tradit eos præceptori, ne se, tanquam beneuolum, & indulgentem patrem, contemnerent.*

4 Quia

4 Quia verò non sumus iam sub pędagogia, in lege gratiæ, sed multa (vt ait idem S.) *iam tractabilitas, multa vbique plantata virtus, ideò abstulit huiusmodi delicias; nec eiusdem virtutis est viris imperare iam philosophantibus, & pueris praeesse, rationis industriam non dum consecutis*. Ablactandus ergo erat sub lege gratiæ Dei populus, & intelligibilibus, nō sensibilibus oraculis à summo Sacerdote, in ijs quæ diuina concernunt (cæteris negotiis politicis prudentiæ humanę, & diuinæ prouidentiæ commissis) infallibiliter erudiendus.

5 Sed & huius rei altera non leuis est causa, quòd ob honorem sui Vicarij non illum ad templa, ad oracula suscipienda destinat, sed in ipso tanquam in templo, occulta inspiratione, fidei oracula dictat, vt non per Angelos, per quos Deus hominibus loquebatur, homo erudiretur, sed homo per hominem. Certè (ait S. Augușt. lib. 1. de doctrina Christiana in proemio) *abiecta satis esset humana conditio, si per homines hominibus verbum suū Deus ministrare nolle videretur: quomodo enim verum esset quod dictum est; Templum enim Dei sanctum est quod estis vos, si Deus de humano templo responsa non redderet, & totum quod discendum hominibus tradi vellet, de Cœlo atque per Angelos personaret?* multò magis, vt Pontificis maiestatem decoraret, non per Angelos, per quos factus est antiquus sermo, sed se ipso inuisibiliter docente, per suum Vicarium, hominem similem nobis in conditione naturæ, in dono, & priuilegio super excedentem, voluit hōmines erudiri; *Et nunquid Angelus de Cœlo veniens, erat nescius docere Cornelium, quem videlicet, vt id quod sibi agendum esset edisceret, destinauit ad Petrum. Poterat*

rat planè, s. Angelus docere hominem Gentilem, quid sibi opus esset ad salutem (ait Maximus Constantinopolitanus epistola ad Orientales) sed ob honorem humanæ naturæ, id nequaquam pręstitit: propterea (ait August. ibidem) *Centurionem Cornelium, quamuis exauditas orationes eius, eleemosynasque respectas, ei Angelus nunciauerit; Petro tamen traditum imbuendum, per quem non solum Sacramenta perciperet, sed etiam quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset, audiret*; & vt dicit idem Maximus. *Angelus eius nolebat vsurpare officium, cui docendi magisterium fuerat commissum.* Vide Petrum Damian. opusc. 30. c. 1. eandem rationem reddentem.

6 Accedit, quod S. Petrus Princeps Apostolorum in sua confessione, non ab hominibus, neque ab Angelis fuit instructus; sed vt dicit S. Leo homil. 1. de Transfiguratione, *per reuelationem Summi Patris corporea superans, vidit mentis oculis Filium Dei viui, & confessus est gloriam Deitatis, quia non ad solam respexit carnis substantiam, & sanguinis, vnde audiuit. Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi*: hoc est (ex eodem Leone serm. 3. de die anniuersar. assumptionis suæ ad Pontificatum) *Pater meus te docuit, nec terrena opinio fefellit, sed inspiratio cęlestis instruxit*. Vnde in Concilio Hierosolymitano, nō immediata reuelatione per Angelos facta vsus, sed Spiritus sancti suggestione decretum firmauit, ne oracula ab Angelis susciperet, iisque subijceretur, qui erat Vicarius illius, qui omnia sibi subiecerat. Vnde ait: *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Similiter (vt dicit Euseb. in Ecclesiastica Hist. lib. 2. c. 13.) *Cum Petrus Apostolus diuina Spiritus sancti reuelatione suggerente intel-*

intelligeret, Euangelium Marci editum esse, ferunt eum propenso, & acri illorum hominum studio, magnopere fuisse delectatum, hancque scripturam authoritate sua ratam fecisse, quæ in Ecclesijs passim prælegeretur. Vide quod nec in proponendis scripturis Ecclesię Catholicæ Angelorum ministerio, vel oraculis ab ijsdem delatis vsus sit; normam successoribus tribuens, non oportere Angelos pręstolari, quos Deus admirabili inspiratione instruit, & illustrat: Propterea S. Maximus ad orientales, ait, quod, *Omnes Catholici in potestatem Romanorum Pontificum, tanquam in solem, respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ, & Apostolicæ Fidei recipiunt: nec immeritò, quia Petrus legitur primo perfectam fidem esse confessus, Domino reuelante.* Vnde tantæ dignitatis virum non ab alio cęlestis mysterij arcana requirere fas erat, *nisi ab eo potissimum, quem non potuit caro, & sanguis instruere, sed cui Dominus ipse, sua secreta dignatus est aperire;* & postea. *Hunc enim de cæteris mortalibus ex toto terrarum orbe conditor orbis elegit, cui Cathedram magisterij principaliter possidendam tenere, perpetuo priuilegij iure concessit, vt quisquis diuinum aliquid, aut profundum nosse desiderat, ad huius præceptionis oraculum doctrinamque recurrat, nec illi humiliter referre quod soluendum est erubescat, etiam si ipse, quod quæritur, non ignoret.* Vt ergo satis superque Petrus illustratus, & à Deo illuminatus Angelis non est traditus erudiendus, sed interius à Deo edoctus est, & *constitutus* (vt dicit Basilius Seleuc. serm. 4. in Dauid) *Eorum quæ à Patre reuelantur, interpres diligentissimus;* sic, & successores eius non oportet Angelos expectare, vel populos eosdem ad Angelos destinare, cum eadem sit præfectura

Petri,

Petri,& magisterium eius,& successorum. Vnde non opus est reuelationes quærere,sed his (vt dicit Chrysol.ep.ad Eutychetem) *Quæ à Beatissimo Papa Romanæ Ciuitatis præscripta sunt, obedienter attendere, quoniam B.Petrus qui in propria Sede, & viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.*

7 Præterea reuelationes factę Patribus, & Prophetis per Angelos, ad ipsa fundamenta fidei pertinent, sicut & in lege gratię ea quæ vnigenitus Dei Filius Apostolis enarrauit,& Spiritus sanctus,quę Apostoli portare non poterant,eisdem suggessit, & reuelauit: cum ergo rursus fidei fundamenta non sit construenda, nouas reuelationes per Angelos factas, vel immediatas, & expressas, nullo modo dicendum est Pontificem expectare.

8 Ad hęc: etiam dubitatio oriretur,quę in examen vocaretur à perfidia, num verę, vel falsę sint reuelationes,num ab Angelo lucis,vel à dęmone sint, trãsfigurato in Angelum Lucis. Prętere aopus esset respectu Pontificis reuelationem habentis, ponere in eo aliud donum discretionis spirituum, & sic multiplicare Spiritus sancti dona sine necessitate. Pręterquam quod,ex huiusmodi reuelatione causaretur euidentia in attestante,sicut facta fuit Prophetis,& Apostolis, quę omnia gratis, & sine fundamento in Pontifice ponerentur. Accedit quod huiusmodi donis afflati Prophetę miraculis comprobabant se esse missos, vt patres fidei haberentur. Ergo necesse esset id quoque miraculis comprobari, quod nouas reuelationes Pontifices habeant. Tandem ex S.Tho.2.sent.d.11. a.1. ad. 6. apparitiones visibiles Angelorum eò quod sunt supra cursum naturę, *Stuporem quendam incutiunt,*

tiunt,& quodammodo violenter incutiunt ad consensum, in quo perit aliquod bonum hominis,quantum ad conditionem naturę, quod est inquisitio rationis: at in definiendo magna fit conquisitio, vt facta est in Hierosolymitano Concilio Actorum cap. 15. nec enim excluduntur discursus in definitionibus fidei; & prætereà fiunt ad confirmationem fidei (ait S. Doct.) huiusmodi reuelationes, & de diffinitione fidei tractatur, quæ ad positionem fidei pertinet, non confirmationem; non ergo ad reuelationes nouas ministerio Angelorum factas confugiunt Pontifices, ne ab hostibus fidei Gentilibus, & hęreticis illudamur. Infallibilitas verò ista definiendi, à quo fonte dimanet operosius discutiendum est, vt infidelium inquisitioni satisfiat.

9 Trepidandum certè esset, quod vnus homo similis nobis, de fide definiat, *nisi non dormitaret neque obdormiret qui custodit Israel*, (vt loquar cum S. Leone PP. sermon. de natali suo) *& qui discipulis suis ait, ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem sęculi; nisi dignaretur non solum custos ouium, sed ipsorum etiam pastor esse pastorum, qui corporeo quidem intuitu non videtur, sed spiritali corde sentitur, absens carne qua potuit esse conspicuus, præsens deitate, qua vbique semper est totus*; Et mox. *Adest igitur dilectissimi quod non temerè, sed fideliter confitemur, in medio credentium Dominus Iesus Christus, & quamuis ad dexteram Dei Patris sedeat, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum, non deest tamen Pontifex Summus à suorum congregatione Pontificum; meritò illi totius Ecclesiæ, & omnium Sacerdotum ore cantatur. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Ipse enim

verus

verus *est antistes, cuius administratio nec commutationem potest habere, nec finem, &c. cuius Sacerdotium Pater non secundum ordinem Aaron cum legis tempore traditurum, sed secundum ordinem Melchisedech, perenniter celebrandum, cum firmamento insolubilibus iuramentis instituit*; Et mox. *Piè, & veraciter confitemur, quod opus ministerij nostri in omnibus, quæ recta agimus, Christus exequitur, & non in nobis qui sine illo nihil possumus, sed in ipso, quod possibilitas nostra est, gloriamur*. Hæc S. Leo. Christi Domini assistentiam in Ecclesia diuinis eloquijs manifestatam profitendo, nedum generaliter fidelibus, & vniuersę Ecclesię communem (vt ponderauit Aug. ep. 80. ad Hesychium) sed Pontificibus specialem, quę assistentia, nedum se habet, vt remouens prohibens, & in extrinseca solum manutenentia (sicuti extrinseca quadam assistentia, & gubernatione dirigit Deus confirmatos in gratia) &c. sed in Pontifice aliquid operando, sicut principale agens operatur in instrumento, vnde merito S. Leo Christum Dominum principalem agentem agnouit, *pastorem pastorum* appellando, eundemq; in Romano Pontifice *exequi opus ministeriale* pronunciauit. Sicut ergo Christus Dominus est, qui principaliter baptizat, ipse est qui principaliter definit, & sicut vt docet Aug. 3. contra Donat c. 10. in Sacramento suo diuina virtus assistit; ita in ministro suo, Romano Pontifice, ne à scopo suo aberret, diuina virtus assistit, & operatur. Coniungit etiam Leo diuinæ protectioni, & assistentię vigilantissimam Petri curam erga Romanam Ecclesiam eodem loco dicens. *Cernitur non solum Apostolica, sed etiam Episcopalis Beatissimi Petri dignitas, qui Sedi suæ præesse non desinit, & indeficiens*

ficiens obtinet cum æterno Sacerdote consortium: soliditas enim illa, quam de Petra Christo etiam ipse Petra factus, accepit, in suos quoque se transfundit hæredes, & vbicunque aliquid ostenditur firmitatis, non indubiè apparet fortitudo Pastoris. Differentia tamen apertissima cernitur inter Christi vigilantiam, & assistentiam, &, erga Ecclesiam, Petri sollicitudinem. Petri namque vicaria est morales terminos non excedens, nempè per merita, & orationes: Christi vero Domini nedum interpellando iugiter pro Ecclesia, & merita communicando, sed etiam efficienter mouendo Pontificem ad Hierarchicas actiones exercendas. Vnde de Petro subdit Leo. *Nam si omnibus ferè vbique martyribus pro susceptarum tolerantia passionum, hoc ad merita ipsorum manifestanda donatum est, opem periclitantibus ferre, morbos abigere: quis gloriæ B. Petri tam imperitus erit, aut tam inuidus æstimator, qui vllas Ecclesiæ partes non ipsius sollicitudine regi, non ipsius ope credat augeri? &c.* De summo vero Hierarcha Deo, etiam dicit Dionysius, lib. de Ecclesiastica Hierarchia, quod Sacerdotibus vtendum virtutibus Hiararchicis, prout diuinitas eos mouerit.

10 Quis vero sit motus iste, discutiendum est, an sit ex parte intellectus, an vero ex parte voluntatis. Si ex sola illustratione diuina sit ista infallibilitas, aliquod donum ex parte intellectus meditari oportet, quo Pontificis in definiendo fiat infallibilis ista directio. Sciendum ergo ex Apostolo Eph. 4. in Ecclesia dari gratias, & dona Spiritus sancti, iuxta *mensuram donationis Christi*, vnde, & propter hoc ait *ascendit in altum, &c. Dedit dona hominibus*, & mox, *& ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas,*

tas, quosdam verò Euangelistas, quosdam autem Pastores, & Doctores, quod exponens August. 15. de Trinit. c. 19. ait: *ecce quare dicta sunt dona, quia sicut alibi dicit. Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ, &c. hic autem adiunxit: ad consumationem SS. in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi*, interpetratio ergo sermonum, sermo sciëtiæ, sermo sapientiæ, &c. dona sunt Ecclesiæ collata, & ad hunc effectum, instituti Apostoli, Prophetæ, Pastores, & Doctores, vnde alia gratia est Apostolorum, alia Prophetarum, alia Pastorum, & Doctorum. Vnde (vt rectè Anselmus, vel quicunque sit author eius commentarij) aduertit quatuor regentium ordines positos, Petrum, & Andream, virosque tales, qui omnibus alijs maiores erant, habentes officium prædicationis, & per se tradentes alijs, quorum nunc locum Apostolicum Primates, & Archiepiscopi tenent in Ecclesia; Prophetas qui ventura prædicarent etiam sub nouo testamento, sicut Agabum, sibique similes, quorum nunc locum tenent qui scripturas interpretantur. Euangelistas, sicut Lucam, &c. qui Euangelium ad posteros scriptum transmiserunt, vel etiam qui Euangelium prædicabãt. Pastores, & Doctores, Episcopos vel præsbyteros sibi inuicem succedentes (ait inferius) vsque ad consumationem ministerij. Quare cum Summus Pontifex Petro succedat, & sit Episcoporum Episcopus, sapientię, scientiæ, interpretationis gratia authoritatiuè, præcęteris donatus est inferioribus pastoribus, ex Christi mensura, quæ ex fine nempè vnitate fidei, eiusdemque stabilitate hęc omnia admirabili symmetria ordinauit. Dixi authoritatiuè, nam quantum ad priuatam intelligentiam potest esse excessus in inferioribus, v3. in

Doctoribus Ecclesiæ qui multis Pontificibus fuere doctiores.

11 Eandem authoritatem Apostoli exponēs Tertull. 5. contra Marcionem c. 5. ait, ex Ascensione Christi data filijs hominum *Donatiua, quæ charismata dicimus*, & cum plenitudine prius in Christo consedisse, & ad hoc propositum citat Esaiam Prophetam dicentem c. 11. & *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus*, (vt ipse legit) *Sapientiæ, & intelligentiæ, Spiritus consil j, & valentiæ, & Spiritus agnitionis, & religionis; Spiritus eum repleuit timoris Domini*, & postea. *Compara denique species Apostoli, & Esaiæ. Alij, inquit, datur per spiritum sermo sapientiæ: statim Esaias spiritum sapientiæ posuit. Alij sermo scientiæ, hic erit sermo intelligentiæ, & consilij: alij fides in eodem Spiritu, hic erit Spiritus religionis, & timoris Dei: alij donum curationum, alii virtutum; hic erit valentiæ Spiritus: alij prophetia: alij discretio Spirituum: alij genera linguarum; hic erit agnitionis Spiritus. Vide*, subdit, *Apostolum, & in distributione facienda vnius Spiritus, & in specialitate interpretanda Prophetæ conspirātem*; Et vbi requieuit in Christo, & per Christum in Ecclesia, videmus (vt idem eodem Cap. obseruauit) *Concessare, & finem facere, quantum ad Iudæos, sicut & res ipsa testatur, nihil exinde spirante penes illos Spiritu creatoris, ablato à Iudæa sapiente, & prudente architecto, & Consiliario, & Propheta, vt hoc sit: lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem*: permanentibus nihilominus Apostolorum successoribus, Pastoribus, & Doctoribus vsque ad consumationem sęculi, &c. vnde idem Tertull. ibidem *eleganter* charismata *filijs hominum* data, non *passim hominibus, idest verè hominum Apostolorum, hæc ille c. 8.*

12 Per-

12 Permanentibus ergo à Christo diffluentibus donis in suis ministris, vsque in finem, nempè, spiritu consilij, intelligentiæ, & sapientiæ, in capite præsertim visibili Summo Romano Pontifice, vbi residet plenitudo Ecclesiasticę potestatis, superexcellenter, omninò dicendum est residere, cum ex inspectione Apostolici depositi pronunciat, & ex fidei superexcellentia (qua Christus rogauit ne deficeret) ex sapientia, & scientia, & interpretationis dono moueri; non prout hęc, quę recenset Esaias septem dona, sint dona Spiritus sancti (quę gratię gratiam facienti coniunguntur, secundum quę anima est mobilis à Spiritu sancto, vt homo sequatur instinctum diuinum in ordine ad finem supernaturalem ex. 1.2.q.78.) sed pro ut (Tertull. interprete) correspondent gratijs gratis datis, secundum quas, etiam diuinitus mouetur Pontifex ad quęstiones fidei dirimendas, & scripturas interpretandas.

13 An vero Prophetię dono Pontifex illustretur in decisione controuersiarum religionis, differendum est. S.Thom. in quodlibet.9. a.16. sic dicit, *magis standũ est sententię Papa, ad quem pertinet determinare de fide, quàm in iudicio profert quã quorũlibet Sapientũ hominũ in scripturis opinion; cum Caiphas, quãuis nequã, tamen quia Pontifex legatur etiam inscius prophetasse*, vnde videtur docere tangi Pontificem instinctu prophetico ad huiusmodi definitiones, arguens à minori ad maius, à Synagogæ Pontifice ad Hierarcham Ecclesiæ; & ne videatur doctrina S.Thomę patrocinio SS.Patrum destituta, audi quid dicat Chrysost. homil.64. in Ioan. *Vides quanta sit Pontificalis potestatis virtus. Os tantum gratia, non etiam scelestum cor attigit,*

tigit, & licet venales facti essent tunc principatus, & annuum factum Sacerdotium: *Verùtamen* (ait Chrys.) *etiam sic aderat adhuc Spiritus. Postquam autem in Christum manum extenderunt, tunc eos dereliquit, & abijt ad Apostolos*, & S. Aug. 16. contra Faust. c. 22. vbi cum de Moyse dixisset, quod prophetãdo de Christo erat *Fidelissimus dispensator prophetici Sacramenti, idest illius Sacerdotalis chrismatis, vnde Christi nomen agnouimus*, subdit. *In quo sacramento, quamuis homo pessimus Caiphas, etiam nesciens potuit prophetare. Hoc quippè in eo egit propheticum chrisma, vt prophetaret, hoc autem vita impia, vt nesciens prophetaret*; & in tract. 49. in Ioannem explicans ea verba: *Cum esset Pontifex anni illius* sic dicit. *Hic docemur, etiam homines malos prophetare, Spiritu futura prædicere: quod tamen Euangelista diuino tribuit Sacramento, quia Pontifex fuit.*

14 Sed quid Caluinus in Romanos Pontifices debacchatur in Harmonia hunc locum exponens? *plusquam ridiculi sunt Papistæ, qui ex hoc Caipha exemplo colligunt, habendum esse pro oraculo, quicquid Romanus Pontifex effutire libuerit.* Quis Catholicus hoc somniauit? solum colligunt ex Patribus, diuino instinctu regi, ne in iudicio erret os eius, Deo promittente, qui in Cathedra vnitatis posuit doctrinam veritatis, faciendo plebem suam securam de malis pastoribus in qua etiam malos bona dicere cogit, vt dicit August.

15 Addit, & impius calumniæ, insulsas, & falsas ratiocinationes. *Primum, vt illis demus, Prophetam semper esse quisquis est Summus Sacerdos, probare tamen necesse est Romanum Pontificum mandato Dei creari: nam Sacerdotium vnius hominis, Christi Aduentu abolitum*

fuit,

fuit, neque vsquam legimus diuinitus praescriptum fuisse, vt vnus quispiam toti Ecclesiae praeesset. Non accipimus quod non damus, non enim dicimus Summum Sacerdotem in rigore Prophetam esse, sed spiritus instinctu prophetico, vera dicere concedimus; mandato verò Dei creari, vel ipsis scripturis manifestis agnoscat, & euincatur ijs verbis Euangelicis. *Pasce oues meas.* Vbi Prępositus etiam Apostolorum, Petrus agnoscitur à Patribus, &c.

16 Prosequitur impostor & alias calumnias. *Vt hoc quoque secundo illis demus, ius, & honorem Pontificis ad Romanos Episcopos translatum esse, videndum quid Sacerdotibus profuerit, quomodo Caiphae vaticinium amplexi sunt: vt subscribant illius sententiae, conspirant in mortem Christi. Procul verò,* subdit, *à nobis facessat talis obedientia, quae nos ad horribilem apostasiam, Filium Dei abnegando, impellat. Eadem voce blasphemat, & simul prophetat Caiphas. Qui eius dicto obsequuntur cōtempta prophetia, blasphemiam arripiunt. Idem ne contingat nobis cauendum, si Romanum Caipham audiuerimus, aliàs similitudo claudicaret, &c.* Sed errat impius, non discernendo quid ex Dei instinctu, quid ex humana malitia factum est, & adeo etiam hebes ingenio, vt eius ratio nesciat distinguere, quod natura coniungit. In Christi enim Domini morte, actio, & passio distinguuntur, vnde Sanctus Leo Papa ser. 16. explicans illud Act. 4. *Conuenerunt aduersus puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Israel, facere quae manus tua, & consilium tuum decreuerunt, fieri,* ait, *Multū diuersum, multumq; contrarium est, id quod in malignitate Iudęorum est pracognitum, & quod in Christi est passione dispositum,*

non inde proceſſit voluntas interficiendi, vnde moriendi, nec de vno extitit ſpiritu atrocitas ſceleris, & tolerantia Redemptoris, &c. Nihil ergo profuit Iudęis, quòd conſpirarint in mortem Chriſti, & Caiphę obſequerẽtur, nam iniquitati conſenſerunt. Cęterum, in eo, quod eſt diuino conſilio diſpoſitum Caiphas diuinitus motus eſt, qui, & diuini decreti extitit promulgator. Vnde diuerſa ratio eſt audire Caipham perſequentem, & venerari ſententiam in Conciſtorio Sanctiſs. Triadis ab eodem promulgatam, expedire pro ſalute generis humani, *vnum mori hominem pro populo*, &c. Quare non per omnia ſimile eſt, quod in decretis Rom. Pontificis promulgatur, diuino inſtinctu, & quod in Iudęorum Concilio factum eſt. Propterea non neceſſe eſt doctrinam Pontificis facto Caiphæ per omnia aſſimilari.

17 At inſulſiora profert. *Quæro præterea, an quia ſemel prophetauit Caiphas ſingula Pontificis verba totidem ſint Prophetiæ?* At qui *paulo poſt, ſummum, ac præcipuum fidei noſtræ caput blaſphemia damnauit. Vnde colligimus, quod nunc Euangeliſta refert, extraordinarium fuiſſe, ac præpoſterè in exemplum trahi.* Non extraordinariè, ſed ex ſacramento Pontificalis ordinis prophetaſſe dixerunt Patres citati, & cauſalem ſatis apertam reddit Euangeliſta, dicens, *Cum eſſet Pontifex prophetauit.* Non extraordinaria erat Sacerdotis functio. Sacerdos enim requiſitus dubijs legis infallibiliter reſpõdebat Deut. 17. vbi dicitur, *ſi difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam lepram, & non lepram, &c. Surge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, &*

ad

ad iudicem qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, &c. vbi nota quod in iudicio lepræ, ait S.Thom.p.2.q.103.ar.2.ad 3. Sacerdos constituebatur iudex lepræ mundatæ, non autem emundandæ, & subdit. *Dicunt tamen, quod quandoque si contingeret Sacerdotem errare in iudicando, miraculosè leprosus mundabatur à Deo, virtute Diuina, non autem sacrificiorum*, puto ne redderet irritum verbū Sacerdotis, ne error promulgaretur, aliorum præiudicio. Sed & Malachiæ c.2. absolutè dicitur, *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt de ore eius, qui Angelus Domini exercituum est*. Taceat ergo impius, qui ex nequitia Caiphæ, lepram, & errorem vult impingere Summo Pontifici Romano, & ex Caiphę casu cum sua synagoga, totius Ecclesiæ Catholicę defectionem sibi, & suis asseclis fumos vendens, inaniter nititur suadere.

18 Quamuis autem prophetasse dicatur Caiphas, tamen non sequitur, quod fuerit Propheta, sicut nec sequitur, quod Pontifex infallibiliter à Spiritu sancto motus definiens, propterea Propheta sit, quod & aduertit Origenes apud S.Thom. cap. 11. in Ioannem lect.7. Vnde sciēdum ex eodem S.Doctore 2.2.q.173. ar.4. tunc est aliquis Propheta, cum cognoscit se moueri à Spiritu sancto ad aliquid æstimandum, vel significandum verbo, vel facto, hoc enim propriè ad prophetiam pertinet: cum autem mouetur, sed non cognoscit, non est prophetia perfectè, sed quidam instinctus propheticus. Vnde idem S.Doctor dicit, quod infimus gradus est prophetiæ, cum aliquis ex exteriori instinctu mouetur ad aliqua exterius facienda, sicut de Samsone dicitur, quòd *irruit Spiritus Domini in*

eum

eum,& sicut solent ad ardorem ignis ligna consumi, ita, & vincula quibus ligatus erat, dissipati sunt, & soluta. ita & milites, qui diuidentes vestem Christi, non intelligebant quid significaret: similiter, & Caiphas, quæ dixit non cognouit, ex eodem S.Thom. in arg. sed contra, & ex Patribus citatis. Et in definitionibus rerum spectantium ad religionem (ait S.Tho. loco allegato in 9. quodlib. ar. 16. Papa certificatur ex instinctu Spiritus sancti, *Qui scrutatur omnia etiã profunda Dei.*

19 Ad penetrandum verò naturam huius instinctus supernaturalis, ex instinctu naturali manuduci nos oportet. Est autem huiusmodi instinctus (ex Philosopho de bona fortuna) naturalis impetus, siue impulsus factus in anima hominis, non directi aliqua humana ratione, vel prudentia ad aliquid operandum, seu opertum vel abditum aliquod consequendum, vnde nec solum impetus bene fortunatorum reducuntur in Deum vt primam causam, sed & omnes primæ intellectiuæ consiliationes, & volitiones, (ne detur progressus in infinitum, in intellectionibus, consilijs, & volitionibus) ad eundem reducuntur, tanquam primum eorundem principium. Eodem modo instinctus supernaturalis, est impetus, siue vis supernaturalis, quæ respicit primam causam instigantem, & inducentem mentem ad aliquid agendum, non directam humana ratione, & prudentia, licet hæc sint prærequisita (vt dicetur postea) & propterea sicut in naturalibus intellectus non est primũ principiũ, vt primae intellectiones, & volitiones insurgãt, sed aliquid nobilius intellectu, ad quod se habent intellectus noster, & voluntas, velut organum motum ab isto nobiliori: ita in definitionibus fidei non est ratio, vel con-

silium

ſilium primum principium definitionis, ſed aliquid nobilius,quod eſt Deus, cui tanquam organum,mens, & voluntas Pontificis ſubijciuntur.

20 Verum quia moti ex ſolo inſtinctu,potius agi quã regi videntur,& ex doctrina S. Auguſtini lib. de geſtis Pelagij contra aduerſarios gratiae diſputantis,plus eſt agi quam regi,qui enim regitur aliquid agit, & à Deo regitur,vt agat,qui enim agitur aliquid agere vix intelligitur,tamen quia (vt ibidem ſubiungit Auguſtinus) tám præeſt voluntatibus rationis gratia Saluatoris, vt non dubitet Apoſtolus dicere, *Quotquot Spiritu Dei aguntur,hi ſunt filij Dei*,nedum regi, ſed & agi dicendum eſt Romanos Pontifices definiendo. Regi quidẽ, quia aliquid agunt,ſuppoſito primo inſtinctu ad conſiliandum,ad intelligendum. Ad volendum vero definitionem aguntur quoque, vt agant, eo modo, vt Auguſt.explicat hũc locum Apoſtoli de motis à Deo ad rectè operandum,quod aguntur,non vt nihil agãt, ſed vt cum ipſo aliquid agant.Vnde duplex datur Pontificibus Roman. auxilium,vnum ex parte intellectus mentem illuſtrando, aliud ex parte voluntatis eam inclinando: & vtrumque comprehenditur ſub nomine diuinae inſpirationis; nam (vt notat Caiet. 2.2.q. 172.ar.2.) duplex eſt inſpiratio,vna eſt ex parte obiecti,quae ab Angelo etiam fieri poteſt, alia eſt inſpiratio, quæ ab ipſo vocatur *efficax*, quæ eſt ſolius Dei, *cuius eſt* (ait) *efficaciter mouere voluntatem*. & mox ſubdit, *ea non eſt ab Angelo, ſed à Deo immediatè, non per impreſſionem alicuius formæ in voluntatem, ſed per actualem motionem interiorem, qua ſolus ipſe creator voluntatis,poteſt eam cum vult, & quo vult mouere, iuxta illud,ſicut diuiſiones aquarum cor regis in manu*

Domi-

Domini , & quocunque voluerit vertet illud . Hæc Caietanus .

21 Illustratur vero mens Pontificis ex propositione obiecti, quod proponit non solum ab hominibus, & consultoribus, aut ab Angelis,quorum munus est illuminare homines,& præcipuè Proceres Ecclesię, sed, cum sit causa Dei,quę tractatur, ab ipso Deo. Et quidam dixit,ex participatione visionis Dei,fidei Pontificis (est autem fides in intellectu) communicari intrinsecè quandam perfectionem, cuius est participatio, & vicaria,ratione cuius est indefectibilis , aliàs inquit nihil magis intrinsecum haberet fides eius,qui in fide confirmatus est,quam fides alterius,qui non est confirmatus, perseuerat tamen in fide . Et hęc perfectio, subdit, est quidam modus intrinsecus ipsiusmet fidei cōfirmatę, nō vt est fides singularis personę, sed vt est fides capitis,quia est fides Summi Pontificis definientis,à quo pēdet fides totius Ecclesię,qualis est Cōcilij legitimè definientis aliquam veritatem : simile afferūt de gratia Christi , quę vt est gratia capitis, habet aliquam intrinsecam perfectionem (quam tamen nō habet gratia singularis hominis)habet enim influere in alios,&c.Et si sequamur hanc dicendi viam,quod illustratio ista sit ex fidei hac perfectione intrinseca,dicendum est : quod cum ab Apostolo recensetur inter gratias gratis datas *fides in eodem spiritu*, non quidem illa, quę est virtus Theologalis, quę est communis omnibus fidelibus,sed (vt dicit S.Thom.in 1.ad Cor. cap.12. lectione 2.) ea, quę est sermo fidei,prout homo potest proponere, quę fidei sunt , vel certitudo fidei,quā quis habet excellenter, vt dicitur Matth.15. *ò mulier magna est fides tua;* quod donum multo magis

gis in Summo Pontifice datur sermo videlicet fidei, quem præponere debet fidelibus,cum superexcellenti certitudine,cum sit confirmator fratrum.Et sicut omnibus fidelibus,vt credant, & accipiant credenda, datur vnctio spiritus,vnde scripsit Ioannes 1.ep. 2. *Vnctio docet vos de omnibus* (nam ex August. in Ioannem c.6.tract.26.magisteria forinsecus fiunt,& adiutoria quędam sunt, & admonitiones, cathedram in cœlo habet,qui intus docet,secundum quam instructionem ex eodem lib.de agone christiano, fidelis decipi non potest,*& quamuis hæreses nesciat, tamen hæreticis respondere potest*,nempè ex notissima regula fidei)multo magis Pontifex vnctione docetur,qui fidem tradere debet, & hęreticis respondere potest, ex instructione diuina per gratiam gratis datam superexcellentis fidei, intellectus,scientię, vel sapientiæ, vel interpretationis. Quod si eos Spiritus sāctus instruit,cum respōdendū est tyrannis persequentibus Christum,*dabitur*, inquit, *vobis in illa hora quid loquamini*, multo magis dabitur sapientia tradentibus Christi mysteria, quod primum Romano Pontifici attribuitur. & si scriptum est Prou.10.*Diuinatio in labijs Regis, & in iudicio non errabit os eius*; ex tot cumulatis donis, id tribuendum Pontifici indubitanter est,vt in iudicio fidei nequaquam aberret.

22 Quod si efficacem voluntatis motionem attendamus, ille idem qui habet quocunque voluerit inclinandorum hominum cordium potestatem, & corda Regum, quę maximè liberrima sunt, quocunque voluerit vertere, sicut diuisiones aquarum, qui cor Assueri ex ira in lenitionē (vt dicit August.2.con.epist. Pelag.cap.20.) occultissima, & efficacissima potestate con-

conuertit;in consignatione depositi multo magis occultissima, & efficacissima potestate ad rectam definitionem inclinat suauiter, & fortiter scopum veritatis attingendo, vt meritò fideli non sit dubitandum, quod in consignatione depositi suppositum numquam sit plumbum pro auro; nam vt scripsit Sanctus Basilius epist.69. (ad Pontificis Romani authoritatem alludens) *Re vera namque suprema felicitate reputandum, quod pietati vestræ à Domino, quæ adultera sunt à probato, & syncero discernere, Patrumque fidem, sine aliquo metu prædicare, datum est.*



CAP.

CAPVT XVIII.

Magna solicitudine, & diligentia curarunt Romani Pontifices controuersias definire ex sacro deposito, ostendendo, & præscribendo quid in deposito recondendum, quid abijciendum.

1 
B initio nascentis Ecclesię id curę fuit Romanæ Sedi, vt cū ad eandem fieret prouocatio in causis fidei, per responsa Apostolica quæstiones sopiret, & terminaret, ad depositum accurrens. *Sic Paulus precō veritatis*, ait Theod. epistol. ad Leonem, *ad magnum Petrum cucurrit*, vt ijs qui *Antiochię de institutis legalibus contendebant, ab ipso afferret solutionem*, illud inferens, *multo magis hi, qui abiecti sunt, & pusilli ad Apostolicā Sedem debent accurrere*, vt Ecclesiarum vlceribus *medicinam, è Petri successore accipiant*. Clemens eius successor Corinthios ad fidem instruxit depositum ostēdens. Victor controuersiam Paschatis ex eodem deposito quantocyus terminare curauit. In causa lapsorū Cyprianus ad Lucium, & Cornelium Rom. Pontifices

ex deposito solutionem accepit; sicut à Stephano solutionem de anabaptismo hęreticorum. Sic à Concilio Sardicensi, Nicęno, &c. Summus Pontifex interpellatus est, vt ex depositi inspectione eorum decreta confirmaret. Idem apparet in Concilijs Prouincialibus, præsertim Diaspolit. Arausic. & Mileuit. &c. quæ in causa Pelagij ad Innocentium, Zosimum, &c. scripserunt; eam laudem reportantibus Patribus, quòd antiquæ regulę normam secuti, maiores Ecclesiæ causas ad Sedem Apostolicam retulissent. Quis omnia numeret? Sed, & cum nouas (contra prædestinationē, & gratiam præsertim) profanasquę voces introduceret Petrus Abailardus, & de Trinitate loquens saperet Arium, de gratia Pelagium, de Christi persona Nestorium, tantummodo Capitula aliquot (honorem deferentes vltimo iudicio Apostolicæ Sedis) Bernardus cum aliquibus Episcopis Gallicanis, à Sanctis Patribus damnata, medicinali necessitate, impia quoque, & ipsi adiudicauerūt, ne morbus serperet. Quia vero Sedem Apostolicam, versutus ille hæresum nouarum sator, interpellarat, & multitudinem interim traheret post se, & populum sibi credentem, & inani iactantia Cardinales, & Clericos Curię discipulos habuisse gloriaretur, ad accelerationem definitionis ex persona Rhemensis Episcopi, his verbis Innocentium Papam flagranti zelo interpellauit. *Oportet* (ait) *ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in Regno Dei, ac præsertim quæ de fide contingūt.* Et postea. *Cui enim alteri aliquando dictum est. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur à Petri successore exigitur, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Id quidē modo necessariū.*

Tem-

Tempus eſt, vt veſtrum agnoſcatis, Pater amantiſſimè, principatum, probetis zelum, miniſterium honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis & fidem, ſi veſtra admonitione corda in fide fluctuantia confirmetis, ſi veſtra authoritate conteratis fidei corruptores. Epiſt. 190.

2 Neceſſitatem vero eiuſmodi definitionis idem Sanctus ad tria capita reducens ad Cardinalem Guidonem (qui poſtea Papa Cęleſtinus) expreſſit, dicens. *Expedit vobis, quibus poteſtas data eſt à Domino: Expedit Eccleſię Chriſti: Expedit illi etiam homini, vt ei ſilentium imponatur.*

Primo decet Pontificis Maieſtatem, ad quem in rebus fidei fit prouocatio, conſultationibus fidelium reſpondere, cum ad ipſum velut Angelum Domini exercituum cōfugiunt, legem eius, & mandata exquirentes; ſic Euariſtus Papa epiſtola ad omnes orthodoxos tom. 1. Concil. *Cogitantibus nobis metum diuini iudicij (fratres chariſsimi) & poſt vitam hanc vnumquemque prout geſſerit recepturum, quid veniat in querelam tacere non licuit, ſed nobis, vobis loqui, neceſſitas imperauit, dicente Propheta. Exalta vt tuba vocem tuā. Et cui Eccleſiarum commiſſa eſt cura, ſi diſſimulem, audiam, Domino dicente, reiecistis mandatum Dei, vt ſtatuatis traditiones veſtras.*

3 Agnouit ſui muneris neceſſitatem Soter, qui in epiſtola 2. ſic ſcripſit. *Diuinis præceptis, & Apoſtolicis monitis informamur, vt pro omnium Eccleſiarum ſtatu impigro vigilemus affectu: Et ſi quid vſque reprehenſioni inuenitur obnoxiū, cęleſti ſolicitudine ab ignorantiæ imperitia, & præſumptionis vſurpatione reuocemus.* Fabianus Papa ab Orientalibus conſultus in negotio

S Chriſ-

Chrismatis, idem fassus est, dicens. *Exigit dilectio vestra Sedis Apostolicæ consulta, quæ vobis denegare non possumus. Hoc autem, & prædecessores nostros multarum regionum Episcopis egisse liquet; & nos qui in eadem Sede Domino largiente, collocati sumus, agere debere paterna charitas, & obedientia debitum compellit.* Anastasius quoque cum de rebus fidei à Germaniæ, & Burgundię Episcopis consuleretur, in eam formam respondit. *Exigit dilectio vestra, vt ex authoritate Sedis Apostolicæ vestris debeamus respondere consultis, & quamuis succinctè hoc agere festinaremus, denuò tamen ob has vel illas necessitates, quasi ad caput mittere charitatiuè non dubitetis.* Idem, ab Africanis Episcopis in causa Donatistarum consultus, quod nihil dissimulandum esset in eo negotio, disertis verbis tradidit. Sic ergo loquuntur Episcopi. *Recitatis literis Reuerendiss. Fratris, & Consacerdotis nostri Anastasij Romanæ Ecclesiæ Episcopi, quibus nos paternæ ac fraternæ sollicitudine charitatis, & synceritate adhortatus est, vt de hereticorum, & schismaticorum Donatistarum insidijs, & improbitatibus, quibus Africanam Ecclesiam Catholicam grauiter vexant, nullo modo dissimulemus; Gratias agimus Domino nostro, quòd illi optimo, ac Sancto Antistiti suo, tam piè curam pro membris Christi, quamuis in diuersitate terrarum, sed in vna compage corporis constitutis, inspirare dignatus est.*

4 In causa Nestorij Cęlestino scribens Cyrillus, hæc insinuauit. *Digneris proinde quid hic sentias aperire, quò liquidò nobis constet communicare ne nos cum illo oporteat, an verò liberè eidem denunciare neminem cum eo communicare, qui eiusmodi erroneam doctrinam fouet, ac prædicat.* Rescripsit Cęlestinus hoc ad se pertinere,

nere,*vt fideles in vnitate fidei perſiſtant.*Subdẽs.*Interim noſtrarũ partiũ eſt,vt illum (Neſtoriũ) in præcipitio proximè adductũ,vel in ipſo præcipitio,vnde eum prolabi neceſſe eſt,iam conſtitutum, ſi qua ratione poterimus à lapſu prohibeamus,ne ſi opem non tulerimus,ipſi ad caſum impuliſſe videamur.* Vnde præcepit, vt reſipiſcat, quod ſi in pertinacia perſtiterit ab Eccleſia eliminetur,&c. Agathoni Papæ his verbis etiam ſupplicatum eſt ex epiſt. ad Imperat. ſcripta, quæ in 6. Synodo recitata eſt to. 1. Concil. *Porrigere dignemini clementiſſimam dexteram Apoſtolicæ doctrinæ, quam, cooperator piorum laborum veſtrorum, B. Petrus Apoſtolus tradidit, non vt ſub modio condatur, ſed tuba clarius in toto orbe prædicetur, quia eius vera confeſſio à Patre de cælis eſt reuelata, &c. cuius adnitente præſidio hęc Apoſtolica eius Eccleſia, numquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt.*

5 Sed quid Agatho Pontifex Imperatori Conſtantino Pogonato. *Conſideret etiam veſtra tranquilla clementia, quoniam Dominus, & Saluator omnium, cuius fides eſt, qui fidem Petri non defecturum promiſit confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper cunctis eſt cognitum. Quorum & puſillitas mea licet impar, & minima, pro ſuſcepto tamen diuina dignatione miniſterio, pediſſequa cupit exiſtere. Vę enim erit mihi, ſi veritatem Domini mei, quam illi ſynceriter prædicarunt, prædicare neglexero.*

6 Gelaſius eandem obligationem agnoſcit ad Anaſtaſium Imperatorem, ſcribens. *Diſpoſitione enim diuini ſermonis mihi iniuncta. Vę mihi eſt, ſi non euangeli-*

zauero, quod cum Paulus vas electionis formidet, & clamet, multò magis metuendum est, si diuinitus inspiratum & paternè transmissum subtraxero.

7 Hadrianum vrgebant Irenes, & Constantinus, vt Iconomachorũ impietatibus occurreret ad Synodum inuitando, vel Epistolas cum legatis ad Synodum destinando, his verbis. *Debitum enim illi est hoc facere, agnoscit verò Sanctitas V. quia scriptum est. Consolamini, consolamini populum meum Sacerdotes*, dicit Dominus. *Et, labia Sacerdotum custodiunt scientiam, & de ore eius egrediatur lex, quando Angelus Domini exercituum est. Et iterum diuinus prædicator Apostolus, qui ad Hierusalem, & circuitu vsque Illyricum prędicauit Euangelium, sic mandauit. Pascite gregem Domini disciplina, quem acquisiuit proprio sanguine, &c.*

8 Secundo. Ex parte Ecclesiæ ad tollendas dissensiones, quę ex definitionibus potius extinguuntur, quàm quod vltra progrediantur. Id agnouerunt Patres Concilij Mileuitani aduersus versutum Pelagium, cum cõfirmationem definitionis ab Innocentio postularent. *Arbitramur adiuuante misericordia Christi, qui te, & regere consulentem, & orantem exaudire dignetur, authoritate Sanctitatis tuæ, de sanctarum scripturarum authoritate deprompta, facilius eos, qui tam peruersa sentiunt, esse cessuros*. Idque rei exitus comprobauit, nam nec Cęlestius, & si subdolo animo, B. Innocentij Papæ literis obsistere non sit ausus, imò se omnia, quę sedes illa damnaret damnaturum esse promiserit (ex August. lib. 6. cap. 7. contra Pelag.) tamen vt scripsit Prosper contra Collatorem, & in Chronic. Pelagianorum *machinæ fractæ sunt, quando Beatæ mem. Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit.*

cussit. Vix quoque post tot dissensiones de anabaptismo hæreticorum (vbi testium grauitate, verisimilitudine rationum penè Ecclesia scindebatur) à Stephano Papa illud Apostolicæ dignum grauitate, atque constantia prolatum est, *nihil esse nouandum: quod semel traditum est, esse seruandum*, quòd (vt scripsit Dionys. Alexan. apud Baron. tom. 3. annalium anno 258.) omnes Orientales Ecclesiæ, quę antea fuerunt propter errorum peruersitatem nonnulla distensione distractę, ad concordiam redactæ sunt, audi ad eundem Stephanum, Dionysij testimonium. *Iam scito, frater, omnes Ecclesiarum Præsides, qui vbique locorum sunt, summò animorum consensu conspirare, & ob hanc pacem, prę ter omnium expectationem, constitutam, incredibili lętitia affici Demetrianum dico Antiochiæ Episcopum, Teo. dictist. Cęsareę, Morabanem Aelię, Maximum Tyri, Heliodorum Laodiceæ, Helenem Tarsi, & cunctas Ciliciæ Ecclesias, Firmilianum etiam, & totam Cappadociam, &c. omnes vbique gaudio exultant, & vno animorum consensu, ac fraterna charitate, Deo gloriam impertiunt, &c.*

9 Ad Nicolaum I. scripsit Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus. *Ab olim, & prisco tempore in exortis hæresibus, & præuaricationibus, eradicatores, & interemptores malorum zizaniorum, & tabefactorum, & penitus insatiabiliter ægrotantium membrorum, multi multoties facti sunt eorum, qui sanctitatem, & summam fraternitatem tuam illic præcesserunt, successores scilicet Principis Apostolorum, & illius zelum in fide, quæ secundum Christum est, imitantes, & nunc nostris temporibus beatitudo tua dignè tractauit, datam tibi diuinitus potestatem.* & post multa concludit propositum

nostrum, *& fluctum, qui hic inerat, dissipasti, & tranquillitatem Ecclesijs contulisti.*

10 Amplius necessarium est, ne fideles fluctuent, nescientes quid sit amplectendum in rebus ad salutem necessarijs, si viderint errores tolerari. Hoc argumento vsus est Marianus Archimandrita ad Agapetum Papam. *Non possunt* (dicebat) *duo contraria simul vera esse. Si hæreticis facultas datur hæresis prædicandi, istud ipsum fateri est apud ipsos veritatem esse, à nobis autem illam penitus defecisse. Si autem eam apud nos esse iure firmamus, illos ab ea deficere, & vt mendaciorum textores Deo, & hominibus execrabiles, esse abijciendos; dicere necesse est, cum præsertim in eo statu res modo posita essent, vt tolerare ista, & si non iubere, patique saltem ipsum Principem sub pacatissimo, & florentissimo Imperio, cum vbique terrori esset, etiam longe positis Barbaris, indecens esset, atque propemodum eisdem consentire, ac patrocinio ipsos fouere suo.*

11 Sergius Cypri Episcopus ad Theodorum Papam scribebat. *Tu prophanorum hæresum depositor existis, at princeps, & doctor orthodoxæ, & immaculatæ fidei. Igitur ne despicias Patrum tuorum, scilicet antiquiorū Pontificum Pater fidem æstuantem, & ab aliquibus hæreticis ventis violentatam, nec non periclitantem resolue nebulam insipientium, lumine sapientiæ tuæ, ò Sanctissime abscinde blasphemias, &c.*

12 Necessarium Ecclesiæ, ne inimici ex discordijs nostris nobis insultent, quod agnoscens Constantinus Pogonatus Donum Papam sic solicitabat. *Acerba quædam nouitatis intromissa sunt: aliquibus quidem ex imperitia hæc introducentibus: aliquibus verò incongruè scrutantibus incomprehensibilia opera Dei, & quia ex*

quo

quo hęc moueri cęperunt, & vsque hactenus vtraque sedes inter se minimè conuenerunt, vt inquirentes sibimet satisfacerent pro vęritate. Propter viles igitur inquisitiones non sit infinita contentio, ne nobis insultent Pagani, & Haretici, neque in nobis vsquequaque locum accipiant semina aduersarij, &c.

13 Amplius ne ijdem fidei hostes in suo magis errore firmentur. nam vt scripsit S. Gregorius Nazianz. oratione 46. ad Nectarium loquens de Apollinaristis, qui à quibusdam tolerari cęperant; *Si illis vt piè sentientibus, & quæ sentiunt docere, liberèque promulgare permittitur, quis non videt Ecclesię doctrinam condemnari, perinde ac veritate ab illorum partibus stante? neque enim fert duas de eadem re contrarias doctrinas veras esse. Quomodo igitur excelsus, & pręstans animus tuus, ad tanti mali correctionem, consueta libertate non vti sustinuit?*

14 Ne errores etiam vltra progrediantur: vnde Innocentius Papa ep. 12. ad Laurentium de Bonosiacis loquens, ait. *Ne vlterius debacchandi habeant facultatem, &c.* tuum est, *frater charissimè, quæ pręcepta sunt non segnius agere, ne plebem tibi creditam dissimulatione deperdas, & incipias Deo de perditis reddere rationem.* Et ad Concil. Carthaginense epist. 31. *Sanandum est celerius, ne longius execrandis animis morbus inserpat; auellendi sunt longius, & ab Ecclesia procul remouendi.* Vnde Petrus Damianus, Nicolaum II. Papam instigat ad malorum morum quorundam excissionem his verbis. *Tu autem Domine mi venerabilis Rex, qui Christi vice fungeris, qui Summo pastori in Apostolica Sede succedis, noli pestem hanc per ignauiam ad incrementa producere, noli conniuendo, & dissimulando*

grassanti luxuriæ frena laxare. Quanto magis falsæ doctrinæ. *Serpit hic morbus vt Cancer, vt vitiosa propago ad infinita porrigitur; nisi Euangelica falce, quod malè pullulat, amputetur. Absit igitur, vt sanctum cor vestrum segnis Heli torpor emolliat, sed potius ad sceleris vltionem ingenuus Phinees zelus accendat.*

15 Episcopus possessor ad Horsmidam sic dicit. *Decet & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum. Quis enim maiorem circa subiectos solicitudinem gerit, aut à quo magis nutantis fidei stabilitas expectanda, quàm ab eius Sedis Præside, cuius primus à Christo rector audiuit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meā? arbitror vestram beatitudinem non latere quantis in Constantinopolitana vrbe Ecclesia laboret insidijs, & ad morem veteris morbi in saniem vulnus iterum quærat erumpere, quod obductum fuerat cicatrice, insanabilis post error increscat. Si enim diu fuerint in hac impunitate versati, necesse est multos in hanc suæ prauitatem mentis inducant; decipiantque innocentes, vel potius imprudentes, qui fidem catholicam non sequuntur. Putabunt enim eos rectè sentire, quos adhuc viderint in Ecclesia perdurare. Separetur ergo à sano corpore vulnus insanum, remotoque morbi sæuientis afflatu, cautius quæ sunt syncera perdurent, & grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur.*

16 Marianus Presbyter, & alij Orientales ad Agapetū Papam scripserunt de quibusdam errantibus. *Isti enim pascunt non oues, sed seipsos, & iudicium abominantes, & omnia rectè peruertentes ad nihilum posuerunt insidias, quæ fiunt contra Ecclesiam, & blasphemiam contra Sanctos Patres, quam defendentes Beatissime, suscipite no-*

nostram supplicationem, & potestatem vobis à Deo datam in ipsos mouentes, purgate Dei Ecclesiam, & à lupis liberate, immittentes ipsis non pastoralem, sed disciplinatiuam virgam vestram.

17 Ad solationem fidelium, vt de veritate inuenta gaudeant & exultent. Sic Hadriani II. PP. rescriptum, voluit in suis Canonibus Lateranensis Synodus retineri, *Dignum est, & à ratione non discordat, quòd ea quę inter se dubietatis scrupulum videntur continere, ad Apostolicæ Sedis iudicium referantur; vt inde Christi fideles in dubijs certitudinem se gaudeant inuenire, vnde noscuntur magisterium fidei suscipere.* Et S. Athanasi ob infestationes Arianorum ad Felicem Secundum recurrens, sic reuerenter eum allocutus: *Præfatam Apostolicam, & summam expetiuimus, iuxta Canonum decreta, sedem, vt inde auxilium capiamus, vnde prædecessores nostri ordinationes, & dogmata, atque subleuationes cęperunt. Ad eam quoque quasi ad matrem recurrimus, vt eius vberibus nutriamur; quoniam non potest mater obliuisci infantem suum; sic & vos nolite obliuisci nos vobis commissos.*

18 Præterea vt verum à falso discernatur, & pij ab impijs, nam (vt scripsit S. Epiphanius heresi 27. contra Carpocratianos) *Indiderunt sibi ipsis cognomen Christianorum, ad hoc, vt gentes per ipsas offendantur, & S. Ecclesiæ Dei vtilitatem, & veram prædicationem propter illorum nefaria facta, & incomparabilem improbitatem auersantur; & vt gentes ipsorum assiduò nefaria opera considerantes,* putant etiam *Sanctas Dei Ecclesias tales esse, & auertant, velut dixi, aures à Dei, ac veritatis doctrina, vel vbi vident saltem aliquos similiter blasphemias præferre; & hac de causa plures ex gentibus*

bus vbicunque viderint tales, ne accedunt quidem ad nos ob communionem accipiendæ doctrinæ, aut audiendi verbi diuini, & neque aures admouent improbis, scelestorum illorum factis consternati, &c.

19 Hinc Basilius ad Athanasium scribens, exhortatur eundem vt ad Pontificem scribat pro hæreticis compescendis, & damnandis. *Visum est mihi consentaneum vt scribatur Episcopo Romæ, vt quæ hic geruntur, consideret, detque consilium, &c.* & mox infra. *Itaque ne occasionē habeant, qui occasionē quærūt ex eo, quod Sāctit. Tuæ coniunguntur, qui fide sani sunt, manifestandi sunt omnibus, qui ad veram fidem claudicant, vt & post hoc cognoscamus consentientes, & non perinde atque in nocturna pugna inter amicos, & inimicos sine discrimine versemur.* Vnde eandem rationem scripserunt diuersorum Conciliorum Africani Episcopi ad Theodorum Papam dicentes; *In honorem Beatissimi Petri, Patrum decreta* [Pontifici] *omnem decreuere reuerentiam, in Dei rebus, quæ omnino, & sollicitè debent, maximè vero, iusteque ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta solicitudo est, tam mala damnare, quam probare laudanda,* cuius iudicij decretiui censoriam virgam agnoscens Victor Chartaginensis contra Monothelitas ad eundem Theodorum hęc quoq; scripsit: *Vestrum est, frater sanctissime, Canonica discretione, sollicitè contrarijs catholicæ fidei obuiare.* Et eo magis acceleranda tunc est definitio, quando sub specie boni impietas grassare conatur; & tunc opus est, vt verū à falso discernatur. Vnde Greg. Nanziāz. de fide, quē imitatus est S. Ambros. 1. lib. de fide c. 1. cōt. Ari. *Multas, ait, quidem, & graues hæreses nouimus à pluribus ebullire, & veneni vice ad intimum pectus cancri sui*

virus infundere.Sed vinci,vel facile possunt,vel facilè vitari,quarum prima propositione omne consilium pectoris proditur: at vero hi quibus multa nobiscum paria sunt, facilè possunt innoxias mentes, & soli Deo debitas fraudulenta societate percutere; dum malorum suorum virus per bona nostra defendunt. Nihil enim periculosius his hæreticis esse potest, qui cum integrè per omnia decurrant, vno tamen verbo ac si veneni gutta, veram illam, ac simplicem fidem Dominicam, & exinde Apostolicæ traditionis inficiunt. Vnde vehementer vobis cauendum est, ne se vel sensibus, vel auribus nostris huiusmodi aliquid latenter insinuet. Quia nihil tale cogit in mortē, quàm sub obtentu fidei, integritatem eiusdem fidei violare, vt enim gypsum aqua permixtum lactis colorem mentitur, ita hic per verisimilem confessionem, traditio inimica suggeritur. Quæ de re non similitudo confessionis, sed sensus mentis est ponderandus, quia confessio ipsa firmatur. Aurea verba, diligenter memoriæ mandanda.

20 Etiam definitiones ea ratione accelerataæ, quia difficilius postea euellitur, quod radicitus diuturnitate temporis confirmatum est, vnde Iustinianus Imperator postulans definitionē fidei, hāc rationem assignat. *Quoniam nec difficilia sunt, quæ ceciderunt in ambiguitatem, nec expedit diutius causam vitæ protrahi sempiternæ, ne dilatis temporibus aliquid nascatur incertius.*

21 Tertio ex parte mouentium quęstiones, & litigia, expedit definitio, tunc magis quando quæstiones non tàm ab hæreticis ab Ecclesiæ corpore separatis, quàm ab intus latentibus mouentur, & sub specie pietatis, vel personarum grauitate, & existimatione recta do-

cere

cere existimantur. Tales erant multi tempore Basilij, de quibus epist. 74. ait, *quod hæresis manifestè ab Ecclesię corpore diuulsa, proprio immoratur errori, parumque nos lædit: propterea quod illius impietas oĩbus nota est: qui verò ouinam pellem induti mansuetudinem, ac placiditatem externè quidem simulant, internè verò gregem Christi crudeliter lacerant, & hoc nomine, quod ex nostro gremio progrediuntur, simpliciores facilè lædunt, ij sunt perniciosiores illi, & qui non ita facilè caueri possunt, quos per vestram diligentiam, omnibus Ecclesijs Orientis publicari, & manifestari petimus.* Tales quoque erant quidam Presbyteri Gallicani, qui contra doctrinam S. Augustini in materia prędestinationis, & gratiæ errores prędicabant, teste S. Prospero lib. 1. cõtra Collatorem initio. *Quorum*, dicebat, *intus interstrepens domestica malignitas, non minus spernenda esset, quàm foris loquens hęretica loquacitas, nisi eiectis extra ouile Dominicum lupis, sub nomine ouium suffragarentur, essentque huiusmodi, vt nec ordo eorum in Ecclesia, neque ingenia despicienda videantur. Si quidem habentes speciem pietatis in studio, cuius virtutem diffitentur in sensu, trahunt ad se multos ineruditos, & non habentia spiritum discretionis corda conturbant, atque in eum statum deducere causam Ecclesiæ moliuntur, vt dum nostros affirmant non veraciter pro gratia locutos, inimicos gratiæ persuadeant iniustè esse damnatos*, & concludit pro acceleratione definitionis. *Non ergo negligendum est hoc malum, quod ab occultis, prauisque seminibus augetur quotidie, & ab ortu suo, longiusque distenditur*, (quod pertinet ad rationem mox superius tactam) *sed studendum esse in quorum Dominus adiuuat, vt fallaciũ calumniatorum hypocrisis detegatur, qui ex iniuriæ magni-*

gni-

gnitudine, quam in vno cunctis, & precipuè Apostolicæ Sedis Pontificibus intulerunt, ab indoctis, & parum cautis excellentioris scientiæ iudicantur, & misero, peruersoque successu, facilem mendacio consensum eliciunt, quia reuerentiam sibi præsumptione pepererunt. Idem S. Prosper in fine ait, quod, *eorundem, dum adhuc non sunt à fraterna societate diuisi toleranda magis est intentio, quàm desperanda correctio, donec Dominus per Ecclesiæ Principes, & legitimos iudiciorum suorum ministros, hac, quę per paucorum superbiam, & quorundã imperitiam sunt turbata, componat,* & per hanc quam optabat definitionem componendas controuersias sperabat, dicens. lib. contra Collatorem, *confidimus Domini protectione præstandum, vt quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Cęlestino, operetur & in Xisto, & in custodia Dominici gregis hęc sit pars glorię huic reseruata Pastori, & sicut illi lupos abiecere manifestos, ita hic depellat occultos.* Hæc S. Prosper versus finem.

22 Horsmida quoque Pontifex ad accelerationem definitionis magis accensus est propter quosdam Monachos Scythas, qui Trisagio addere ausi sũt, sub specie pietatis, nempè, *qui crucifixus es pro nobis,* quorũ vafriciem his verbis depinxit, quod *eorum vna pertinacis cura propositi, rationi velle imperare, non credere. Contemptores autoritatum veterum, nouarum cupidi quæstionum, solum putantes scientiæ rectam viam quamlibet concepta facilitate sententiam, eiusque tumoris elati, vt ad arbitrium suum vtriusque orbis putent inclinandum esse iudicium: nec in numero fidelium deputantes sequaces traditionis paternæ, si suæ viderint cedere nolle sententiæ: docti crimina serere, obtrecta-*

tionum

tionum, venena componere, integrum Ecclesiæ corpus odisse, seditiones instruere, inuidiam concitare, & pro obedientia, quæ in Cœnobijs Principatum regularis obtinet disciplinæ, obstinationem pertinacis amare superbiæ. Ista in Monachos illos. Hæc autem ad Iustinum Imperatorem Papa scribebat. *Cauenda est subtilium magna circumspectione calliditas, qui ingerunt difficilia, dum nituntur labefactare composita.* Vnde ex definitionibus ecclesiasticis frenum imponendum docet, vt nihil amplius *quamlibet curiosus scrutator inquirat, aut opere, aut institutione perfectus. Nisi fortè maluerit quispiam dubitare, quàm credere, certare quàm nosse, sequi dubia, quàm seruare decreta.* Hæc Iustino Pontifex scripsit.

23 Eodem motiuo insigniti Archimandritæ, & Monachi ad Agapetum scripserunt pro acceleratione definitionis contra hæreticos. *Quoniam igitur ex hac causa in multas domos eorũ, qui in excellentia sunt, intrãt, & indecentia faciunt, captiuantes mulierculas quasdã peccatis oneratas, quæ varijs dicuntur desiderijs, & semper addiscunt, & nunquam ad cognitionem veritatis venire possunt; verum etiam in ipsis proprijs domibus, & suburbijs altaria, & baptisteria erigunt in oppositum veri altaris, & sancti fontis, & omnia simul contempserunt propter attributum eis patrocinium ab his, qui in domo Domini, & aliquo modo potentes sunt: Nolite pati Beatissime, non vti solita fiducia ad refrenandum tantũ malum, sed sicut prius contra Anthimum insurrexistis, & lupum, qui conabatur per pellem ouis, etiam transcendere ostium ecclesiasticorum ordinum, sanctionum, & canonum, & qui latrocinanter mandram ouium transcenderat, pelle denudastis, & ipsummet demonstratis, & procul à mandra expulistis, (vt inquit diuinus Gregor.) studio*

ſtudio reliquo ſuo circa Eccleſias,ſi tale malum in deſtru ctionem ſacræ fidei per ipſorum fiduciam prævalebit, & permittantur adhuc iſti ad corruptionem Eccleſiæ nidificare in domibus Dominorum,& in proprijs, & iniqua in ipſis facere. Hæc quidem dumtaxat portamus,licet incredibilia, & à diris doloribus incuruati,ſpem habentes ad clementiſſimum Deum, qui in tempore opportuno veſtrum aduentum nobis oſtendit. Quòd ſicut Petrum, magnum Apoſtolorum Principem,his qui erant Romæ in depoſitionem Simonis Samaritani miſit ,ſic & vos miſit in depoſitionem Seueri,Petri, & Ioannis, & eorum qui ſimilia eis ſapiunt,& qui omnigenis honoribus circumfouentur ad inhonorationem Dei,blaſphemiaſque, ac hæreſes, dabit vobis poteſtatem,coopitulante vobis piiſſimo,& à Deo cuſtodito Imperatore noſtro,iſtos expellere,de omni Eccleſia,tanquam inſidiatores, & violatores non ſolum ſanctiſſimarum Eccleſiarum,ſed & Politiæ ipsius. Nam cum hos ad ſuam malitiam conuenientia organa insidiator boni diabolus inueniſſet,totum orbem terrarum commotum fecit, & SS. ſanguine terram contaminauit, & Ciuitates iugulationibus,& tumultibus turbauit. Vide quomodo etiam POLITIAE conducat quæſtionum fidei terminatio.

24 Accedit quod (vt ſcripſit Epiph.hær.64.ex Methodio de Origeniſtis) cum ſint interdum eloquentia prędití, inſipientium corda inefcare poſſunt, niſi illis occurratur, *Nihil in ipsis ſanum eſt,ac firmum,ſed imaginatio ſolum decore verborum ad stupefaciendum auditores,& perſuasione inſtructa, non veritatis,neque vtilitatis gratia,ſed vt coram præſentibus orationem ſapiētem oſtentent. Hinc itaque orationes aliquando veriſimiles ad pulchritudinem,& voluptatem variegatæ præ-*

ſtan-

stantiores putantur his, quæ ad syncеram veritatem expensa sunt, dum illarum DD. neque ad bonitatem, ac pietatem contendunt, sed ad hoc, vt placeant, & successum habeant, quemadmodum Sophistæ, qui mercedem ex orationibus exigunt, sapientia laudibus vili precio cœpti, & sequitur. *Antiquitus igitur valdè pauci expositores erãt, cũ hi qui tũc erant conarẽtur, non delectare, sed iuuare præsentes. Ex quo autem deinceps ad leuitatem res deuenit, vt omnibus liceat interpretari scripturas, & omnes ad faciendum quidem bonum hebetati sint, opinione referti; circa racionandnm vero profectum fecerunt iactantes se, velut qui omnia cognoscere possint, doceri quidem sibi opus esse, confiteri erubescentes, contendere vero potius, ac prosilire velut Doctores assueti*. Et postea. *Sunt hi qui verborum prætextibus tragico more conati sunt, velut mulieres, quæ forinsecus de industria ad frauđ ornantur, nisi quis cautè, & sobriè fidem respiciat in his, quæ adhuc sunt iuniores. Quare cauendum est, vt talem sermonem in cor admittamus, antequam exactè consideremus, præoccupant enim sępè impostores veros Doctores. Quemadmodũ etiã Syrenes vocis iucunditate, odium erga homines procul occultant, & fugientes ipsas alliciunt*. Et aliud simile affert. Quod sint veluti pictores, *nam et hi nauium structores, & nauigia imitati, conantur fabricare naues, & gubernare nescientes, quare opere pretium est, quod deradentes colores, persuadeamus pueris eiusmodi pictores admirãtibus, quod neq; nauis, est nauis, neq; gubernator, sed paries forinsecus ad delectationem coloribus ac picturis exornatus, & quod imitatores simulacri nauis ac gubernatoris sunt tales, qui à coloribus, & non naui hæc expresserunt*, &c. *Verba enim diuinitus inspiratarum scriptura-*

plurarum, quibus hi gloriam suam ad fraudem colorantes depingunt, iustitiam ac veritatem contumaciter nominantes & iustitiam omnino non scientes, si quis auferat, quantum ipsos talibus nominibus denudatos, subsannandos esse putas? Ergo ne Ecclesiæ Catholicæ Nouatores illudant, detegendi sunt per Ecclesiasticas definitiones, vt hucusque semper factum est, atque seruatum.

25 Hinc est, quod ne denudentur, & turpitudo ostendatur, & constituantur iuxta diem natiuitatis suæ, veritatem Dei in iniustia detinētes, definitiones semper retardari procurarunt impij, & rebelles, cupienres in tenebris delitescere, & non ad lucem properare, ne eorum opera arguerentur. Sed rectè Ambr lib. 1. de Abrah. cap. 2. *Latere crimen sæ conscientiæ est, qui enim malè agit, iuxta Saluatorem, odit lucem, vt non arguantur opera eius.* Et vt idem dicit. *Semper perfidia nox est, qui lucem Christi nebulas obducere*, & quantum in ipsis est, fuscare conantur. & Hier. ad Ctesiphontem. *Sola hæresis est, quæ publicè erubescit loqui*, & aduersus Pelagianos edisserens, contra eos tale dilemma elabo ranit. *Aut bona sunt quæ docent, aut mala. Si mala quid occulto miseros iugulatis errore? Si bona, cur non proferenda in lucem?* Si vera sunt, cur refugiunt iudicium?

26 Ad definitiones autem eius retardandas, varij varios prætextus commenti sunt. Quidā definitiones retardabant, vel eorundem publicationē, quia politicis rationibus seditiones, & schismata fore suadebant. Hi fuerunt Eutychiani, qui Basiliscum, & Marcum Imperatores vrgebant, ne definitiones Chalcedonēsis Synodi publicarentur, his verbis. *Nolite alta decreta*

T con-

contra literas vestras generatim scriptas decernere, pro certò persuasi, mundum, si id feceritis, seditionibus euersum iri, & mala à Concilio Chalcedonensi orta, ob quæ quidem infinitę cędes factæ, sanguisque ortodoxorum iniustè, & iniquè fusus est, exigua admodum videri. Quæ suasio Basiliscum attraxit, vt literis datis hæresim Eutychianorum foueret. Verum postea contrarias litteras, ad depositum oculos dirigens, scripsit. *Apostolicam, & orthodoxam fidem ab initio in Ecclesijs conseruatam, & ad nostrum vsque imperium, & nobis iam regnantibus custoditam, & in perpetuo custodiendam, in qua baptizati sumus; & credimus solam integram, firmamque retinendam, retentamque in omnibus Apostolicis orthodoxorum Ecclesijs, perpetuo continuandam decernimus, nullamque præterea quærendam esse.* Et Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem apud Baron. ann. 494. n. 6. *Nũquid nã, cũ ab aliquibus infestata religio est, quantacunq; potuit nouitate superari? & nõ magis hoc inuicta permansit, quo existimata est posse succumbere? Desinant ergo, quæso te temporibus tuis, quidã per occasionem turbationis ecclesiasticæ, pręcipitanter ambire, quæ non licet, &c.*

27 Non turbat Ecclesiastica definitio, sed hæresis potius, vnde tanto magis, ne turbationes oriantur, obuiandum. Conquærebatur quondã Theodosius Ephesinus hęreticus Iconomachus cum Stephano Cęnobita, quòd ab eo in numero hęreticorum fuisset repositus, ac proinde asserebat Ecclesiam conturbatam. *Quonam tandem modo* (dicebat) *homo Dei animum induxisti, nos omnes in hæreticorum numero reponere? teque supra Imperatorem, supra Patriarchas, supra Episcopos, ac cæteros Christianos sapere iudicasti? annos*

nos omnes id molimur, vt nostrarum ipsimet animarum iacturam faciamus? cur omnem Ecclesiam conturbasti? Quid verò Stephanus? *Aduerte quid de Elia Propheta Scriptura prodiderit, nimirum quemadmodum ad Acab dixerit. Non conturbo Israel, inquit, sed tu, & domus Patris tui. Neque enim ego sum qui conturbo, verum hi qui contempta, veterum Patrum eruditione, nouum quidem dogma in Ecclesia inuexerunt. Nam si quicquid antiquitate præstat, veneratione dignum est* (vt Basilius dixit) *recentia vtique hæc, & adscitia vehementer absurda, atque imbecilla sunt, vt quæ perspicuè adulterini Ecclesię Catholicæ fœtus facti sint, ac proinde non intempestiuè Propheticum illud mihi dicere in mentem venit, Reges terræ, & Principes cum mercenarijs pastoribus, ac Regis proditoribus conuenerunt in vnum, aduersus Christi Oeconomiam inania meditati sunt.*

28 Sed in hoc emicuit Apostolicæ sedis fortitudo, quod pseudopoliticas rationes despiciens, potestatem ipsi traditam, & diuinã protectionem agnoscens, à munere suo non deuiauit. Vnde S. Chrysost. ep. ad Innocentiũ sic eum laudat, quod in Dei causis, nec cultum potentum, nec minas, & huiusmodi formidauerit. *Animi oculis videmus vestram illam fortitudinem, & synceram affectionem, constantiamque non mutabilem, & quod vos consolari nos plurimum, & perpetuo cupiatis, quanto enim fluctus extolluntur sublimiùs, & plures latent scopuli, vehementioresque sunt venti, & tempestates, tantò, & vigilantia vestra augetur. Neque vos tanta prolixitas, neque tantum temporis interuallum, neque causarũ difficultates segniores reddidit: sed perseueranter imitamini optimos gubernatores, qui tunc maximè vigiles sunt, quando eleuati fluctus, & mare intumescere,*

re,& multas aquas in nauim inundare, grauissimamq; interdiu nauem ingruere videntur.

9 Verum illam,& securam regulam ab August.& Ambrosio traditam,nedum in praxi Põtifices seruarunt, sed,& in regulis iuris reposuerunt in 6.*Vtilius scandalum nasci permittitur, quàm quod veritas relinquatur.* Quæ vnquam hęresis potentium fauori innixa orbem non perturbauit? vnum ex multis exemplum profero. Ex Ariana perfidia, per quam nedum affinitates, cognationes (vt scribit Lerinen.cap.6.)verum etiam vrbes, populi,Prouinciæ,nationes,& vniuersum postremo Rom.Imperium funditus concussum est, emotum est,an propterea definitio contra Arium dissimulata? certè vt scribit idem Sanctus. *Sacros Antistites à defensione fidei maiorum,nulla vis depulit, non mina, non blandimenta,non vita,non mors,non palatium,non satellites,non Imperator,non Imperium,non homines, non dęmones,quos pro religiosæ vetustatis tenacitate, tanto munere Dominus dignos iudicauit,vt per eos prostratas repararet Ecclesias, extinctos spirituales populos viuificaret,deiectas Sacerdotũ coronas reponeret,nefarias illas nouellę impietatis non litteras,sed lituras infuso cęlitus Episcopis fidelium lacrymarum fonte deleret, vniuersum postremo iam penè mundum,sęua repentina hęreseos tempestate perculsum,ad antiquam fidem à nouella perfidia,ad antiquam sanitatem à nouitatis vęsania, ad antiquam lucem à nouitatis cęcitate reuocaret.* Vnde tantum abest vt scandala creuerint, quod celerrimè ex definitione Nicęna fuerint depressi.Quod agnoscẽs Cõst.Imperator,in 6.Synodo eã reddit rationẽ accelerationis definitionis fidei à Sacerdotibus sũmis,quia Imperij pax, ex fidei causarũ terminatione manabat.

In

In pace namque fidei compactam à Christo dilectam rempublicam confidimus. Hęc ille. *Licet ergo in Regno Italico surrexerit alter Acab* (dicebat Iuuo Carnotensis epist. 18.ad Hugonem creatũ legatum à Papa Vrbano,diffidentem tamen non posse rumoribus Italicis subueniri) *vel in alio Regno hæresis nouella oriatur prę- sumptio,in Gallia autem,vel Germania altera Iezabel quærentes altaria suffodere,Prophetas occidere, non est tamen dicendum Eliæ, relictus sum solus, & quærunt animam meam, ne diuinum dicat ei responsum: reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua sua ante Baal. Licet ad placidum Herodis saltet Herodias,petat caput Ioannis,concedat Herodes, dicat tamen Ioannes, non licet tibi vxorem tuam exordinatè relinquere,& contribulis tui coniugem, vel pellicem in coniugiũ habere. Licet Balaam doceat Balac edere, & fornicari,Phinees tamen non parcat Israeli, cum Madianita fornicanti. Licet ad persuasionem Simonis Nero Petrum liget,incarceret, non minus tamen Petrus Simoni dicat. Pecunia tua tecum sit in perditione. Quantum enim studiosius peruersorum temeritas, & audacia rectitudinis statum labefactare conatur,eò vehementius est eorum improbitati resistendum, & religioni Christianæ consulendum, & lamentabilibus Ecclesiæ ruinis obuiandum. Non hęc,*subdit Iuo,*quasi ignoranti scribo,sed persuasum esse vellem tuæ paternitati, vt iterum manum ad aratrum mitteres, & de agro Domini spinas quoque posses,euellere,& semina quæque messem latura superseminare non differres.*

30 Alij definitiones retardarunt, quod se Catholicos esse mentiebantur, & præ pietate bellum suscipere, per omnia exactèque defendere. Sic scribit Basilius

 epist.

epist.74.*Iam ad defensionem mutui belli, & diffidij excogitatus est, quibusdā hic prætextus, vt simulent se ortodoxiam vlcisci, & quò proprius contegant inimicitias pietatis se gratia hostes nobis factos videri volunt. Alij verò quò caueant ne de erroribus, & commeatis hisce turpissimis argui possint, plebem ad mutuam contentionē instigant, vesanamque reddant, & publicis postea malis, sua ipsorum delicta obscurent. Quocirca, & inconciliabile est hoc bellum, propter quod, qui malè egerunt; veram pacem suspectam habent, ac metuunt, vt quæ turpitudinis ipsorum abscondita in lucem productura sit. Interea rident nos infideles, nutant qui modica sunt fidei, fides ipsa in ambiguum vocatur, ignorantia effunditur mentibus, propterea quod formam ac speciem veritatis prętexunt, qui sermonem versutè adulterant. Silent enim piè docentium ora, resoluta est quæuis blasphema lingua,* &c. Vnde propter hęc componenda ep.52. ad Episcopum Romanum scribendum, vt hæc omnia componeret, Episcopis ad quos scribebat, persuasit.

31 Interpellatus quoq; est Zosimus à Cęlestio, ne ab Apostolica Sede doctrina eius damnaretur, qui taliter librum suæ doctrinæ hęreticè concinnarat, vt ortodoxè sentire videretur, adiungens: *Si forte, vt hominibus quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestra sęntentia corrigatur.* Vnde factum est, vt *lenius egerit*, vt ait August. 2. con. epistolas Pelag. c. 3. *quā seuerior postulabat Ecclesiæ disciplina*. Sed non reprehendendus Zosimus, quia Cęlestium audiri postulantem, eius iudicio resistentem, Apostolicæ censuræ sua dicta subijcientem, ad audientiam recta ratione admisit, qui etiam suauiter medendum existimabat, vnde librum confessionis prob auit, & damnationem inculpabiliter distulit; nam,

nam,vt dicit August. *Libellus Cęlestij Catholicus dictus est, quia catholicæ mentis est, si qua fortè aliter sapit, quàm veritas exigit,non ea certissimè definire, sed detecta,& demonstrata respicere*:& breuius,ex eodem,*voluntas emendationis*,nempè Cęlestij, *non falsitas dogmatis approbata est*,& vt dicit inferius: *Quicquid interea lenius actum est cum Cęlestio,seruata dumtaxat antiquissima, & robustissima fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio exitiosissimæ prauitatis*,Illo autem hęretico detecto,repetita sentētia Innocentij,à Zosimo damnatus est, *& quod ab eodem Sacerdote postea Cęlestius, & Pelagius repetita authoritate damnati sunt; paululum intermissæ, iam necessariò præferenda ratio seueritatis fuit, non prauaricatio prius cognita,vel noua cognitio veritatis.*

32 Alij verò definitionem Ecclesiasticam eludebant, quòd dicerent,quęstiones controuersas ad fidem non pertinere,vt deprehensi non criminaliter,sed ciuiliter errasse viderentur. Sic Pelagiani cum vrgerentur, ex August. 2.con.duas ep.Pelag.lib.3.cap 10.quęstiones de gratia,& libero arbitrio ad fidem pertinere non putabant,contra quos August.lib.2.cap. 23. ostendit alias esse quæstiones,quæ fidem concernunt, alias in quibus salua pace,Catholici tractatores inter se dissentire possunt: quam partitionem S.Gregor.Niss agnouit lib.de vita Moysis.Et Hęretici recentiores eo prętextu definitiones ecclesiasticas traducūt,qđ nō respiciāt (aiunt) fundamētales (quos dicūt) articulos,sed adiaphoros,qui citra salutis dispēdiū credi,vel nō credi possunt. Vnde M.Antonius de Dominis in suo consilio p.29.sic scripsit. *Paratus sum communicare cum omnibus, quamdiu in essentialibus nostræ fidei articu-*

lis, & Symbolis antiqua Christi Ecclesia conuenimus: si tamen nouos articulos, siuè sacræ scripturæ apertè contrarios siuè à Symbolis prædictis alienos, simul omnes detestemur. Vasta certè, & vaga hæreticorum professio, quæ hac via cunctas sectas ferè amplectitur, paucas excludit.

33 Distulit quandam definitionem Victor de die Paschatis celebrando proximè post 14. Lunam Martij Irenæo adhortante Victorem, ne tot Ecclesias Asiaticas, cum quibus prædecessores eius communicauerāt, à Christi corpore separaret; prudentia ergo summa fuit (sicut præcessorum) Victoris non definire, sed tolerare, fortè ne si zizania euulsa essent, eradicaretur simul, & triticum; vel fortè quia, vt dicit Bellarm. de observatione quæstio erat, non dogmate, quod colligitur ex Eusebio 5. Hist. cap. 24. dicente, quòd, *Irenæus Victorem, ne tam multas Ecclesias omnino propter traditionis, ex antiqua consuetudine, inter illas vsurpatæ obseruationem, à corpore conuersæ Christi Ecclesiæ penitus amputet, cum pleraque alia, tum ista appositè, & conuenienter admonet.* Verum cum ex Blastj dogmate, diuersitas obseruationis Iudaico more, secum etiam afferret hæresim Iudaicam, maturè illi occurrendum duxit Victor definiendo contra Quartadecimanos, cuius decretum Niceni Patres secuti sunt, ex Euseb. 3. de vita Constantini cap. 17. & hæretici deinceps habiti ex Ephiph. hæres. 50.

34 Euulgarant quoq; Romæ Origenistæ libros Periarchon Origenis (vt scribit Hieronymus ep. 18.) vt *Sacerdotes quoque, ac nonnullos Monachorum, maximè seculi homines in assensum sui traheret, ac simplicitati illude-*

luderet Episcopi, nempè Siricij, qui *de suo ingenio cæteros extimabat*. Vnde à Ruffini dānatione abstinuit. *Sed excusandus etiam Siricius*, ait Baronius anno 397. nu. 22. *Ruffinus. n. versionē Periarchon suam esse negabat, tum quia Origenistæ se Catholicos esse mētiebantur, vnde ex simplicitate, & innocentia sua tales esse existimās, gladio mucronis non se accinxit, ad eos de corpore separandos*. Verum idem annalium conditor aduertit, quā citius Siricium è viuis excessisse, & successisse Anastasium, magnum Origenistarum oppugnatorem, & subdit dignam tanto Cardinali obseruationem. *Sæpe quidem atque pauendis est demonstratum exemplis, vt Pontifices illi, qui causam fidei paulo segnius tractauerunt, ac remissius certāuerunt, à Christo primario omnium pastore, quàm celeriter ex hac vita subducti, adeo vt manifestè fuerit declaratum, summo, iugique studio, specialique diligentia semper inuigilasse super Romanam Ecclesiam Diuinam prouidentiam, ne qua vel leui saltem suspicione hæretica suspicionis aspergatur.*

35 Sed eo etiam nomine alij definitiones ecclesiasticas retardare contendebant, quod dicerent Ecclesiam non se intromittere debere de subtilioribus, & difficilioribus quæstionibus, quæ magis videntur ex ingeniorum contentione exoriri, quàm ex studio veritatis. Sed hæc fuit Arianorum quærela, quam Imperatore Constantino suggesserunt, sic enim Imperator Cōstantinus apud Eus. lib. 2. de vita Constant. vbi Arius in Alexandrum insurrexisset, vtrique litteras destinauit, inter cætera, dicens, quòd *tales quæstiones, quales nulla lex canonuè ecclesiasticus necessariò præscribit, sed inanis dissoluti ocij certatio proponit, licet ad exercendi*

in-

ingenij acumen instituantur, tamen interiore mentis cogitatione continere debemus, & neque in publicos populi conuentus temerè efferre, neque vulgi auribus inconsultò concredere. Quotus quisque enim, qui rerum tam grauium, tantaque obscuritate inuolutarum vim, vel satis accuratè peruidere, vel pro dignitate explicare valeat? Et Cęlestius eiusque asseclæ Zosimum Papam à definiendo retardare putabant hac eadem suggestione. Vnde Zosimus ad Episcopos Africanos sic scripsit apud Baron. anno 417. num. 22. *Ipsum quoque sanè Cęlestium, & quoscunque, qui eo tempore regionibus aderant Sacerdotes admonui, has tendiculas quæstionum, & inepta certamina, quæ non ædificant, sed magis destruunt, ex illa curiositatis contagione profluere, dum vnusquisque ingenio suo, & intemperanti eloquentia suprascripta abutitur, cum in hoc etiam magnorum virorum nonnunquam cum ipsis authoribus scripta periclitantur; post, permultam temporis miseriam interpretatus arbitrio.* Et postea. *Commoneo, & iam ingenia vestra, sanctarum omnium scripturarum, quæ secundum traditionem Patrum, & maiorum præcepta sunt, præscriptis obseruationibus custodire.* Hæc ille, antequam venenum detegeretur, & technæ aduersariorum patefierent. Sed vbi compertum est eas quæstiones quamuis difficiles ad fidem Catholicam pertinere, illico hęresis damnata, fides Catholica asserta.

36 Cęterum præclarè Andradius lib. 2. de script. & tradit. pag. 179. & 180. dicit, quod res abstrusæ, & ad fidem impertinentes non definiuntur, nec definiri patietur Spiritus sanctus. V. G. an materia cęli differat à materia inferiorum, nec (ait) ad hoc dari Spiritum

san-

sanctum, vt definiat tales quæstiones naturales curiosas, fidem non tangentes. *Claues enim*, ait, hoc est, *summam*, Ecclesiæ *iurisdictionem Romanis Pontificibus tributam esse à Christo, inquit S.Thomas propter bonum fidei, & pacis Ecclesiæ.* Subdit. *Hoc Pontificum dignitatẽ non solum deijcit, sed etiam amplificat, eo namque illorum mihi dignitas sanctior, & augustior esse videtur, quò fuerit Ecclesiæ rationibus, atque necessitatibus magis alligata; neque enim potest illum esse diuinum, & sacrosanctum, quod ad Ecclesiæ suæ splendorem, & dignitatẽ tuendam Christus Iesus comparauit. Spiritus sanctus verò Ecclesiæ moderator, non est curiositatis institutor, sed necessitatis; non temeritatis fautor, sed pietatis.* Et concludit, *censeo*, inquit, *in quæstionibus pacandæ tamen, & instituendæ Ecclesiæ accommodatis, errare illos, ac falli, nunquam posse* [*admittens in impertineniibus posse*] sed postea subdit. *Quod si quisquam fieri posse neget, vt Põtifex, qui errare definiendo nequit, ea in animum inducat sacris mysterijs adiungere, quę minimè sunt Ecclesię rationibus necessaria, sed eodem censeat afflatu ab inanibus definitionibus retardari, quò ad rectè definiendum inducitur, minimè tunc moror, dummodo ea tamen censeamus, à Romanis Pontificibus atque Concilijs definiri posse, quæ Christi sunt Ecclesiæ aliqua ex parte necessaria, sitque eo augustior, sacrosancti illius iudicij maiestas, quò grauioribus se causis ad sententiam pronunciandam adiunxerit.* Hanc viam iudico magis dignitatem Pontificis illustrare, dicendo, quod Rom. Pontifex ab huiusmodi quęstionibus definiẽdis à Spiritu sancto retardatur, quàm dicendo, si eas definiat impertinentes quęstiones, à Spiritusancto destituatur.

nam

nam ficut Pontificis diligentia ita peruigilat, vt dicit Gelafius. *Vt nulla rima prauitatis, nulla prorfus contagione maculetur*, ita vigilat ne quid extraneum, etiam fi contrarium non fit admifceatur. In rebus verò ad fidem Catholicam pertinentibus etiam difficilioribus non tacet, vt quod creditur ad fidem Catholicam non attinere, non promatur, vel adftruatur. Prudentię tamen Apoftolicæ Sedis referuata, & referuanda expedientia definitionum, cum circumftantijs temporis loci, &c. agentis enim vniuerfalis eft altiorem, vniuerfalem refpicere, publicum videlicet Ecclefiæ bonum, & tranquillitatem.



CAP.

CAPVT XIX.

In huiusmodi definitionibus non temerè, sed maturè procedunt, depositum inspiciendo scripturam Traditiones, Concilia, Præcessorum decreta, Patrum sensũ, atque consensum. Et calumniæ Spalatensis confutantur:

1 
Vm ergo, tot sint prerogatiuę Pontificis summi in consignando deposito, vt Spiritu Dei regatur, & agatur, posset alicui videri, nullo opus esse consilio in definiendo, sed inconsultis scripturis, Patribus, &c. propria authoritate definire posse. Primo, quia si bene fortunati (ex Ar. de bona fortuna) non expedit consiliari, quoniam mouentur, & diriguntur ab authore naturæ, qui est melior omni intellectu, & humano consilio, incertæ namque prouidentiæ nostræ, diuinæ vero motiones infallibiles. Vnde qui minus vtuntur ratiocinationibus magis diuinos instinctus insequuntur: multo magis videri posset in Pontifice definiente, non requiri consilium, vel consultationem, cum diuino moueatur instinctu.

2 Secundò, quia cum in eo resideat spiritus sapientiæ, & consilij, vt dictum est, ad quem pro consilijs, & consultationibus omnes fideles recurrunt, absurdum

est,

eſt,vt aliena conſilia expoſcat,qui conſilia petentibus tradit.Sed & cum ſit vertex, & princeps paſtorum,& Doctorum magiſter,abſurdum eſt Pontificem in eum ordinem redigere,vt ab inferioribus erudiatur.

3 Tertiò,quia Conſiliarij ſint Patres in Concilijs,Papa ſuperior eſt Concilio. Si Cardinales,non aſſiſtunt Papæ per modum limitationis poteſtatis illius,nec integrant vel faciunt vnum corpus cum Papa,ſicùt Capitulum cum Epiſcopo, ſed aſſiſtunt per modum miniſterij. Si vero Doctores inferiores inſpicias, multo minus Conſiliarij dicendi ſunt. Quod ſi conſenſum eorundem Cardinalium,Epiſcoporum, DD.requirere non tenetur,quimimo,ne turbetur ordo Hierarchicus, poteſt illis quamuis inuitis reluctari,pari ratione conſilium non debet expoſcere.

4 Quarto,accedit,quod nullis legibus videtur conſtrictus Pontifex.Vnde ſi Princeps ſecularis legibus ſolutus eſt.l.princeps de legatis,multo magis ſūmus Princeps,cuius poteſtas à Deo illi attributa, vt nullis humanis legibus adſtricta ſit, ita nec legalibus conſilijs alligata.Et difficile eſt aſſignare quod de iure diuino, vel naturali conſilia petere teneatur. Et dato, quod conſilia expoſcat Pontifex, in definitionibus tamen, Doctores multi magni nominis, in Papa non ad neceſſitatis, ſed congruitatis titulum reducunt,conſiliorum requiſitionem.

5 Vltimo.Si non peteret conſilium, non propterea actus nullus redderetur; ergo ſignum eſt non requiri conſilium de neceſſitate.Hæ ſunt ratiocinationes,quę conſultationem,& conſiliationem à Pontifice ablegare videntur.

6 Sed extra omnem controuerſiam eſt,Rom. Pontificem,

cem, in quacunque re decernenda fecundum fidei regulas pronunciare,& iuxta illas examinare, quod rectum eft, explodere quod adulterinum, ac proinde ijs teftimonijs niti oportere, ex quibus veritas determinanda eft, quod abfque confultatione, & inquifitione fieri non poffe, mox manifeftum apparebit. Sciendum ergo eft, quod Pontifex in definitionibus non fe habet, vt principale agens, fed vt minifter Dei, & minifter obiecti fidei reuelatæ. Eft autem de ratione inftrumenti, vt non agat per propriam formam, fed per formam fibi fuperadditam, vel virtutem, vel motionem, cum producat nobilius fe, ad differentiam agentis, qui quando producit aliquod fibi proportionatum, non requirit fuperadditam virtutem, vel motionē, vt cum ignis producit ignem, vnde cū aqua maris circulariter mouetur, nihil ei imprimitur, fed ad fluxum, & refluxum requiritur impreffio Lunæ. Idem videmus in artificiatis inftrumentis, poteft enim ferra fibi effectum proportionatum facere, fed non fuperexcedentem, vt fcindere, nifi ex motione agentis. Et in inftrumentis quoque fupernaturalibus poteft aqua humectare, fed non propria virtute producere gratiam, nifi eleuata virtute diuina, vt in baptifmate, &c. Comparatur autem Pontifex Deo mouenti, ficut agens inferius fubordinatum fuperiori, & tanquam inftrumentum ad primam caufam, non quidem inanime, vt eft aqua in baptifmate, quæ ita agitur, vt fe non agat, vel mouetur; fed veluti minifter refpectu Domini qui, & inftrumentum animatum dicitur. Vnde, & Apoftolus dicit ad Cor. 1. c. 4. *Sic nos exiftimet homo, vt miniftros Chrifti*. Quare ad effectus fibi proportionatos difcurrendi, & ratiocinandi, nulla opus eft virtute impreffa

cęte-

cęterum ad effectus supernaturales (cuiusmodi est definitio de fide, qua scrutatur Pontifex profunda Dei) requiritur motio diuina, sicut diuina illustratio, & huiusmodi. vnde S. Maximus in serm. 1. de SS. Petro, & Paulo, cum dixisset, quod lingua Petri est *clauis cœli*, Subdit. *Non est ergo clauis mortalis artificis aptata manu, sed data à Christo potestas iudicandi.*

7 Hęc autem diuina motio, & eleuatio propriam operationem non excludit, quæ est operari per rationem, & voluntatem. Vnde nec discursus, vel consiliatio humana excluditur. Propter quod dicitur, quod Ecclesiastica definitio facta à Pontifice in medijs est discursiua, in conclusione autem est ex instinctu prophetico, eiusque vox Diuina est, & si per homines exerceatur. Inde prouenit, quod hæresis sit manifestaria conclusioni definitæ reluctari: medijs verò, quia interdum non sunt necessaria, sed probabilia, sub perfidiæ pœna assentiri non arctamur, nec vt indubitata recipere: & ob eandem causam fidelis definitæ conclusionis rationem, à Pontifice non exposcit, quia diuinitus est dictata. *Habes* (dicebat Cicero relatus à Lactantio lib. 2. de origine erroris cap. 7.) *Balbè quid Cotta, quid Pontifex sentiat, fac nunc, vt ego intelligam quid tu sentias, à te enim Philosopho rationem religionis accipero debeo, Maioribus autem nostris etiam nulla ratione reddita, rationis est credere*. Propterea etiam nec ipse Pontifex rationem sententiæ diffinitæ reddere tenetur, quia quod definit est legislatio Spiritus, dicente Chrysostomo serm. 3. de prouidentia. *Neque legislator ipse, cum de his doctrinam agit, & rationem adijcit, quæ docet non esse malam, sed solum prohibet, &c.* Attamen ratione vtitur Pontifex, media decidendæ controuersiæ, via, & ra-

& ratione inueſtigat, eaque humanitùs pręſtat, quæ ſunt præſtanda, vt eleuetur diuinitus, nam ſi vt credat fidelis rationem credendi exigere non debet, media non debet relinquere, definiens, vt faciendo, quod in ſe eſt, ex diuina motione eleuatus, arctet fideles ad credendum.

8 Et quis niſi Deo inimicus talem libertatem definiendi ſine maturitate, & conſilio Pontifici affiget? *Nihil certè*, vt ponderauit Cic. 1. de natura Deorum, *eſt temeritate turpius, neque quidquam tam indignum ſapientis grauitate, & constantia, quàm aut falſum ſentire, aut quod non ſatis exploratè perceptum ſit, & cognitum, ſine dubitatione defendere.* Quanto magis definire, & ad credendum velle aſtringere, diligẽtia humana non prętermiſſa. Sed & cum Pontifex iudex ſit cōtrouerſiarum finiendarum, certum eſt, quod cum Iudex ſit lex, & regula animata, leges intueri debet, per quas dirigatur; omniaque præſtet, quæ ad normam iudiciariam pertinẽt. Hinc orta controuerſia de legalium obſeruatione, quamuis S. Petrus Apoſtolorum Princeps, & totius Eccleſiæ Catholicæ caput, ex chariſmatibus diuini Spiritus, per quem etiam libros Canonicos, hoc eſt, epiſtolas condidit, & ex immediata reuelatione Spiritus Sancti decidere potuiſſet, formã tamen tradidit Eccleſiæ definiendi, quæ à ſuis ſucceſſoribus ſemper hucuſque ſeruata eſt, atque ſeruabitur. Nam antequam è tribunali ſententiam proferret, dicit Scriptura Act. 15. *Conuenerunt Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc; cumque magna conquiſitio fieret*, Petrus dixit, &c. *vide*, ait Chryſoſt. hom. 32. *primũ inquiſitionem. & diſputationem fieri; & tunc ipſe dicit*, &c. Qui mos etiã in Cōcilijs ſeruatus eſt. Vnde Bullen-

gerus hęreticus subscribens in hoc, cum Caluino, veritati Catholicæ, ait, *Palam hoc loco admonemur ad Apostolicos viros pertinere, rerum ad fidem pertinentium quæstionem. Non enim dicit Lucas* (Caluinus ait) *totam Ecclesiam congregatam, sed eos, qui doctrina, & iudicio pollebant, & qui ex ratione officij huius causæ legitimi erant Iudices; fieri quidem potest, vt coram plebe habita fuerit disputatio, sed ne ad tractandum causam, vulgus promiscuè fuisse admissum quispiam putaret, Lucas disertè Apostolos, & Presbyteros nominat, sic vt magis idonei erant cognitores. Cæterum sciamus formam hic & ordinem in cogendis Synodis diuinitus præscribi, quum exorta est aliqua controuersia, quæ aliter componi nequit. Hic etiam mos* (addit Bullingerus) *à Sanctis olim Episcopis, ad Apostolorum imitationem, diligenter custoditus est verè, & ortodoxè.* Vnde & multa Cōcilia Prouincialia aduersus hęreticos celebrata, & maturā discussione hęreses explosę, Romę sub Victore, Hierosolymis sub Narcisso, &c. ex Niceph. lib. 4. c. 22. Etiam in Generali Concilio Nicęno, vbi & si de re minimè apud Orthodoxos controuersa, Arius in materia consubstantialitatis Filij Dei cęcutiret; nihilominus, vt ponderauit Canus 5. de loc. c. 5. ex Ruffino, *Per singulos dies agitabatur Conuentus, nec facilè aut temerè de re tanta statuere audebant Patres. Vocabatur frequenter in Concilium Arius, & assiduo tractatu assertiones eius discutebantur, & quod aduersus hęc teneri deberet, aut statui summa cū deliberatione quærebatur.* Eadem iudicij forma in alijs Cōcilijs obseruata est, vsque ad nouissimum Tridentinum, ad quod etiam hęretici ad disputandum inuitati, & signanter, quòd causę controuersę non temerè, & ex placito, sed secundum scri-

ſcripturam,Patrum ſententias,&c.finirentur.

9 Sed non ſemper pro quacunque hęreſi Concilia Generalia à Pontifice indicta. Vnde cum Pelagiani ſe iactarent,ideo ſe non eſſe victores, quia non illis datū eſt,quale deſiderabant examen (gloriam enim hanc captabant,vt propter eos Orientis, & Occidentis Synodus cōgregaretur)illis reſpōdit S.Aug.ad Bonifaciū ſcribens lib.4. cap. 12. *An verò congregatione Synodi opus erat,vt aperta pernicies damnaretur? quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit,cum potius rariſſimè inueniantur,propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit, multęque ſint,atque incomparabiliter plures,quæ vbi extiterunt, illic improbari,damnarique meruerunt,atque inde per cęteras terras deuitandæ innoteſcere potuerunt*, ibidemque dicit idē S.D.*Dedit vobis Eccleſia Catholica iudicium quale debuit,vbi cauſa veſtra finita eſt*. Sic multa Concilia Prouincialia congregata ſatis fuerunt, vbi Pelagius damnatus eſt,ſicut & contra alios diuerſos hęreticos, diligentia,maturitate præmiſſa; quæ Concilia à Pontificibus Rom.diligenti trutina expenſa,vel tacitè, vel expreſsè confirmata ſunt.

10 Verum nec ſemper Generalis, vel Prouincialis Cōcilij præmiſſis tractatibus, ſed ſola Pontificis definitione, diligentia tamen prę miſſa, innumeræ hæreſes exploſæ, & ſacroſanctum depoſitum conſignatum, dogmata explicata,& quid credendum, vel non credendum,fidelibus præſcriptum. Talia deprehendes in epiſtolis decretalibus,& extrauagantibus, vt longum ſit modo omnia recenſere; idque rationabiliter, vel propter bellorum incurſus, vel alias rationabiles cauſas (vt dicetur infra) à ſolo Apoſtolico throno con-

trouersiæ sunt sopitæ. Illud tamen semper solemne fuit Romanis Pontificibus, quòd in huiusmodi fidei controuersijs, non inconsultò, vel temerè, sed summa grauitate, ac maiestate processerunt. vnde egregiè S. Leo epist. 8. ad Flauianum. *Nos qui Sacerdotum Domini matura volumus esse iudicia, nihil possumus, incognitis rebus, in cuiusquam partis præiudicium definire, priusquam vniuersa, quæ gesta sunt, veraciter audiamus.* Propter hęc, Columbus, &c. Primates, & Episcopi prouinciarum Africæ, Numidiæ, Bizaceni, & Mauritaniæ ad Theodorum Papam. *In fidei negotijs examinandis recurrentes*, aiunt illi, quòd R*omano Pontifici in honorem Beatissimi Petri, Patrum decreta, peculiarem, omnē decreuere reuerentiam, in requirendis Dei rebus, quæ omnino, & solicitè debent, maximè vero iustèque ab ipso Præsulum, examinari vertice Apostolico, cuius vetusta solicitudo est, tam mala damnare, quam probare laudanda.* Et Episcopi Terraconenses ad Hil. ep. 2. sic dicunt. *Nos Deum in vobis primitus adorantes, cui sine querela seruitis, ad fidem reuertimus Apostolico ore laudatā, inde responsa quærentes, vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.* Et 35. q. 9. cap. *ad Apostolicæ*, sic dicitur. *Apostolicæ Sedis sententia, tanta semper consilij moderatione concipitur, tanta patientia maturitate decoquitur, tantaque deliberationis grauitate profertur, vt retractari nō egeat, &c.* Sed & Augustinus cum alijs Episcopis epistola ad Innocentium (quæ est 92. inter ep. August.) pro definitione recurrens aduersus Pelagianos, sic dicit. *Sed arbitramur, adiuuante misericordia Domini nostri Iesu Christi, qui te, & regere consulentem, & orantem exaudire dignatur, authoritate Sāctitatis tuæ, de Sanctarum*

scri-

ſcripturarum authoritate depromptâ, facilius qui tam peruerſa, & pernicioſa ſentiunt eſſe ceſſuros, &c. Cernis ergo non prętermiſſam diligentiam orantis, & conſulentis Innocentij, qui in Epiſtola ſua, vbi Africanos Patres laudaſſet, quòd quæſtiones fidei ad Sedem Apoſtolicam decidendas obtuliſſent, tandem Pelagianos tali definitione percuſſit. *Quare Pelagium, Cęleſtiumq; ideſt inuentores vocum nouarum, quæ ſicut dixit Apoſtolus, ædificationis nihilum, ſed magis vaniſſimas conſueuerunt parere quæſtiones, Eccleſiaſtica communione priuari, Apoſtolici vigoris authoritate, cenſeri*. Similiter cum ad Innocentium Secundum S.Bernardus ſcripſiſſet, pro damnatione doctrinæ perfidi Petri Abailardi, ſic reſpondet Innocentius epiſt. inter opera Bernardi 195 *Nos itaque, qui in B.Petri cathedra, cui à Domino eſt dictum, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos, licet indigni reſidere conſpicimur, communicato fratrum noſtrorum Epiſcoporum, & Cardinalium conſilio, deſtinata nobis à veſtra diſcretione capitula, & vniuerſa ipſius Petri peruerſa dogmata, Sanctorum Canonum authoritate, cum ſuo authore damnauimus, eique tanquam hæretico, perpetuum ſilentium impoſuimus.* Et Anſelmus in cap. 1. de Incarnat. Verbi ad Vrbanum. *Ad nullum itaque alium rectius refertur, ſi quid contra Catholicam fidem oritur in Eccleſia, vt eius authoritate corrigatur, nec vlli alij tutius, ſi quid contra errorem reſpondetur, oſtenditur, vt eius prudentia examinetur*. Alexander quoque eius nominis. 3. in Concil. Later. p. 2. c. 8. ſic Vigilienſi Epiſcopo reſpondit. *Cum Rom. Eccleſia ſit mater Eccleſiarum omnium, & magiſtra, cogimur ex debito ſuſcepti honoris, & regiminis, prout Dominus nobis dederit reſpondere conſultationibus ſin-*

gulorum, vt dubiæ quæstiones Apostolicæ Sedis prouidentia, enodentur. Vide prouidentiam, & prudentiam in definiendo, tot testibus confirmatam.

11 Certè prouidentia, & prudentia humana (quæ finẽ aliquem pro medio assequendo respicit Ar. teste 6. Eth.) consilia supponit, prudentis enim (ait) est benè posse consiliari: & electio mediorum ad finem, quam respicit prudentia, ab eodem definitur, quod sit *appetitus præconsiliati*: & tantò altior est prudentia, & prouidentia, quantò altior est finis, quem respicit. Vnde sicut prudentia politica, quę respicit bonum ciuitatis, vel regni, est supra prudentiam œconomicam, vt hęc illa, quæ ordinatur ad bonum proprium; ita prudentia Hierarchica Summi Põtificis altior est politica. Propterea, sicut prudentiæ simpliciter dictæ (ex August. lib. de moribus Ecclesiæ) sunt, *excubiæ, atque diligentissima vigilantia, ne subrepente paulatim mala suasione fallamur*; multo magis prudentię Pontificis, hę eędem Comites indiuiduę, adiunguntur.

12 Sicut autem in negotijs humanis in rebus manifestis non inquiritur. Sed statim ratio iudicat, nec requiritur consilij inquisitio, sed solum vbi est dubitatio; ita in multis dogmatibus iam manifestè definitis, non opus est pręconsiliari; quę enim semel definita sunt, iterum sub incudem non reuocantur. In illis autem, quę aliàs diffinita non sunt, hic cum inquisitione, & consilio proceditur, de his n. (ait S. D. 1. 2. q. 14. a. 4.) inquirere solemus, quę in dubium veniunt. Vnde, & ratio inquisitiua dicitur, *argumentum rei dubiæ faciens fidem:* & secundum maiores, vel minores difficultates, vel alias circumstantias, plures, vel pauciores consiliarij adhibentur. Hoc autem librare pertinet ad Rom. Pon-

Pontificem, à quo sicut res decernenda dependet, ab eodem pendet modus determinationis, nempe vt cum Concilio, vel sine Concilio definiatur, & si sine Concilio, vel cum aliquo cętu Episcoporum, vel Consistorio Cardinalium, vel Congregatione Theologorū: etiam secundum omnes istas vias videmus Pontifices definisse. Cum Concilijs quidem hac authoritate firmatis, ita per Nicęnum Arius damnatus est, per Constantinopolit. Macedonius, &c. Extra Concilia, vt cum Victor damnauit Asiaticas quasdam Ecclesias, circa celebrationem Paschę. Fabianus, & Cornelius Nouatianum, Zepherinus Montanistas. Cum solis Concilijs Prouincialibus Romę habitis, & alibi. Item cum Consistorio Cardinalium, sępissimè, vt patet in damnatione Abailardi supra: Fraticellorum à Ioanne 22. in extrauag. [ad conditorem] Cum solis Theologis, vt cum à DD. Salmanticensibus authoritate Xisti 4. ab Alphonso Carillo congregatis, errores Petri Oxomensis damnati sunt, probante censuras, eodem Xisto, in bulla q̃ incipit. *Licet ea*, 1448. 4. idus Augusti, & Propositiones Michaelis Baij à Pio V. & Gregorio XIII. Athea ergo vox est Spalatensis, dum pag. 24. sui Cōsilij scribit, quod *eò nostris temporibus redacta res est, vt ecclesiasticæ controuersiæ, non Theologis amplius, non Concilijs, sed torturibus, sed carnificibus, sed sanguinarijs, sed parricidis, Romæ defendendæ, aut Romę committatur*, & satis, superque confutatur ex dictis, quandô non sanguinarijs, & parricidis, sed Theologis, Episcopis, Cardinalibus examinandas controuersias, siue in Concilijs, siue extra, Romana Ecclesia semper commiserit.

13 Perperam autem quidam Pontificem ab Apostoli-

ca Sede seiunxerunt, dicendo Pontificem ab Apostolica Sede seiunctum, hallucinari posse, quia diligentiam potest relinquere, quam non potest, si consideretur procedens iudicialiter, & sedens in Apostolico Throno, vnde Agatho dist. 19. dicit: Sic *omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius diuinæ voce Petri, firmatæ*, super quo, dicit Archidiac. (quẽ sequitur Turrecre. lib. 2. de Ec. c. 112. ad sextam obiectionem) *Cautè*, ait, *dicit Apost. Sedis, & nõ Apostolici; Apostolicæ autem sanctiones, siue sententia in iudicio prolata, in Romano Pontifice intelligitur, non quæ occultè, malitiosè, aut inconsultè per solum Romanum Pontificẽ, aut etiam, quæ per ipsum, cum paucis sibi fauentibus, alijs in fraudem contemptis, siue non vocatis, ad partem profertur, sed quæ à Romano Pontifice maturo, & graui virorum sapientum, & maximè Dominorum Cardinalium, primo concilio digesta, maturata, & sancita profertur.*

14. Et quis vmquam veterum, Apostolicum à Sede Apostolica seiũxit? nec. n. Apostolicus sine Sede Apostolica, nec Sedes Apostolica sine eo intelligi põt; vt nec Magister sine cathedra, nec cathedra sine Magistro concipi; imò magis Apostolicum, quàm Sedem Apostolicam inspicere debemus, cum sicut non est homo propter templum, sed templum propter hominẽ; ita nec Apostolicus propter sedem, sed sedes propter Apostolicum. Si per Apostolicum persona, per sedem Apostolicam officium designari posset, iam in eam distinctionem veram, indubiam, acceptatam à fidelibus, incurrimus, de Pontifice considerato, vt homo est singularis, & vt Papa est, & caput Ecclesiæ vniuersalis. Sed dicere, quod etiam vt Papa nisi cum Consistorio

de-

determinet,vel quod omnes debeat conuocare,vt infallibiliter,& prudenter decernat, eſt Pontificiam poteſtatem coarctare. Nam & ſi Concilia, Conſiſtoria, Theologorum congregatio, oculi ſint huius capitis in conſiliando,lingua tamen cœli,& interpres eſt lingua Summi Pontificis,*& os eius* elegit,vt credamus, dicente Petro Actor.cap.15.*Elegit per os meum,audire Gentes verbum Euangelij,& credere.*Etiam influxus, & vis regitiua in capite reſidet, quod omnibus præeminet, & pro ſuo iure miniſterium omnium ſenſuum ſibi vendicat. Qui etiam,ſi non omnibus vocatis, ſed ſibi fauentibus,diligentiam præſtaret,inquirendo, differendo,vota auſcultando,ſatis ſuperque dirigeretur diuinitus;nam ad quoſcunque conſiliarios participatio diuini influxus extenditur;ſicut Moyſi ſenioribus,de ſpiritu prouiſum eſt, vt contra proprium ſenſum, veritatem demonſtrarent.

15. Sed quid ſi nullo vocato aliquid decerneret? Sunt qui dicunt adhuc infallibiliter diffinire; nam abſolutè dictum eſt,*Rogaui pro te Petre,vt non deficiat fides tua*, non autem ſub conditione, ſi diligentiam præſtaueris, ſi alios vocaueris conſultores.vnde non dictum eſt,rogaui,vt non deficiat prudentia tua. Vnde ſicut Sacerdos ſeruans,quæ de neceſſitate ſunt Sacramenti, licet non ſeruet cęremonias,peccat ſolum,ſed conficit; ita, & in propoſito verum definire,dicunt,Pontificem,ſed non prudenter tunc in illo caſu definire. Addunt tñ non permiſſurum Deum, quod diligentiam omittat.

16. Cęterum vt ſuauis ſit definitio fidei apud rebelles, non eſt neceſſe in has anguſtias metaphyſicas cogi, ſed dicēdum eſt cum magni nominis Theologis, quod cum diuina prouidentia attingat omnia fortiter, & diſpo-

disponat omnia suauiter, *fortiter*, ait Bernardus, *pro se, suauiter pro me*; mira fortitudo, mira suauitas in definitionibus interuenit. Suauitas in instinctu Pontificis est, vt vitaliter, & non tanquam instrumentum inanime determinet; ergo oportet, vt virtute intellectiua quoque vtatur. Verum (vt notat S.Th.3.contra Gent.c. 78.) in hoc suauitas prouidentiæ etiam elucet, quod mediantibus alijs creaturis intellectualibus homines regantur, vnde ait, quod illi, qui sunt excedentes. V.G. in virtute operatiua, oportet quod dirigantur ab illis, qui in virtute intellectiua excedunt: ita, & in proposito, & si in authoritatiua potestate excedat Pontifex, in virtute intellectiua plurium consiliariorum consilio dirigi potest, vt in scientia priuata excedi potest: dirigi autem, naturæ rationali est cõsentaneum; & Deus, qui assistentiam promisit, ex parte sua non exclusit, quod est rationabilis conditionis ipsius hominis, sed inclusit: finem quoque promittens, media non exclusit. Vnde vt in iustificatione, facienti, quod in se est, adiuto tamen diuino numine, omnem nostram industriam præueniente, Deus non denegat gratiam; ita facienti Pontifici, quod in se est (quod Dei ope quoque præstatur) gratiam, & donum infallibilis definitionis, & interpretationis non denegat. Vnde Chrysostomus hom. 33. in Acta Apostolica, Gentili fluctuanti quam fidem recipere debeat, sic respondit. *Scis quæ facienda, & quæ non facienda, quare igitur facienda non facis, sed & quæ non facienda? fac illa, & recta ratione quære à Deo, & ille omnino tibi reuelabit.* Et postea. *Non est possibile, quod is, qui absque acceptione personarum audit, non persuadeatur. Nam sicut si regula esset secundum quam omnes dirigi oportebat,*

non

non multo opus prætextu,ſed malè metientem facilè deprehenderemus;ita & in propoſito,à fortiori faciēs Ro. Pontifex quæcunque facienda ſunt, & ſecundum regulam fidei procedens à Deo ſolutionem accipiet cōtrouerſorum dogmatum,quę fidelibus ſunt conſignāda.Quare hęc conditionalis vera erit.Si præſtat Rom. Pontifex,quod in ſe eſt; illibatè depoſitum conſignabit: numquam tamen formidandum de conditionali oppoſita,quod ponatur in eſſe, ſcilicet quod non faciat,quod in ſe eſt,id enim falſum eſt,numquam enim permittet Deus,vt omittat facere,quod in ſe eſt, conſulendo regulam fidei, tum Doctores,& expertos in dogmatibus viros.Et quando dictum eſt Petro. *Rogaui pro te,ne deficiat fides tua*,media quoque definitionis impetrauit Chriſtus Dominus abſolutè,ne temerè definiret; & propterea etiam pro prudentia nunquam defutura rogauit.Et ſicut in Sacramentorum adminiſtratione voluit Deus,tanquam rem neceſſariò requiſitam, voluntatem, & intentionem miniſtri, ne eſſet inanime inſtrumentum,ita voluit adhiberi à Pontifice rectam rationem,quæ prudentiam includit,vt ſuo Pōtifici aſſiſteret;ſicut aſſiſtit ſacramentis ſuis. Quare exemplum in oppoſitum allatum, magis propoſitum firmat,quàm deſtruat.

17 Habet autem humana prudentia, cum circa ſingularia verſetur,& contingentia,& in ijs,quæ fiunt à nobis,vt non ſemper procedat per determinatas vias ad determinatos fines,ſicut contingit in artibus,quę habent certas vias operandi, nihilominus id quod lege poſitum eſt (ex S.D.1.2.q.14.ar.3.ad 2.) quamuis nō ſit ex operatione quærentis conſilium,tamen eſt directiuum eius ad operandum,quia iſta eſt vna ratio operandi,

randi, videlicet mandatum legis. Tamen in prudentia humana Pōtificis circa ea, quæ credenda sunt (nā alia ratio est de quęstionibus facti) oportet accipere, quod diuina lege positum est; hoc est Apostolicum depositum respicere, medijs consiliarijs, & illud habere tanquam directiuum ad definiendum, quod cum accipit sicut fit in artibus, est procedere per determinatas vias. Sapientes enim, & Theologi per scientiam Sanctorum, determinatas regulas proponunt inspiciendas, per quas dirigi oportet ad controuersa dogmata finienda, vnam, vel plures, iuxta qualitatem materiæ definiendæ; nec enim semper omnes adhibitæ viæ. Hę ergo sunt viæ, Scriptura sacra, Traditio, Decreta priora Pontificum, & Conciliorum, Patrum vnanimis sensus, Ecclesiæ consensus, Scholasticorum doctrina concordis. His vijs iuxta subiectam materiam processisse semper Pontifices, perpetua praxis in eiusmodi definitionibus ostendit. Illis inconsultis, numquam decretum ab Apostolica sede manasse confidenter asserimus: quod si emanasse pertuicaciter contendant; proferant aduersarij (quod nunquam fiet) & tacebimus. Simul autem prudentia, & ars, in consultatione Pontificum resplendent: prudentia vt plures, vel pauciores consiliarij aduocentur, hi non illi, vt hę, vel illæ viæ, vel regulę adhibeantur: ars verò, vt omnino per regulas fidei ad definiendum necessarias, easque determinatas procedatur.

18 Sed vt argumentis primo loco factis; respōdeamus. Diuersa ratio est de instinctu benè fortunati, & instinctu Pontificali. Benè Fortunatus sic agitur, vt nullam agendo præstet diligentiam. Secus autem Pontifex sic agi-

agitur,vt etiam agat,vt dictum eſt,ſic reſpondetur primæ inſtantiæ.

19 Nec vllum abſurdum eſt,vt qui diuino conſilio regitur , humana conſilia expectet : nam in actibus ſupernaturalibus , Angelus cuſtos, & homines etiam hominibus cõſiliantur per modum ſuadentis,& Deus quoque, nedum ſuadẽdo, ſed perficiendo operatur in hominis voluntate,& per modum perficientis 3. con. Gent.cap. 92. Ita & in caſu noſtro,Theologi per modum ſuadentis,Deus per modum perficientis,Pontifici conſilia ſubminiſtrat.Nec Principem,& Paſtorem Eccleſiæ ab inferioribus dedecet erudiri,nam nullum eſt inconueniens in potentijs ordinatis,vnam eſſe inſtructiuam alterius ſuperioris,quæ tamen eſt illius directiua,vnde virtus corporea, sẽſitiua,intellectiuę materiã cognitionis ſubminiſtrat,& tamen ſenſus ab intellectu corrigitur.Sic ſoluitur ſecundum argumentum.

20 Sunt autem Cardinales Epiſcopi,Theologi,per modum miniſterij aſſiſtentes, & conſiliarij , vnde nõ per modum principalis agentis ſe habent , ſed vt miniſtri. Quare ſicut Theologia iure ſuo inferiores facultates ſibi aſſumit , tanquam ancillas , ſic *Theologiæ columen*, Summus Pontifex(ſic enim S.Petrus à Dionyſ.appellatur ep.ad Tim.) omnem ſibi intellectum ſubijcit, vt famuletur , propterea nõ requiritur neceſſario conſẽſenſus inferiorum,ſicut conſiliũ in deciſionib.fidei,nã cõſenſus,& approbatio quãdã ſuperioritatẽ importãt, & neceſſitatem vidẽtur imponere ad illud amplectendum.Vnde etiam,ſi Epiſcopi habeant in Concilijs votum deciſiuum, adhuc ſub Pontificis moderatione , & iudicio vltimo ſubduntur,eius enim eſt fratres confirmare,& multò magis alios doctos non Epiſcopos , qui

vt

vt consiliarij aduocantur, edocere. Hęc est autem pręrogatiua Petri, & successorum, vt in altum ducat rete, hoc est, *in profundum disputationum*, vt dicit S. Ambr. 5. in Luc. cap. 5. & mox. *in hoc altum disputationis, Ecclesia à Petro ducitur*. Cui Maximus videtur alludere Hom. 4. de SS. Petro, & Paulo, qui loquens de S. Petro vocat eum *admirabilem piscatorem*, non tam piscium, quàm dogmatum, dicens. *Qui dum maris profunda rimatur, ad altissimum maiestatis aeternæ peruenit arcanum*. Et vt idem dicit. *Tantaque ei potestas attributa est, vt in arbitrio eius poneretur cęleste iudicium*, Propterea primum eius miraculum recensetur, quod claudũ sanauerit, eius enim est fidelium bases consolidare, vt sicut (dicit Ambros. serm. 68.) in *Ecclesia, fidei fundamentum continet: ita & in homine membrorum fundamenta confirmet*. Currunt ad monumentum Petrus Pastor, & Ioannes Theologus, præcucurrit tamen Ioannes citius Petro, verum Petrus primo monumentum ingreditur, nam & si interdum Theologus acrimonia festinet iudicij, subsequitur Petrus maturitate sententiæ, honor tamen Petro defertur, primus enim intrat, cui datum est diffinitiua sententia, vel ipsas cęlestes sedes, velut cęli ianitor introire. A legibus vero positiuis (quantum ad vim coactiuam) solutus est Princeps terrenę ciuitatis, cęterum non est solutus à iure naturali, & diuino. Similiter dicendum est de summo Hierarcha, quod subdatur iuri naturali, & diuino, quod ius etiam prudentiam, & consultationem includit, & pręcipit.

21 Consilia ergo auscultare, nedum naturali, sed & diuino iure tenetur. Vnde S. Chrysost. hom. 19. ad Rom. explicans ea verba. *Quis consiliarius eius fuit? dicit idcirco*

circo dicerem,quia nullius indiget conſilio,cum ipſe fecerit omnia,nec neceſſe eſt,vt à quoquā accipiat,cū propriū Dei ſit non conſiltari,vt omnis alius homo à Deo, conſilio dirigi opus ſit. Cogitationes enim mortalium timidæ, incertæ prouidentiæ noſtræ, vnde propterea Spiritus .S. ait Tobiæ 4. *Conſilium ſemper à ſapiente perquire.* Vnde & propter hoc Paulus, quamuis Spiritum Dei haberet,quamuis neque per hominem, neque ab homine Euangelium, ſed per reuelationem, accepiſſet, conſulit nihilominus Euangelium, ſeorſim autem eis qui videbantur aliquid eſſe, *ſuum iudicium,cum publico omnium iudicio coniungens*, vt ait Chryſoſt. ad Galat.in hunc locum.Ipſaq; diuina Sapientia noſtro modo loquendi nobis ſe accomodans,neceſſitatem quoq; conſilij inculcat,dicens. *Ego ſapientia habito in conſilio,& eruditis interſum cogitationibus*, vel vt legit Vatablus.*Ego Sapientia cohabito ſolertiæ,& ſcientiam conſiliorum aſſequor*. Quamquam hæc, ad aſſiſtentiam ſapientiæ cum conſilio res aguntur,planius referātur. Sic patet ad 4. Quæ omnia (vt alię vltimę obiectioni reſpondeatur) nedum cōgruentiam, ſed ex rerum natura ortam neceſſitatem cōſilij inducunt, vt ſi per impoſſibile conſilium deeſſet, illud (ex ſuppoſitione impoſſibilis antecedentis) ſequeretur, quod non aſſiſteret Spiritus ſanctus, quia tamen impoſſibilis eſt iudicialis error in Pontifice, impoſſibile eſt,vt diligentia, & conſiliariorum vota omittantur: & nunquā conditionalis, dicti impoſſibilis antecedētis, ponetur in eſſe.

22 Si verò illam opinionem ſequamur,quod abſque conſilio ſapientum poſſet definire,teſtimonium habemus,quo eam ſententiam defendamus, & hæreticis etiam obuiemus. Sic enim Nicolaus epiſt.18. ad Carolum

rolum Regem loquitur. *Sedes hæc sancta, atque præcipua, cui Dominici gregis, & solicitudo, curaque commissa est, in omnibus mundi partibus, rectitudinis suæ dispositione salubri, cuncta ordinare, perficereque, diuino freta procurat auxilio: Et quod singulari etiam authoritate perficere valet, multorum sæpè Sacerdotum, decernit sæpè definire conuentu. Rectè ergo cum Hilario concludimus*, lib. 1. de *Trinit.* quod in consignatione huius depositi, à Romano Pontifice, *Vnū est hoc immobile fundamentum, una hæc est felix petra, Petri ore confessa, Tu es Filius Dei viui; tanta in se sustinens argumenta veritatis, quantæ peruersitatis quæstiones, & infidelitatis calumniæ mouebuntur*, quas iam vidimus dissipatas, ostendendo Pontificem diuinitus afflatum infallibiliter decernere, depositum bona fide tradere filijs suis, non leuiter, sed maturè procedere, vt hęc omnia hęreticorum ora oppilare sufficiant, vt desinãt resticulas vltro nectere nouarum curiositatum, & nouitatum. Sed benè scripsit idem Hil. 6. de Trinit. *Emendatio difficilis stultorum est, per quam primum, & ratio intelligentiæ non requiritur, & deinceps ab intelligente intimata, non capitur, &c.*



CAP.

CAPVT XX.

Ex sola Patrum doctrina, sæpe Proceres Ecclesiæ, Concilia, Romani Pontifices triumpharunt. Ephesina Synodus decem numero Patrum authoritate contenta, Nestorium damnauit: minori numero etiam hæretici debellati: ex solo Augustino hostium acies profligatæ.

1 

Ola autem Patrum authoritate, Veteres contenti, cum in scripturis, in Concilijs nõ haberentur expressa dogmata, vel cum subdolè extorquerẽtur à perduellibus hęreticis, eos euincebant. In Concilio Alexandrino cum de diuinitate Spiritus sancti, & Christi anima aduersus hęreses disputatum est, non aliter hoc factum, dicit Socrates 1. Hist. cap. 5. Quàm *sicut antiquis viris visum fuit. Non enim nouam aliquam religionem excogitare, inque Ecclesiam introducere, sed quæ ab initio traditio ecclesiastica præscripserat, & sapientes Christiani, certis rationibus inquisierant, stabilire voluerunt. Atque ad hunc modum veteres omnes de hac re disputarunt, scriptisque prodiderunt ad posteritatem, Irenęus, Clemens, Apollinaris, Serapion, Ori-*

genes quoque, non quasi primus eius sententiæ author, sed mysticã de ea Ecclesiæ traditionẽ interpretatus. Aduersus Arium vocem consubstantialitatis à Patribus acceptam in Concilio Niceno, vt illum confutarent, vrgebant, ita docet Athanas. in epist. ad Afros; *Non suopte ingenio verba excogitantes, sed à Patribus petentes testimonia sic scripserunt.* Idem vt scribit ad Serapionem dicebat. *Ego secundum Apostolicam à Patribus acceptam fidem ista tradidi, nihil prorsus aliunde adijciens.* Sic in Ephesina Synodo triumphatum, quandoquidem ei visum est, vt dicit Lerinens. cap. 43. *Nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacrata sibique in Christo consentiens, Sanctorum Patrum tenuisset antiquitas.* Concilium Chalcedonense ad Patres cõfugit Act. 5. & 6. In 6. Synod. de duplici Christi voluntate, & operatione, catholicũ dogma firmatum est Patrum testimonijs, *quibus*, vt dicit Cano lib. 7. c. 3. *Ea solum ratione respondere se posse existimarunt, si libros deprauassent, & alia ex ijsdem Sanctis testimonia vel mutila, vel etiam conficta, in confirmationem erroris adduxissent.* Omnia Concilia recensere superfluum: & iterum de hac re supra tractatum est.

2 Rom. Pontificum clara testimonia. Patrum namque authoritate Leo magnus, Euthychem, eiusque sectatores proscripsit, astruxitq; à Sanctis PP. consentientibus, nullos nisi impios & hæreticos discrepare, ex 6. Hist. tripart. cap. 20. Ioannes II. serie Patrum recensita, Eutychianos reuicit. Innumera in epistolis Roman. Pontificum, & Conciliorum gestis exempla ministrantur.

3 Quid Patres? Cum Eunomius pondus Patrum, quibus euinci videbat sua dogmata, cerneret, illud effugium

gium meditatus est, vt authoritatem eorundem eluderet. *Ne velitis*, dicebat, *maiori parti*, nempè catholicorum, *plus tribuere, ac multitudine verum à falso discernere*. Sic putabat vniuersitatem pessundare; & mox ad Patres repellendos, linguam armans, subdit. *Neque dignitati quorundam commoti, mentem offuscare, vel plus his, qui praeccuparunt deferendo, posterioribus aures obserare*. At Basilius primo contra eundem Eunom. *Quid tu narras? non dabimus plus antiquitati? non reuerebimur Christianorum multitudinem, &c.* Ad Patrum vero consensionem confugiens, figit gradum, vt cum illis ad quos idem Eunomius, subdolè tamen, prouocarat, eundem confutaret. Subdit ergo. *Nullam rationem dignitatis eorum faciemus, qui omni spiritali gratia claruerunt, quibus tu omnibus inimicam hanc impietatis viam, & hostilem nuper excogitasti? sed claudentes simul oculos animi, exterminata cuiuslibet Sancti viri memoria, otiosam atque omnino vacuam deceptionibus, atque cauillationibus tuis, mentem nostram supponemus? magna profectò est tua potentia, si quæ multiplici artificio diabolus assecutus non est, ea tibi solo imperio aderunt. Siquidem omnes tibi persuasi, traditionem fidei, quæ præterito tempore sub sanctissimis viris euicit, cogitationibus vestris impijs postponemus?* Verum cum eandem fidem Patrum, vi veritatis conuictus, admisisset, & tanquā ad amussim, & regulam acceptasset Eunomius, sui oblitus eādem turpissimis probris affecit. Sed illum rursus aggreditur Basilius, quòd pugnantia loqueretur Eunomius, quippe qui ad amussim vocat, *& quo fidem laudat, eo consentire cum pijs patribus videatur: quo autem rursus ipsam carpit, tò aditum sibi ad oppositionem eius subaperiat*. *Quapropter eandem Pa-*

 trum

trum fidem,& regulam appellat, & certioris indigere additionis, confirmat, quod summæ ignorantiæ signum dicerem, sicuti gratũ fortè putarem etiam hoc subostendere. Regula enim,& amussis, ò doctissime tu, in quantum nihil eis deest, vt sint huiusmodi nullam accessionem suscipiunt: nam cui aliquid deest, illi additio congruit: quæ vt imperfecta sunt, nunquam rectè amussis, ac regula appellabuntur nominibus. Simpliciter ergo,& ad hominem, cum Patrum sensus sit regula fidei, & critirion quo, & etiam ad hominem, vt fatebatur Eunomius, vbi scripturę testimonia non habemus, vel eius intelligentiam, solo Patrum consensu, veritatem consequi possumus, & hęreticos reuincere, & debellare.

4 Hac amussi, quoquè contentus Nazianzen. 2. de Theol. dicebat. *Nobis satis est, quòd nemo ex his, qui diuino numine afflati sunt ex Patribus illis,& Magistris nostris, hanc sententiam hactenus, vel pronunciauit, vel pronunciatam approbauit.* Hinc August. in sola Patrum authoritate quiescens, satis putabat (vt re veraerat) Pelagianos cõfundi, post enim allata testimonia Cypriani, Hil. Ambr. & c. con. dicta Iulian. sic dicit. *Ego à tenebris Pelagianis, ad hactàm clara catholica lumina prouoco. Tu respònde quid facias, dic quo confugias? ego à Pelagianis ad istos* (nempè Patres) *Tu ab istis ad quos?* quasi appellationem intercludens. Qui si à Patribus, iam appellent ad Ecclesiam, tanto magis firmatur Patrum authoritas, cum Pontifex tanquam regula animata, & critirion quod, Patrum regula, tanquam critirio quo, decernat, & controuersias finiat,& perduelles Nouatores proscribat.

5 Quòd si *traditione vti opus est, non enim omnia accipi*

cipi possūt è scriptura, vt dicit Epiph.hęref.61.cū ꝰ sola traditione multa dogmata accepta,& definita sint, sola quoque Patrum authoritate, definire Ecclesia potest,& de hęreticis triumphare,in quorum monumentis magna pars traditionum , exarata inspicitur : tanto enim fœdere traditio cum sensu Patrum nectitur, vt qui vnum labefactare conatur , alterius fidem quatiat necesse est.Hinc Basilius ille pœnitens in vij. Synodo Act.1.anathematismo 1.sic dicit.*Qui doctrinas SS. PP. & traditionem Ecclesiæ contemnunt , quique causātur,& voces Arij,Nestorij,Eutychis,& Diostori iactant,dicētes,quod nisi satis ex veteri, & nouo testamēto instructi essemus,SS.Patrum,& Catholicæ Ecclesiæ traditiones sequeremur, execratio.*

6 Compendiosissima ergo via est , cum insurgunt hæreses,solam Patrum authoritatem vrgere,cum scripturæ non suppetunt,vel scripturas extorquent,quando Ecclesiæ proceres,& Patres ea vti noscuntur. Cum Imperatori Theodosio à Nectario persuasum esset (vt refert Sozomenus lib.7.cap.12.) vt aduersus hæresum Principes quosdam (iam enim celebranda erat Synodus Constantinopoli) disputaretur, & ad illud munus Sisinius deligeretur,perbellè à Sisinio responsum est,institutas cum Sectarijs disputationes, rixarum , & pugnarum potius fomites fore, eo verò remedio vtendum,quod ignem extingueret, vt vocatis factionum authoribus quęreretur,reciperent ne eos , qui ante Ecclesiæ distractiones scripserunt, videlicet interpretes,& DD.?vt si reiecissent,ipsi quoque tanquam refractarij, & hæretici manifesti excluderentur . Sin autem,ijdem in medium producerentur, & per eorum dicta,dogmata discuterentur . Proposito igitur Secta-

rijs, num Patres recipiendi? cum olfacerent quid sibi vellet Imperatoris perconctatio, non modica orta est inter illos dissensio; quidam enim Patres recipiendos, alij non recipiendos voluerunt. Explosis igitur repudiantibus Patrum authoritatem, & remanentibus, qui Patres acceptarunt, cuiuscunque sectæ libelli (postulantibus id Catholicis) producti sunt, & constituta die, vbi libelli prælecti sunt, ij probati, qui cum Patrũ doctrina conueniebant, ij explosi, qui controuersam, & aduersam doctrinam continebant. Hoc modo ex sola librorum SS. Patrum inspectione, breui veritatis compendio de hostibus triumphatum.

7 Non dissimilem praxim seruare voluit Theodora Augusta, cupiens enim perturbationes ab Iconomachis excitatas sedare, omnemq; operam impendisset, vt Constantinopolitana *Synodus* indiceretur, ad hæreticorum peruicaciam retundendam, id vnum postulauit, vt praxim veterem, tritaque vestigia sequerentur orthodoxi, nimirum vt Patrum authoritatibus, dogmata confirmarent, quas in eorum monumentis reperissent. Indicta igitur dies, vt per Patrũ documenta, controuersiæ finirentur. Omnis igitur generis multitudo in Palatium, vbi cœtus congregandus erat, conuenit, tùm eorum, qui sanam mentem conseruarunt, & obsequium erga catholicam, & orthodoxam fidem, quàm eorum, qui cum pietatis hostibus consenserunt, & heterodoxis manus dederant. Patrum libelli producti, ex ijs sacrarum probabatur imaginum cultus. eò res deuenit, vt qui sanctarum imaginum cultum reijciebant; reiecti potius, & exsufflati, & anathemati subiecti fuerint, Hæc ex Theophane oratione in *Sanctum* Nicephorum.

8 Hinc

8 Hinc meritò, saluo conducto Protestantibus dato, sacra, & œcumenica Tridentina Synodus, nedum solis scripturis, & alijs Conc. documentis, sed etiam ex traditionibus, Patrum consensu, voluit controuersias tractari, nec enim omnia ex scripturis accipi poterant, & multa non nisi ex traditione sola, soloque sensu Patrum dogmata habentur, & prædicantur.

9 At ne in maiorum sententijs perscrutandis, & testibus adhibendis, in infinitum aberrare contingat, numerum quoque adhiberi solitum in iudicijs ecclesiasticis, in medium proferimus, quo cōtenti Episcopi, in Concilijs legitimè congregatis, dogmata præscripsere, errores proscripserunt. Exemplis res demonstratur. In Concilio Ephesino, dum nouella Nestorij præsumptio damnanda consultaretur, producti sunt testes subsequentes, ex Oriente S. Petrus Alexandrinus Doctor prçstantissimus, & Martyr Beatissimus Sanctus Athanasius eiusdem Ciuitatis Episcopus consubstantialitatis filij Dei acerrimus Hyperaspistes: duo illa lumina Cappadociæ, Gregorius Nazianzenus, & Magnus Basilius: Gregorius quoque Nissenus fidei integritate, & sapientiæ merito, Basilio fratre dignissimus. Ex Occidente producti duo Summi Pontifices, quorum Epistolæ in Synodo illa lectæ sunt, & ne tantum caput orbis, testimonium redderet veritati, latera quoque illi adiuncta sunt; nam à Septentrione S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus, à meridie S. Cyprianus Episcopus, & Martyr gloriosissimus. *Hi omnes*, ait S. Vincentius Lerinensis cap. 42. *Sacrato Decalogi numero, Magistri, Consiliarij, testes, iudicesque producti, quorum beata illa Synodus doctrinā sequens, credens testimonio, obediens iudicio, absque tędio,*

 præ-

præsumptione, & gratia, de fidei regulis pronunciauit. Quamquam multo amplior maiorum numerus adhiberi potuerit, sed necesse non fuit, quia neque multitudine testium, negotij tempora occupari oportebat, & decem illos non aliud ferè sensisse, quàm cęteros collegas suos nemo dubitat. Decem ergo Patrum testimonium, satis, superque sufficere S. Synodus adiudicauit, tum ne tempus tereretur in euoluendis aliorum Patrum monumẽtis, nec enim id erat necesse, tùm etiam quia quod illi decem sentiebant, argumentum certissimum erat, cęteros collegas, qui allegari poterant, sensisse, & in eodem Patrum decalogo totius Ecclesię sensus imago satis exprimebatur, & propterea non vnius, vel alterius Prouinciæ Patres adducti, sed ex omnibus quatuor partibus orbis, vt omnes partes orbis idem sensisse in suis Prȩsulibus, qui pro eis loquebantur, tanquam legitimis procuratoribus in illis comitijs manifestissimè appareret: insuper ne aduersarijs calumniãdi locus pateret, vnius, vel alterius prouincię, vel testes voluntarios, & ad gratiam loquentes fuisse productos. Vnde S. August. hanc viam criminationis Iuliano Pelagiano prȩclusit, qui conuictus testimonijs Patrum Occidentalium, ad Orientales quoque antistites prouocauit (quod etiam fecerunt Lutherani ad Grȩcos confugientes, merito à Hieremia Patriarcha explosi) quibus sic respondit Augustinus 1. contra Iul. cap. 2. *Non ergo est, quod prouoces ad Orientis Antistites, quia & ipsi vtique Christiani sunt, & vtriusque partis terrarum fides ista vna est, quia, & fides ipsa Christiana est*: vnde illi condescendens, ad monstrandum etiam Orientalium consensum, Nazianzeni, Basilij, & aliorum quatuordecim produxit testimonia.

10 Sa-

10 Satis quoque fuisset in eodem Concilio solius Iulij, vel solius Felicis Rom. Pontif. authoritatem adduci, ad monstrandum Ecclesię vniuersalis consensum, ex documentis S. Augustini, qui flagitanti testimonia Orientis, sic eidem occurrit. *Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare, cui Ecclesia prçsidentem B. Innocentium si audire voluisses, iam tunc periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille S. Africanis respondere Concilijs, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes, & Romana cum cęteris tenet Ecclesia?* Sed vt plausibilior esset definitio, cum radice fidei, Romanorum Pontificum doctrina, cui vniuersus Christianus orbis communicabat, producti sunt collaterales rami totius Orbis, vt ostenderetur cum matrice Ecclesię coniunctos eadem tessera, & consanguinitate doctrinæ.

11 Ceterum, vt rectè aduertit egregius fidei defensor noster P. F. Petrus de Sotomaior in lib. defensionis Catholicæ confessionis contra Brentium c. 19. *Non semper est necesse tali numero addici Patres in Concilijs, vel Summos Pontifices extra Concilia, sed tunc (ait) cum duos, aut tres, siue plures Patres consenè aliquid afferentes adducimus, satisfactum credimus ad probandum Ecclesia consensum, ex duorum, vel trium testimonio, præsertim cum alij non contradicant, aut quia de ea non loquuntur, aut quia obiter, & obscurius.* Hęc ille, quæ doctrina tam celebris viri, (qui fidem illustrauit in Tridentino Concilio, eò missus, vt Pontificis Theologus, & dignus fuit Hosiano calamo, ab impijs vindicari) ne maiorum exemplis destituta videatur diligenter ex Sanctorum authoritatibus munienda. In promptu est auth.

auth. S. Augu. lib. de bono perseueranti c. 18. vbi cum prȩmisisset, contra prȩdestinationem Sanctorum, quã secundum scripturas sacras ipse Sanctus ex doctrina Ecclesiȩ defendebat, neminem, nisi errando disputare posse; ad probationem veniens, sic dicit cap. 19. *Puto tamen eis [hoc est Pelagianis] qui de hac re sentẽtias tractatorum requirunt, Sanctos, & in fide, & doctrina Christiana laudabiliter diffamatos viros, Cyprianum, & Ambrosium, quorum tàm clara testimonia posuimus, debere sufficere ad vtrumque, idest, vt gratiam Dei gratuitam, sicut credenda, atq; prædicanda est, per omnia prędicent,* & infra. *Sed his duobus, qui sufficere debuerunt, Sanctum Gregorium addamus, & tertium, qui, & credere in Deum, & quod credimus confiteri, donum esse testatur.* cap. vero 20. sic concludit. *Quamobrem si & Apostoli, & Doctores Ecclesiæ, qui eis successerunt, eosque imitati sunt, vtrumque faciebant. i. & Dei gratiam quæ non secundum merita nostra datur, veraciter prædicabant; & piam obedientiã præceptis salutaribus instruebant; quid est, quod inuicta violentia veritatis, rectè se isti nostri dicere existimant?*

12 Cernis piè lector Augustinum docentem duos, vel tres grauissimos Patres sufficere, vt legitimos testes ad Pelagianorum errores retundendos, & vt perpetuò in ea mansisse sententia Augustinum agnoscas, de eiusmodi sufficientia lege quȩ lib. 1. cap. 1. contra Iulianum inculcat, nam post adductas authoritates Gregorij, & Basilij aduersus Pelagianam hȩresim, negantes originale peccatum, sic ait. *Vide iam vtrum sufficiant tibi ex Orientis partibus, duo isti tam insignes viri, & tam clara præditi sanctitate, &, sicut fertur, etiam in carne germani.* Oriẽtis vero partes recenset ad hominem

minem arguens, quia fortè auidius Orientales, quàm Occidentales Patres, Pelagiani recipiebant, quod etiā ex eodem S. Augustino colligitur; post enim allegationem multorum Patrum Latinorum, contra eosdem Pelagianos sic inuehitur. *An ideo contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec vllus in eis est commemoratus Episcopus Orientis?* Propterea ex Oriente Gregorium, & Basilium produxit, vt ex hoc binario numero Pelagianam hęresim reuinceret. Et post adductam authoritatem Gregorij Nazianz. & aliorum Patrum, ad solum Gregorium se restringens dicit. *An tibi parua in vno Gregorio, Episcoporum Orientalium videtur authoritas? est quidem tanta persona, vt neque ille hoc, nisi ex fide Christiana omnibus notissima, diceret, nec illi eum tam clarum haberent, atque venerandum, nisi hæc ab illo dicta, ex regula notissima veritatis agnoscerent.*

13 Ergo vbi ex notissima veritatis regula, Pater aliquis grauissimus dogma aliquid traderet, vel ex consensu Ecclesię loqueretur, vel per eius dicta Ecclesiæ eiusdē sensum, atque consensum demonstraret, tantę authoritatis esset, vt merito ab omnibus, vt incorruptus testis, atque sufficiens ad faciendam fidem suscipiendus, atque suspiciendus esset. Sed & cum idem Pelagianus diceret, Ecclesiam Catholicam Filij Dei sponsam in Africa constupratam, & à latrocinantibus proinde eruendam (sic enim Catholicam sugillabat impius) vt constupratores, & latrones potius Augustinus reuincit hęreticos, & vnius Cypriani clypeo se tuetur, dicens. *Ideò ne latrocinamur ex Africa, quia vnum martyrem hinc opponimus Cyprianum, per quem probemus antiquam nos defendere fidem, contra vestri erroris vanam,*

nam, profanamque nouitatem? Et postea. *Vide quæ monstruosa, & furiosa dicas contra antiquissimam Catholicam fidem, non habendo quid dicas*, & mox ostendens ex vno Cypriano eandem fidem probari, ait. *Sed quātumlibet tergiuerseris ò hæresis Pelagiana, quæ contra muros antiquissimæ veritatis, nouas construis machinas, nouas moliris insidias, Pœnus disputator, quod me contumeliosè, tuus defensor appellat, Pœnus inquam disputatur, non ego, sed Cyprianus, Pœnus te hoc vulnere Pœnus; immolat & pœnam scelerato ex dogmate sumit*, metrū Virgilianum in Monomachię Aeneæ cum Turno ad Monomachiam Cypriani cum Iuliano, mira dexteritate, & concinnitate transmutans, Et ex hac Monomachia vnius tamen grauis Doctoris, prostratum Iulianū ostendens Augustinus, sequitur. *Quid si tot Episcopos ex Africa nominassem? quot ex alijs orbis partibus nominaui, aut quid si in eis plures Afri essent? Vnus hinc est, cęteri aliunde, quorum ab Oriente, & Occidente consensione confoderis, & tamen tanta obstinatione cæcaris, vt non videas te potius velle corrumpere antiquum Ecclesiæ decorem. i. antiquam fidem, tanquam Saræ aniculam pulcherrimæ castitatem.* Item lib. 1. cōtra Iulian. Hieronymi testimonium vrget, non vt vnius hominis, dicens, *Hic vir omnes, vel pene omnes, qui ante illum ex vtraque parte Orbis de doctrina Ecclesiastica scripserant, legitur, nec aliam de hac re tenuit prompsitq; sententiam.*

14 Et S. Basilius suam profitebatur esse Ecclesiæ fidē, Gregorij testificatione confirmans. *Fidei vero nostræ, quæ poterit esse euidētior probatio, quàm quod à nutrice beata fœmina, quæ ex vestro gremio progressa est. Macrinam dico illustrem illam educati sumus, à qua & Bea-*

Beatissimi Gregor. verba, quæ memoriæ beneficio ad illius vsque ætatem seruata, ipsa retinuit, edocti sumus. Quibus illa nos adhuc infantes, tanquam pietatis dogmatibus, finxit, ac formauit. Vide sufficisse Basilio vnum patrem Deiloquum ad fidei Catholicæ probationem. In Concilio Florentino tres sessiones habitæ sunt, nempe 20. 22. 23. ad inuestigādum vnius Basilij sensum. In Concil. Chalcedon. Act. 1. vnius Cyrilli dictum diligenter expensum: in 6. Synodo Act. 7. vnius Dionysij Act. 9. alterum Cyrilli, & Act. 12. vnum Mennæ testimonium. In 7. Synod. Act. 3. vna Chrysostomi periodus appensa, ibique dictum. *Sanctus Ioannes oris aurei talia dixit de Iconibus, quis audet dicere quidquā contra?* In Concil. Chalced. Act. 1. *Quis poterit nostri Patris Cyrilli reprehendere voces?*

15 Vnum ex aduersarijs pro nostra veritate tuenda Caluinum adducamus, qui lib. 3. institut. c. 3. sect. 10. in materia de iustificatione, sic dicit. *Neque opus est multum inuestigando laborare, quando vnus Augustinus sufficere ad id potest, qui fideliter, magnaque diligentia omnium sententias collegit, ex illo igitur sumant lectores, si quid de sensu ambiguitatis habere certi volunt.* Ergo quando vnus Pater testis est sufficiens, & indubitatus antiquitùs traditæ fidei, firmissimum præstare argumentum, vel ipsorum aduersariorum iudicio nouimus. Ad vnius quoque Patris authoritatem se restrinxit Iuellus in concione ad Crucem D. Pauli habita, & apud Humfredum in eius vita impressa anno 1579. pag. 125. qui loquens de 27. articulis ab ipso enumeratis, ait. *Quod ante dixi nunc repeto, libens me submittam, & palinodiam canam, si modo vnus quispiā aduersariorum nostrorum eruditorū,* de nobis loquitur,

vel omnes simul sumpti viuentes, proferre possint, vel vnam aliquam dilucidam sententiam, ex veteri aliquo Patre, vel Doctore, vel generali Concilio, pro tempore 500. post Christum, annorum, qua vel vnus aliquis articulus ex 27. à me propositis, probetur. Simul etiam protestatus est, se non hæc feruore aliquo percitum, sed simplicis veritatis intuitu commotum, asserere. Vnde Vvitak. resp. ad Campianum rat. 5. pag. 90. sic dicit. *Audi Campiane quã, ea die, Iuellus vocem verissimam, & constantissimam emisit, quo ad tẽpus sexcentorum annorum prouocauit, vobisque obtulit, vt si vel vnicam ex aliquo Patre, aut Concilio claram, & dilucidam sententiam afferetis, non recusaret, qui vobis palmam concederet, & est nostra omnium professio: idem omnes pollicemur, fidem non fallemus.* Vni ergo Patri Deiloquo fasces submittere, tanquam legitimo antiquitatis testi, confitentur Nouatores, suisque cuniculis proprias munitiones infringunt, dum nedum per 600. annos, sed per sexdecim secula decurrentia pro vnoquoque dogmate, nedum vnum aut alterum, sed myriades Patrum sacrorum dogmatum testes, & conseruatores, nedum nostri, sed & sui recensent Centuriatores, aliàs Patres proscindentes, & reiicientes, & veluti calculorum subductione, & inuersione imperitos oblectantes, atque fallentes. Par erat (vt in simili dicit S. Nazianz. aduersus Apollinarium) *vt quod vel accusant, non facerent, vel quod faciunt, non accusarent, si modo sibi ipsis saltem constare proponerent, ac non & sua, & aduersariorum dogmata commemorare. Talis nimirum est vecordia, & secum ipsa, & cum veritate pugnat, vt nec in se ipsos reuolui sentiant, nec erubescãt,* ita vt si in arenam descendant, quoquaque versus, vinci necesse

sit,

sit, siue fugam, reijciendo Patres, meditentur, siue in acie stando eos accepteent.

16 Quanti vero vnius Augustini authoritas in Ecclesia habita sit, in materia dogmatica, præsertim in materia prędestinationis, & gratiæ, ex epistolis decretalibus Cęlestini, & Hormisdæ, & Gelasij, cernere possumus; idem apparet ex decretis Conciliorum Mileuitani, Arausicani, & nouissimè Tridentini, vbi doctrina Augustini in Canones redacta est, nec enim veluti priuatè loquentem, Pontifices, & Concilia deprehenderunt, sed ex publica fidei regula differentem, nec vnquam Orientales, & Occidentales Episcopi, ipsaque sedes Petri, viuentis, & mortui Aug. authoritatem magnifecissent, si non ex publica regula edocẽtem agnouissent. Certissimũ vero est Romanam sedem, nihil firmare, nisi quod cum cæteris tenuit, & tenet Ecclesijs. Quare vt impium reputatum est, & reputatur, Ecclesiæ Catholicæ sensum respuere, sic Augustinum ex Ecclesiæ sensu loquentem, eiusdemque calculo approbatam doctrinam respuere, securum vero non contraire. Cesset ergo oppugnare, dicit S. Prosper lib. contra Collatorem, *Quis in hanc austeritatem, supercilium iam tetricæ frontis se armauit, vt mensuras sensuum, pondera locutionum, numeros syllabarum tanquam insidiosus scrutator euentilet, magnumque se aliquid conficere pręsumpsit, qui catholico prædicatori, notam erroris affigat? quasi incognitum aliquod opus, & quod hactenus latuerit, impetatur, cum ille his morsibus lanietur, qui nouorum hæreticorum commenta disiecit, & diabolicum tumorem Pelagianæ elationis elisit.* Sed de hac re redibit sermo inferius, cum S. Augustini doctrinam ab impugnatoribus vindicabimus.

17 In-

17 Interim pōderandum, quod quidam πατρημήτωρ (qui Patrimaternitatem, vel Matripaternitatem introduxit) scripsit; quod hoc ordine authores suscipiendi. Primo ait; *Scriptura, Concilia, & decreta Sedis Apostol. recolantur. Secundo Patrum, & exempla Sanctorum. Tertio plurium Seniorum consensus vnius Prouinciæ examinetur. Quod si plerique seniorum Prouinciarum omnium conueniant, & conspirent, pluris facienda est opinio, quæ ex illa concordia nascitur, quàm quæ ex octo, vel decem Patrū testimonio, oriri cōsueuit.* lib. 4. tract. 4. cap. 10. Elucid. Et quantum ad primum & secundum locum, nullus Catholicorum dubitat. Quantum ad tertium, exprefsè illi contradicit Ephesina Synodus loco supra citato, quæ decem Patrum authoritate tamquam sacrato decalogi numero (ex Lerinēsi supra allato) decreta formauit contra Nestorium, nec illis contradixit, sed secundum illos, de regulis fidei pronunciauit. Iudicent censores fidei, dato hoc principio, quantas gratias agerent Consistoria Nouatorum vnius Prouinciæ, vel omnium, si daretur eis licentia contra octo vel decem concordes Patres, sua placita defendere. Iam vero, vt scripsit idem Lerinensis c. 4. *Si nouella contagio, non iam portiunculam tantum, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur*, quod nam remedium adhibendum? an senes Prouinciarum adhibendi contra Proceres Ecclesiæ? minimè. Nam & multos producebant Ariani, & alij hęretici: *Sed tunc*, subdit idem Sanctus, *prouidebit Catholicus, vt antiquitati inhæreat. Quod si tale aliquid emergat, vbi nihil huiusmodi reperiatur? tunc dabit operam, vt collatas inter se Maiorum consulat, interrogetque sententias.* Non ergo senes quærendi Prouinciarum, aduersus Pa-

trum

trum venerandam caniciem. Clauis putei abyſſi, vnde teterrimæ errorum tenebræ poſſent exhalare, in profundum maris abijcienda.

CAPVT XXI.

Diabolus ſemper, funeſtius verò hoc ſeculo, in Patrum contemptu Atheiſmum fundauit, proinde à Catholicis magna cura adhibenda, in Patrum authoritate tuenda.

1 

Iamuerò Patrum cōſenſus, cum Eccleſiæ ſenſum demonſtret, traditionem Apoſtolicam pandat, ſacram Scripturam interpretetur, canonicos libros ab apochryphis ſecretiori, & arcana Theologia ſeiungat, & per veneranda antiquitatis teſtimonia, tanquā media inueniendæ veritatis, Romani Pontifices, Concilia, controuerſias de fide exortas terminarint, hæreticorum ora oppilarint, etiam fatentibus aduerſarijs (ita Kemnitius par. 1. exam. fol. 64.) *Eccleſia ab Apoſtolis, & Apoſtolicis viris non modo textum, ſed etiam verum, & germanum ſenſum accepit*; fra-

ctas iampridem vires reassumens diabolus, Patrum firmamenta conuellere, audaciùs, quàm vllo tempore prçstitit, nouissimè ausus est, venerandam caniciem crassis scommatibus lacerans, de inscitia, socordia, superstitione criminando taxare, vt vniuersę fidei fundamenta quatiendo, si fieri posset, subuerteret. Quid inde? breui compendio in Atheismo gradus fixit, & per eosdem profecit impietas. *A minimis enim plerunque incipit veterator malorum Diabolus*, inquit Chrysostomus in cap. 27. Matt. hom. 87. Nec enim (vt ibidem exemplificat) *Caim confestim cędem fratris illi suggessit, de magnitudine Dei commotus, tàm scelestum facinus abominaretur, sed prius persuasit deteriora offerre, nullum esse id dicens peccatum: deinde inuidia veneno succendit, nihil etiā hinc mali secuturum persuadendo: ita sensim in eum illapsus, ad cędem fratris, ad negationem sceleris cōpulit, nec prius cessauit, quàm malorum omniū verticē imposuit.* Amplius ex eodē, *studebat in Phytonissa derisionē Regē detrudere iterum, quia non adhibuisset ille mentem, ad Phytonissas paulatim ipsum inducit. Nā quoniam Samueli non obtemperauit, & holocausta offerri praparauit, illo absente accusatus, ait, necessitas hostiū facta est maior. Cumque flere oportuisset, quasi nihil mali fecisset, latabatur. Iussit deinde nonnulla de maledictis Deus, ea quoque transgressus fuit. Hinc aduersus David illum insaniuit, ac sic paulatim, atque paulatim labens, non stetit, quousque ad ipsum perditionis baratrum se ipsum immisit.* Et postea subdit infra. *Sic in Iuda maximum proditionis malum concreuit, nisi enim putasset paruum esse, pecuniam inopi surripere, in tantam proteruitatem non deuenisset. Iudai quoque, nisi putassent inanis gloria delictum minimum esse, vsque ad cędem Christi*

sti

sti,lapsi non fuissent.Hac via omnia scelera fieri videbis.Nemo enim repentè ad extremam improbitatem insilijt: habet quippe insitum quēdam anima pudorem, atq; innatum,quem subito calcare, atq; proijcere non potest. Hoc pacto etiam idolorum cultus aditum inuenit, cum vltra quam oportet, viui, ac defuncti nonnulli honorarentur. Hoc pacto simulacra, & statua adorata sunt.

2 Sed & alius quomodo in Atheismum, ex paruo cōtemptu,ad abnegationem Dei velut alter Diagoras sit prolapsus,ex Dorotheo audiamus ferm.2. *Frater,* inquit,*quidam fuit,qui cum aliquid boni de fratre quopiā quisquam pradicaret,statim respuebat eum dicens. Quis est ille? non est,qui momenti sit alicuius,nisi Zosimas, & qui cum eo sunt. Post cępit,& hunc contemnere, ac nihil pendere,dicens. Nemo est,qui quicquam valeat prater Macharium.* Et non multo post,ait. *Quid est Macharius? nullus quidquam est prater Basilium, & Gregorium,atque paulo post, cępit & hos teruncij facere,* dicens. *Quid est Basilius? Quid est Gregorius? nemo quicquam valet,nisi Petrus,& Paulus.Cui ego dixi.Certè frater,& hos etiam contemnes. Credite mihi, non mentior,non multò post dicere occepit. Quid est Petrus? Quid est Paulus? nemo est alicuius momenti, nisi Sancta Trinitas.Postmodum verò, & contra Deum ipsum superbire cępit,& insolescere. Denique ad eum modum delapsus est in perditionis, & impietatis barathrum.*

3 Non dissimilis fuit progressus disciplinæ Luthericæ,velut enim alter Iudas,Lutherus auaritiæ, & inuidiæ (vt alter Caim) stimulo percitus, cernens inuulcandarum indulgentiarum commissionem, à suis ad nostros *Prædicatores* translatam, quasi bolo culinario priuaretur, & Prędicatorum opera præferretur,

primo abusum (vt prætexebat) mox omnem Indulgentiarum rectum,& pium vsum damnare cœpit. Accurrunt Theologi,ex Scholasticorum doctrina, Ecclesiæ potestatem defendere satagunt. Quid ille? Scholasticos omnes pili non fecit, S.Thomam ingeniorum florem proscindit. *Quid*,ait,*ad nos Thomas Aquinas? qui aliàs multa habet impia,absurda,verboque Dei planè contraria?* disput.de Missæ sacrif. Tubing. par. 2. & S.Bonauenturam,& alios eidem adiungens,vocat *non sinceros,non euangelicos ,sed Dialecticos, Peripateticos, Pythagoricos,Temerarios,Scholasticos,idest*,eo exponente,*illusores Thomistas, Thomastros, impropriistas*, apud Catherin.apolog.contra Lutherum. Inde progressus Purgatorias pœnas abnegauit, Sacramentorum numerum truncauit, noua, & heterodoxa dogmata publicauit,& Scholasticis valè dicens, ad Patres prouocauit. Sed scriptis Patrum conuictus, non multo post ijsdem reiectis,ad scripturas confugit. *Iam* (inquit,in proem.assert.) *Quanti errores in omnium Patrum scriptis,inuenti sunt? quoties sibi ipsis pugnant? quoties inuicem dissentiunt? quis est,qui non sæpius scripturas torserit? quoties Augustinus solum disputat, nihil diffinit? Hieronymus in commentarijs ferè nihil asserit. Qua autem securitate possumus alicui niti, quem cõstiterit sæpius errasse,sibi, & alijs pugnasse, scripturis vim fecisse, nihil asseruisse, nisi authoritate scripturæ, nos omnia eorum,cum iudicio legerimus?* Et infra. *Nolo omnium doctior iactari,sed solum scripturam regnare.* Sed Patribus relictis, fortè Lutherus in sola scriptura recipienda modestior? Minime. Sed eadem machæra, qua Patres percussit,scripturam detruncauit. *Epistola,* inquit præfat.Germ.in eand. *ad Hebreos,neque Pauli*

est,

est, neque à quoquam Apostolorum scripta. Epistola Iacobi ſtraminea eſt, & nec eſt Apoſtoli, nec Apoſtolico ſcriptu digna, de cap. Bab. c. de extrem. vnct. Secunda ep. Petri incerti authoris eſt, apud Senẽſ. lib. 7. Biblior. hęr. 9. De ſecunda, & tertia Ioannis dubitat. Iudę epiſtola *Indigna quæ canoni inſeratur*, ab eodem adiudicatur, Pręf. in epiſt. Iacobi. De Apocalypſi ait, *hunc librum vllo modo deprehendere poſſum, quod à Spiritu ſancto confectus ſit*. In prior. ędit. in Apoc. Librum Eſther extra canonem habet. In ſerm. conuiu. & colloq. lat. & German. Tobię, vt *poema iudaicum, exiſtimat*, Iudith *tragediam, vel fabulam*, in Germ. verſ. Machabęorum librum inter apochryphos, *t ãquam*, inquit, *nimium Gẽtilium ſuperſtitionem ſapientem* ablegat. Sapientiæ librum inter apochyphas ſcripturas recenſet, In ſympoſiac. coll. Eccleſiaſticum *à iuriſta, non à Propheta compoſitum autumat*: inſtar *Talmud ex varijs libris cõſarcinatum*. librum Baruch diuina authoritate expoliat, tertio, & quarto libro Eſdræ aſſimilando. Hymnum trium puerorum, Suſannæ hyſtoriam, & Belis draconis, vt laciniofas partes, è Danielis Prophetia, cenſoria virgula expungit in Germ. verſ.

4 Abrogatis ijs (quos Deuterocanonicos vocandos contendunt aduerſarij) ad Protocanonicos eliminandos feſtinauit, dicens. *Moyſem cum ſua lege habere nolo, eſt enim Chriſti Domini hoſtis*. c. de legib. in ſerm. conuiu. collectis per Rebenſtork. lib. Paralippomenon *inferioris authoritatis eſſe, quam libros Regum*. Librum Iob eſſe velut *argumentum fabulæ, vel comędiæ ad patientiæ exemplum*, propoſitum. Authorem libri Eccleſiaſtes, *equitare in arundine longa, ſicut ipſe, dum eſſet in Monaſterio, nec ocreis, vel calcaribus eum*

librum indutum, hoc est nullam habere perfectam sententiã. Cantica Canticorum nihil aliud continere, quam *amicabile colloquium inter Salomonem, & Hebræam Rempublicam.* Psalmos nõ Dauidem, at *Aesopum* descripsisse, Io. Matthes. apud Resc. Pepercit fortè scripturis noui testamenti, quas etiam vt *Protocanonicas* accipiunt? nequaquam. Nam quantum ad Euangelia attinet, *Solum S. Ioannis Euangelium esse vnicum, verũ, & purum Euangelium*, scribit, *hoc solum habere naturam Euangelij.* Ex Cochle. 3. de auth. script. Epistolas Pauli nonne mutilat? In comm. 3. c. ad Gal. cum ait. *Nihil moror scripturæ locos, si etiam sexcentos producas, pro iustitia operum:* quid tandem de vniuersa scriptura. Post *Biblia nullus habetur in orbe liber elegantior, quam scripta Catonis, & Aesopi fabulæ.* In colloquiijs apud Aurif. de diu. script.

5 Quid supererat? vt Patribus reiectis, & canonicis scriptoribus explosis, in Trinitatẽ debaccharetur, & insolesceret. Mentior, si non hæc in Luthero deprehẽdes. In enarratione Euãgelij de S. Trinitate sic habet. *Tametsi vocula hæc, Trinitas, nusquam in diuinis scripturis reperiatur, ceterum humanitùs tantummodo inuẽta sit: Vndè omninò etiam frigidè sonat, & multò probabilius foret, si Deus potius quàm Trinitas diceretur.* Etiam fidei definitio tradita ab ipso in c. 27. Genes. ad Constant. non Apostolica, sed Apostatica probabitur, si in medium proferatur, nimirum. *Fides est opinio, quæ fertur in id, quod nihil, quod impossibile, & absurdũ est.* Fides. n. Catholica funditus per eam eradicatur, cum, Luthero definiente, impossibilia, absurda, non extantia, fateatur. Eoque iam ventum est, vt ex vno Luthero propemodum tanquam à fœcunda genitura

ra

ra, ducentis,& amplius ſectis exortis, (vt vtar Hilarij verbis,*Tot fides,vt volumus,aut ita volumus,intelligun tur,& cum ſecundum vnum Deum , & vnum Dominũ & vnum Baptiſma,fides etiam vna ſit , exceſſum eſt ab vna fide,quæ ſola eſt, & dum plures fiunt, ad id cęperunt eſſe,vt nulla ſit*. En quomodo à PP. contemptu, Atheiſmus in orbem introductus. Libeat etiam quæ S.Baſilius luctuoſiſſimo ſuo ſeculo expertus eſt, præſentibus temporibus adaptare, epiſt. 61. ad oriental. *Spreta*,ait,*ſunt Patrum decreta , Apoſtolicæ traditiones nihili fiunt,recentiorum hominum adinuentiones ad gubernandas Eccleſias vſurpantur , ex artificio denique iam loquuntur homines,non Theologicè . Sapientia mundi primas obtinet neglecta crucis gloria,pelluntur paſtores,ſubintroducuntur in illorum locum Lupi graues,gregem Chriſti diſcerpentes , & ſeniores lamentantur vetera præſentibus conferentes,iuniores hoc ſunt miſerabiliores,quòd quibus boni priuati ſint,ignorant*.Et epiſtola 69,*ſubuerſa ſunt pietatis dogmata, turbati ritus pietatis,&c.Iam ad defenſionem mutui belli, & diffidij , excogitatus eſt à quibuſdam hic prætextus,vt ſimulent ſe orthodoxiam vlciſci, & quò proprias obtegant inimicitias,pietatis ſe gratia hoſtes nobis eſſe factos,videri volunt.Alij verò quò caueant,ne de erroribus, & commentis hiſce turpiſſimis argui poſſint,plebem ad mutuam cõtentionem inſtigant,veſanamque reddunt,vt publicis poſtea malis ſua ipſorum delicta obſcurent,&c. Interea rident nos Infideles,nutant qui modicæ ſunt fidei,fides ipſa in ambiguum vocatur, ignoranita offunditur mentibus;propterea quod formam, ac ſpeciem veritatis prætexunt,qui ſermonem verſutè adulterant . Silent enim piè docentium ora,reſoluta vero eſt quæuis blaſphema*

 lin-

lingua. Hi fructus Luther ici, & Nouatorum aliorum ex Patrum doctrinæ ablegatione.

6 Cum ergo ex Patrum cōtemptu aditus ad Atheismum induci possit; vigilandum est, ne Diabolus dissipando sepē, possessionem diripiat. Vulpes paruulæ initio capiendæ sunt, ne demoliantur vineā Domini. *Sūt* (ait Hieronymus) 17. comment. in Es. cap. 62. Patres, & Doctores Sancti, custodes murorum Ecclesiæ, *qui custodiūt muros Ecclesiæ, ne aduersarius noster Diabolus, qui quasi Leo rugiens circuit, & quærit quomodo possit intrare, occasionem arripiat ad gregem Domini deuorandum*, imo ipsimet metaphoricè muri excelsi ab eodem vocantur, *ne citò ciuitas destruatur, ne hostibus pateat, quia circundantur Ecclesiæ à Sapientissimis viris, & omni ratione firmantur, nè præualeant veritati Dei. Huiusmodi muris Deus loquitur ad Hierusalē, ecce super manus meas depinxi muros tuos, & in conspectu meo sunt semper.*

7 Absit tàm grande malum, vt ab aliqua Ecclesia, vel vniuersitate muri destruantur, hoc est, vt Patrum Choro vale dicatur, & contradicatur, nam vt scripsit Hieronymus in cap. 9. Hier. *Cum Ecclesiastici viri Doctores quique defecerint, tunc datur Hierusalem in transmigrationem, siue in aceruos arenæ, vt hæreticus in ea sermo præualeat, & efficiatur cubile draconum, & ciuitates eius redigantur in solitudinem, nec sit in ea diuini sermonis habitatio, & ille, qui dicit: inhabitabo, & inambulabo in eis, & ero Deus eorum.* In promptu exempla adducūtur. Nonne Oriens, factus est in desolationem, quando Ariana lues, à Patribus traditam consubstantialitatem Filij Dei criminata est, & ne dum vrbes, populos, prouincias, sed etiam Romanum Imperium concussit?

cuſſit? Quid ex nouelli dogmatis, Sabellij, Eunomij, Manetis, Donati, & huiuſmodi miniſtrorum Satanæ inductione,& nouella contra Patres adinuentione? priuata omnia,& publica,ſacra,profanaque permixta, & tanquam de loco ſuperiori percuſſa.Quid ex ſubſequentium hęreticorum proprijs placitis,veterum Magiſtrorum ſpretis doctrinis? Summis ima permixta, Chriſto Belial,diei nox,dulci amarum, bonum malo horribili temperatura coniuncta, fides vniuerſa exulare à Prouincijs,à Regnis multis iuſſa eſt.

8 Tolle Patres,& vniuerſa moles ſacrorum dogmatũ per manus veterum, tranſmiſſę ad nos traditioni ſubnixa, corruet,nã exempli gratia, doctrina de iuſtificatione,Sacramentis,reali pręſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, Primatu Summi Pontificis, Purgatorio, Monachis,Cœlibatu,& (ne ſingula controuerſa capita enumerem) totius Chriſtianæ religionis compendium,in Deiloquorum Patrum ſcriptis inſpicitur expreſſa,& impreſſa,vt nec adultero ſtylo falſari omnes codices potuerint,& illibata vſque ad hæc tempora perſeuerant. Tolle Patres,& vniuerſum hæreſum corpus in cineres,fauillaſque redactum, rurſum attollet caput, rurſus euigilans nouam cutem ſuperinducet, neque enim cuiuſq; ſeculi hęreſes eieratæ,primò ſunt conuictæ,niſi ex Patrum concordi ſententia, ſecũdum temporum ſuorum ſeriem, veterem traditionem poſteris bona fide conſignantium, & nouitias damnantium paraturas. Nonne Simonis Magi portentum, quod Deus ſit author peccati,noſtri libertas arbitrij à Manichęo extincta,à Iouiniano caſtitas, & cœlibatus proſtituta,& meritorum gradus ſolo ęquati, exorciſmi à Pelagiano Iuliano improbati, à Donatiſtis altariũ ſub-

ſubuerſio,& chriſmatis conculcatio, & ſexcenta huiuſmodi à PP.damnata,lucem iterum aſpicient,& (ſicut factum eſt) nouos patronos, & Magiſtros coaceruabunt,& ad nouas fabulas,nouaſque tragędias reperiendas,& effingendas inuitabunt?

8 Quare ſi vnquam locus à Patrum authoritate cordi,curęque fuit Orthodoxis,vt illęſus, & illibatus ſeruaretur, hoc luctuoſiſſimo ſęculo aduerſus Nouitates profanas, omni diligentia muniendus,nam vt ſcripſit de ſuo quoque tempore Caſſiodorus in inſt.c.11. *Sunt nonnulli,qui putant eſſe laudabile, ſi quid contra antiquos ſapiant, & aliquid noui, vt periti videantur inueniant.* Superbiſſima certè, ac periculoſiſſima tentatio, quæ viam facit ſemitę iræ Dei,iuſto iudicio permittentis eiuſmodi homines paulatim ad hęreſis barathrum corruere. Quoties,clamat S. Hieronymus in Aggęum, *Vidi ego tàm in doctrina, quàm in conuerſatione de quibuſdam ſperata plurima, & poſtquam ventum eſt,vt haberent tempus meſſium, ideſt tempus docendi,vitamque ſuam in exemplum præbere populis, de excelſo præcipitatos, & minus inuentum in eis, quàm opinio ſibi omnium promittebat,vndè accidit,vt paulatim negligentia,& ſuperbia,paruum quoque ipſum,quod videbantur perderent.Hoc autem idcirco perpeſſi ſunt, quia ſecuri fuerint in priſtinis domibus ſuis,nec aſcenderunt ſcripturarum montem, & Patrum doctrinam ædificationis de eo dominicæ ligna cedentes,nec extruxerunt in ſe domum Domini, ſed deſpicientes eius deſolationem,etiam id perdidere, quod ſe habere credebant.* Mira certè peruerſio, quòd proprio iudicio inhęrentes ad ſyluas Patrum, ad cedenda ligna pro obſequio domus Domini pergere recuſarint,ſua domo, hoc eſt

no-

nouella præſumptione contenti, ędificantes ſibi velut tinea domum ſuam,& malunt nuperę inuentioni fidẽ adhiberi,quã,vetuſtis Patrum doctrinis aurem accommodare.*Conſiderare* debebant Patrum contemptores (vt in ſimili ad domicellam quandam ſcripſit Grego. epiſt.33.7.regiſtri) *Quanta multitudo fidelium in Matris Eccleſia ſinu conſiſtat, quantisque virtutibus Sacerdotes,qui in iſta fide defuncti ſunt,coruſcarunt,vel quãta ad corpora ſua miracula faciunt, atque illos non dijudicare, ſed plus tantis viris ac Sacerdotibus, quàm tibi credere debuiſti.* Si in iudicijs forenſibus nullus litigantium admittitur,ſi ſine teſtibus poſſeſſionem, vel fundum probet,etiam ſi multa quis ſcientia polleat. Qua temeritate poſſeſſionem dogmatum, quis priuatus poterit ſibi vendicare, ſi antiquitatis teſtes non producat? Hæc ipſa cauſa,ait Hieronymus,*Frequenter ſolet ſuperbia, in Dominum, & contemptus exiſtere,quod habeant ſcientiam Dei*,& neſciunt quod de ijs illud dici poteſt.*Propheta eius*,aliqui,licet ſcripturę interpretes, *πνευματόροι ideſt, portantes Spiritum, viri contẽptores.* Vide Hier. in hũc locũ. Poſſunt facilè qui Dei ſcientiam profitentur, ſi Patres non audiant, fieri contemptores ex ſcientię tumore, quæ inflat, ſi putent ſe eſſe Deucaliones orbis. *An tu ſolus Eccleſia es?* dicebat Hierony.epiſt.6.ad Pammach. *Et qui te offenderit,à Chriſto excluditur?* Et iterum. *Tibi ſoli licet Eccleſiæ iura calcare, tu quicquid feceris norma doctrinæ eſt?* Crede nouitatis amator,quod *non ſunt ſuaues epulæ,quæ non placentam redolent, quas non condit Apicius, in quibus nihil de Magiſtrorum huius temporis iure ſuffumant*,dicebat idem S.ad Marcell.ep. 13. loquens de Patribus ſui temporis. Quæcunque apponãtur

tur pigmenta nouis epulis,si iure Patrum non condiantur,ingratæ erunt,imo & suffumigatio inęstuans perturbata phantasmata gignet. ex Basilio epistol. 64.

9 Non est syncera fides in Deum, si Patres repudiemus. *Credidit populus Domino, & Moysi seruo eius*, ait Scriptura Exod.14. nam vt obseruat Hieronymus in epist.ad Philem. *Vna eademque credulitas in Moysen refertur,& in Deum,vt populus, qui credebat in Deum, æquè credidisse scribatur in seruum. Hoc autem non solum in Moyse, sed in omnibus Sanctis est, vt quicunque credit Deo,aliter eius fidem recipere non queat,nisi credat & in Sanctos eius. Non est in Deum perfecta dilectio,& fides, quæ in ministros odio, & infidelitate remurmurat.* Per Patres ergo veluti quosdam scalæ gradus ad Apostolos, & ab illis ad Christum ascendimus,& à Christo ad Apostolos,ab Apostolis ad Patres descendimus,& acclamamus. *Verè non est hic aliud, nisi domus Dei,& porta cœli.* Genes.28. Per has scalas incedens, illud meretur audire. *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum.* Sap.10. Qui absque scala cęlos ascendere pręsumit, Icaris exemplo collidetur, vel qui paulatim gigantum more Deum è solio nititur exturbare, Atheismo viam,& gradus à contemptu Patrum adaptando, in profundum Inferni præceps ruet,vnde scriptum est Prou.21. *Vir qui aberrauerit à via doctrinæ,in cętu gigantium commorabitur.* Et tandem qui non per portas intrare contendit, fur, & latro deprehenditur. Portæ Prophetæ sunt. Non recipientes vetus testamentum,sine portis intrare contenderunt,vt Marcionitæ. Sed & alij hæretici acceptan-

tes

tes Prophetas, per illas intrare cupiunt, ſed ad deprędandum, multi enim fures ſunt, qui per portas intrare contendunt. Sed confortauit Dominus ſeras portarum Eccleſiæ domus, portarumque cuſtodiam. *O ſi mihi concederet Dominus, vt sera eſſem de portis Syon,* vt cum Hieronymo in pſalm. 147. exclamem. *Si quis hereticorum per illas in Euangel i diſpoſitionem vellet intrare, ego starem in portis, & prohiberem illum, &c. Da mihi aliquem Eccleſiasticum virum, scripturis cœlestibus eruditum, ſi viderit venire Eunomium, venire Arium, velle tollere aliquid de Prophetis, contra nos, non ne stat quaſi ſera? nonne vincit quaſi sera? Quoniam confortauit seras portarum suarum. Pulchrè dicit, confortauit, vt quando videres virū eccleſiasticum diſputātem, non putes eſſe illum, qui disputat, sed qui confortat eccleſiasticum.* Ergo ſi Deus ſeras Doctorum ſtatuit, ſi eoſdem Patres confortat, fruſtrà aliunde quàm per portas intrare præſumunt hęretici, vel ſi per portas intrare contendunt ad furandum, fruſtra in ſeras irruunt, *Quoniam confortauit seras portarum suarum.* Certè vulnerata eſt caro Chriſti, oſſa tamen minimè confracta ſunt. *Oſſa Christi,* (ait S. Hieronymus in pſal. 21.) *Apostoli, quia sicut caro ab oſſibus roboratur, ita & corpus Christi, quod est Ecclesia, ab Apostolis, & Doctoribus firmatur,* vulnerari in martyribus poterit Eccleſia, oſſa Patrum non confringentur. Vbi autem ſeræ confractæ, ſpecioſa quæque ſublata ſunt, & vbi oſſa confracta, manifeſto argumento, eam portionem, non ad Eccleſiæ corpus cernimus pertinere.

CAP.

CAPVT XXII.

Mystici canes ex omnibus Ordinibus, Dominicani, ex sui instituti ratione, suam operam latrando impenderunt, fures exterrendo, Pastores excitando pro custodia depositi, & Patrum doctrina tuenda.

1 D tuendum quoque sacrosanctum Fidei depositum, prçter Pastores, vigiles canes Dei prouidentia excitauit, ad fures exterrendos, ne auro, argento, lapidibus pretiosis, plumbum, scruta, & çramenta permiscerent, nouam scilicet antiquæ, & orthodoxç fidei formam superinducerent, vel de thesauro Catholicorũ dogmatum aliquid prædarentur. Et ne inimicus homo Apostolicæ sationi zizania intersereret, solertes seruos adlegit. Hi sunt (Præter PP. & Scholasticos, de quibus supra) diuinorum eloquiorum tractatores, Prædicatores diuersorum Ordinum doctissimi viri, qui aduersus lucifugas hæreticos, suç professionis, & fidelitatis memores, velut in latrones insilire nouerunt, & extraneorum accessus prohibere nocturnos, mori pro Domino, & cum Domino præparati.

2 Detur

2 Detur hæc prærogatiua,ex sui instituti ratione, illi catulo Caralogitano S.Dominico,qui in vētris ergastulo adhuc positus, aduersus hæreticos inclamabat. Nondum Catulo dentes,& tanquàm habeat,ore proprio se quærit vlcisci.Nondum lucem aspexerat, qua insidiator posset discerni,& clausis oculis,cęco vtero, lupos,& latrones indicabat. Scitè Quintus Catulus, in Senatu Romano increpatus,quòd corruptos hominum mores acriter increpasset, & sub hac formula perstrictus.*Quid latras Catule?* respondit (& quidem aptissimè) *Quia video furem.*At quomodo Dominice videbas, cuius pupillam lux non illustrabat? visibili certè hac luce destitutus, clariori lumine intus collustrabatur,& admirabili solertia,iam hæreticos discernebat.Quid mirum? nam,& canes,ait S.Ambrosius in Hexamer.cap. 5. *Quòd vix homines prolixa composita artis meditatione componunt,hoc canibus ex natura suppetit,vt ante mendacium reprahendant;& postea falsitate repudiata,inueniant veritatem.*Quod in venatione exemplificat,dum sagacitate odoris, velut syllogizando,hac,illac deflectentes,nec hanc, vel illam viam ingredientes,in istam tandem sine dubitatione declinant: etiam necis illatæ euidentia, ijdem ad redarguendos propriorum dominorum interfectores, indicia prodiderunt, vt muto eorum testimonio plerunq; sit creditum. Hoc autem prodigio (ait S. Antonius 3.p.tit.23.cap.4.) præfigurabatur nasciturus ille, qui sedulæ prædicationis latratibus, lupos arceret à grege Dominico,& quoslibet ouium Christi sanguinarios prędatores.Exitus id comprobauit, inuadente enim Albigensium hęreticorum colluuie,Ecclesiam Christi, mox latrauit Dominicus, in illis euertendis septem

con-

consumpsit annos, duodecim eorũ millia extincta, centum verò millia, eierata hęresi, corpori Christi adglutinata. Perbellè illi competit, quod Nazianz. de Herone conscripsit. *Eo etiam nomine Canis, quia fidei domesticos mulces, externos verò latrando insectaris.*

3 Sui parentis Spiritum ebibens S. Petrus Veronensis, Catharos, Manichęos, Patarenos, aliosque, eiusdẽ panni caligas, pręd icatione diuini verbi, disputationibus, miraculis euicit, cruoris proprij effusione, fidelitatem sui ministerij contestando. Stedingi hæretici, qui multa affinia cum Albigensibus sentiebant, à Germania tandem profligati; & plurimum aduersus illos à nostris fuisse decertatum, scribunt annales Pręd icatorij, & eruditissimus P.M. Maluenda in annalib. Pręd. anno Domini 1234. c. 12. Vualdenses, aliàs pauperes de Lugduno, euiscerantes fidem, & iura pietatis impugnantes, sub Gregor. IX. mixti Catharis, & Patarenis, 1232. rursus ebulliunt. Aduersus istos, verbo, & scripto se opponit F. Monetus, cuius opus insigne contra singulos errores Catharorum in M. S. Codice in Bibliotheca S. Dominici de Neap. asseruatur, à me perlectum magna animi iucunditate. Paupertatis, & religionis hostes Gulielmus de S. Amore, & Gyraldus Doct. Parisienses Mẽdicantium, dicatorum Deo hominum, statum impugnabant, sed à Beato Alberto Magno, voce, coram Pontifice conuicti, à S. Thomę calamo prostrati, atque confossi, & instante F. Humberto Generali, ab Alex. IV. damnati. Flagellantium secta quinquaginta hęreses dogmatizans, Germaniam dementabat: aduersus istam F. Germanus Ecclesiastes insignis declamans, fortissimum depositi propugnatorẽ se ostendit, dum ab improbis mactatus, Christi hostia effectus est.

eſt.E puteo abyſſi prodijt Gerardus quidam Sagarellus anno 1296.fallaciarum artifex, veterum hęreſum confarcinator,vota,ſacra templa impugnans, qui nedum Parmam, ſed multas etiam Inſubriæ Ciuitates infecerat, Apoſtolicam vitam mentiendo, ſe, & ſuos ſectatores, Apoſtolicos appellando, multos ad ſuam maſſam pertrahendo: ſed opera noſtri F. Manfredi Inquiſitoris detectus, conuictus, exuſtus. Beghinæ, & Begardi in Germania exorti in ſeſſ.3. Concilij Viennenſis damnantur,cui Concilio interfuerunt F.Eymericus Placentinus, F.Berengarius cum alijs Magiſtris, & Epiſcopis noſtrę familiæ.Ibidem etiam hęreſes Templariorum militum,qui diuitiarum affluentia, & militari diſciplina inſtructi,Europę erant terrori,detectæ à F.Vvilielmo Pariſienſi,eieratę,atque damnatę,conſulentibus nr̃is F.Durãdo,F.Hęruço,alijsq; noſtrę familię DD. Eorundem quoque de alijs criminibus cauſæ diſcuſſę, terminatę, in pluribus regionibus iuſtiſſimè combuſti,tota Europa proſcripti,bonis ſpoliati, ordine,& inſtituto extincto.

4 Luxu,& mollicie effęminatur Dulcinus, cum ſua Margarita (nulla enim hęreſis ſine ſua Philumela) in omnium flagitiorum cœno volutabatur,viros, & fœminas ad intempeſtiua conuiuia, nocturnosq; cœtus, & ad flagitioſos amplexus, & concubitus, luminibus extinctis, inuitabat. Propter quæ infanda Orgia, Eleuſina myſteria excedentia, mœritas pœnas dederunt,ducibus eiuſmodi infandę ſectę membratim conciſis, & oſsibus in fauillam redactis, cęteris in Ducatu Auſtrię,noſtrorum Inquiſitorum opera, captis, atque combuſtis.Caſtill.p. p. lib. 3.cap.14. Michaeli de Cęſena,Gulielmo Okam, Sagarelli hęreſis renouatoribus,

bus,nouis Dathan,& Abiron, aduersus Petrũ,Cathedram erigentibus, pro tuendo Ioanne XXII. Romano Pontifice,Ordo S.Dominici occurrit,verbum Dei,ceù acutissimum gladium distringens (Durando, Ioanne de Neapoli Pontificiam potestatem tuentibus) illustria trophea reportans.

5 Militauit quoque pro sacro deposito contra Petrũ de Baldach,in Ciuitate Gerundensi, Fr. Arnaldus Burguetus Inquisitor, eũq; ignis absumpsit,quem religio ab errore pertinaci remouere non valuit. *Diagus* lib. 1.cap.13.Petrus item Ioannis Bitterensis, cum plures hęreses disseminasset, (fatente etiam Morneo Nouatore in suo mysterio oppos. 54.p. 428. quòd Romanã Ecclesiam, carnalem, & synagogam Satanę appellasset) hoc nomine ab Inquisitoribus hęreseos damnatur,& quem viuum comprehendere non potuerunt; mortuum è tumulo effossum, concremarunt. Deliria, & errores nonnulli apud Montem Album Regni Cataloniæ disseminabantur, a quodam Berengario de Montefalcone; verum à F. Nicolao Roselio sopiti, & extincti.tradunt annales Prędicatorij, P. Fernandez 1312.in concionatione Prędicatoria.

6 Sed & Archiepiscopus quidam Armachanus, cum aduersus Religiosorum mendicantium statum, multa in fide erronea oblatrasset, coram Innocentio Sexto damnata sunt, instantibus, & conuincentibus authorem,nostris Prdicatoribus; vnde errores abiurare,& anathematizare compulsus est. Idem Fernandez 1357.

7 In Anglia ex Inferorum antris erupit. Io.Vuitcleph 1360.lupus ferocissimus.Ex Castill.2.p.lib. 2. cap.4. qui vlulatu suo,terrorem,& seditionem intonans, obtutu

tutu malefico,& anhelitu fętido ſimplices animas faſcinans,impetuque rabido,feralique dente,innumeras ouiculas gregis Chriſti mactauit. Clamant noſtri pro fidei defenſione,Synodus Prouincialis Cantuariæ indicitur,& tredecim Epiſcopis, cum triginta Magiſtris in ſacra pagina, ibidem congregatis, omnibus fermè inſtituti Prędicatorij, Hęreſiarchæ commenta, vt palam hæretica adiudicata,atque proſcripta. At tantùm abfuit,vt reſipiſceret Vuitclephus, vt per irriſionem Synodum illam,*terræmotum* appellarit, *& fratres in illa cònfidentes,Anglicanum Regnum intoxicaſſe*, impiè aſſeruerit. Verùm poſtea, in Concilio Conſtantienſi iterum hęreſeos damnatur,atque proſcribitur.Cochlęus Hiſt.Huſit.1.c.8.

8 Anno 1375.F.Nicolaus Eymericus multos articulos Raymundi Lulli detexit,quos Gregorius XI. Auenione,Petro Cardinali Hoſtienſi, & alijs Magiſtris à Pontifice congregatis, vt erroneos hæreticos proſcripſit.Diagus lib.1.cap.25.Caſtill.2.p.lib.2.cap.4.Non multò poſt erupit de cauerna Satanę,regulus ille Ioannes Hus (falsò à ſuis Symmiſtis,pro canoro Cygno venditatus) cuius peſtifer halitus,Germaniam magna ex parte corrupit. Verùm,ne totum orbem inficeret, vinculis in noſtro Conuentu Conſtantienſi mancipatur,& vna cum impio Hieronymo illo Pragenſi, in erroribus ferendis fidiſſimo ſuo Achate, à Theologis magni nominis de hæreſibus euincebatur: qui tãdem in ſua pertinacia perſiſtentes,viui rogo exurendi trãduntur,Concilij Conſtantienſis decreto. Quantum verò,aduerſus hæreſes in eodem Concilio damnatas, Prędicatorum ordo ſtrenuam operam nauarit, res ipſa loquitur; nã & ibi interfuerũt P.Leonardus Sta-

tius Generalis Ordinis,F.Ioannes Dominici Cardinalis,F.Dominicus Archiepiscopus Tholosanus, & alij, qui nedum hæresum capita conculcarunt, sed & illud trium Pontificum horrendum schismatis monstrum, ex Fernan.1414.dissiparunt.Idem quoque B.Ioannes Dominicus Cardinalis,in Aragoniam, Boemiam, & Poloniam Legatus à Pontifice destinatus, aduersus hęresim turpissimam Neognosticorum (eo enim tempore Boemia Adamitas inspexit nudos incedentes, & promiscuos concubitus exercentes,ex Matthia Rege Hungariæ apud Bonfinium 4. Decad. lib. 2.) egregiè dimicauit. Sed cum argumentis hęretici vinci non paterentur,nec arma Imperatori Sigismundo,qui Cardinalem vocauerat,suppeditarent; ad tempus dimissi; mox vt fœnum velociter exiccati,& ad nihilum deuenerunt,sicut aqua decurrens.In eodem quoque Bohęmiæ Regno (vt scribit Io.Cochlęus in Hist.Hussit. lib. 4.p.742.& alij apud Fernandez anno 1418.) inualescente Hussitarum secta, quæ in Adamitas, Thaboritas,Orebitas, Iacobitas, &c. dissecta erat (Matthia Rege testante loco cit.) Fratres nostri,intrepidè illi restiterunt: at eorum furor pertinax,nedum 20.& amplius nostra monasteria incenderunt,& solo æquarũt, sed ducentos,& amplius fratres immaniter,pro fide trucidarunt. Contra eorundem Hussistarum Hęreses, Basileę indicto Concilio (licet postea ob defectionẽ à Papa,meritò Conciliabuli nomen sortitum sit) pro vnitate Ecclesiæ,& hęresum extirpatione: ibidem Fr. Nicolaus Texerius Generalis,F. Ioannes de Turrecremata,F.Ioannes Nider, F. Ioannes Ragusinus inuictè decertarunt,& ad disputationem articulorum,ab ipsis, controuersorũ,publica fide inuitati (nostris id à Concilio

cilio

cilio antequam ab Eugenio defeciſſet, poſtulantibus) in noſtro Conuentu Prędicatorum, publica habita congregatione, quo etiam inuitati conuenerant, pręcipui nominis Huſſitæ (inter quos erat Ioannes ille de Rockyzana Pſeudoapoſtolus Pragenſis) victi, & confuſi abſceſſerunt. Fernandez. 1431. & 1433.

9 In Concilio Florentino, aduerſus errores Gręcorũ; plurimum à noſtris deſudatum eſt. In ea namque auguſtiſſima Synodo, quę in Conuentu Prędicatorio S. Mariæ Nouellæ celebrata eſt, Fr. Ioannes Florentinus pluries declamauit, F. Ioannes à Turrecremata ad ſarciendam concordiam Latinorum, & Gręcorum, vigili cura cum alijs Fratribus ſatagebat. A Synodo, è quatuor, ad diſputandum, duo è noſtris aſſumpti Fr. Bartholomæus Lapatius Epiſcopus Coronenſis, & Fr. Ioannes de Montenigro Prouincialis Lombardiæ, qui cum Marco illo Epheſino congredientes, glorioſè eũ confutarunt, vt apparet etiam ex actis eiuſdem Concilij. vide Fernand. 1439.

10 Nouos autem errores comminiſcente Io. de Poliaço Doctore Pariſienſi circa confeſſionem ſacramentalem, à Fratribus Prædicatoribus de erroribus arguebatur, ijſdemque ad ſacram Sedem Apoſtolicam errores deferẽtibus, damnati, atq; anathematizati. Hętherodoxa quędam Salmantino Doctore Petro Oxomẽſi diſſeminante, atque docente, ad Sixtum eius nominis quartum delata ſunt. Archiepiſcopo Toletano à Pontifice demandatur, vt aſſumptis Magiſtris in Theologia, & alijs doctiſſimis viris, propoſitiones Petri examinarentur, atque diſcuterentur. Inter hos aderant noſtri Fr. Petrus de Ochanna, Fr. Didacus de Betoño, qui Petri doctrinam, hęreticam, erroneam, &c. pronun

ciarunt; eorundemque censura à Sixto Pontifice approbata. Vnde Petrus, à Petri successore hęreseos notatus, doctrinam reuocare, & abiurare compulsus est, cathedra combusta, schola, à Fratribus nostris, aqua benedicta respersa, atq; purgata. Fernand. anno 1479. Aliæ quoque damnabiles propositiones contra fidei orthodoxæ depositum, Fr. Chrysostomus Galuez Inquisitor Regnorum Aragonię, habito Theologorum consilio discussit, & ad eundem Sixtum IV. destinauit, illi reseruando finale iudicium, qui Inquisitoris, & Theologorum censuram probauit, & roborauit. Ex Diago lib. 1. cap. 33. Histor. Prouinciæ nostrę Aragonię.

11 In Vrbe Mantuana nouum dogma dissemminatum, & in Ecclesia inauditum, nunquam à Patribus in deposito agnitum, nimirum corpus Christi iuxtà cor, nō in vtero B. Virginis conceptum, ex tribus guttulis sanguineis. Verum F. Hieronymo Inquisitore Fauentino instante, qui etiam eam nouitatem hæreticā (ab octo enim annis serpebat, eamque multi defendere contendebant) impugnauit. Tandem à Iulio II. vt hæretica damnata est. Ex Leandro lib. 4. de viris illustribus Ordinis Prędicatorum, & Paramo lib. 2. to. 3. cap. 4. orig. Inquis.

12 Vix Lutherus putei abyssi claustra reserauit, quòd illicò tàm densa caligo orbem obscurauit, tam horribilis errorum, ac hęresum è tetris illis claustris erupit, vt multis in locis, penitus Euangelium ita sit obscuratum, vt nedum in eodem Regno, Prouincia, Ciuitate, sed etiam in eadem familia, frater fratrem, ex dissensione, & tenebris nō posset agnoscere. Vndiquè, tenebris circumfusis, varij variè ad depositū inuadēdum

con-

conuolarunt,vt quod diuerſis temporibus perficere non potuerunt, vno, eodemque tempore,omnium hęreticorum pręcedentium dogmata renouãtes, poſſent perficere.Occurrunt noſtri F.Ioannes Tzelius, F. Syluester Prieras, F. Thomas Caietanus Cardinalis, Legatus à latere,ad audaciam Luthericam deprimendã inſtitutus, etiã à varijs ſcriptoribus ſatis impugnatus: in Concilio Tridentino tandem,(vbi Epiſcopi 19. Archiepiſcopi 7.Theologi plurimi è noſtris interfuerunt à Fernãdez 1562.recẽſiti) damnatus, & anathematizatus.Similiter aduerſus Lutheri ſobolẽ Anabaptiſtas,Trinitarios, Caluinicolas,indefeſsè à noſtris laboratum eſt,vt oſtẽdit idẽ Fernãdez ann.1564.& ſeq.

13 Sed,& Illuminatorum hęreſes, qui fingentes nouã lucem, errorum tenebris, oculos multorum perſtrixerunt,& ſub velamento Spiritus,carnis opera ſuadebãt,& religionem cum pudore exuentes, Veneris imperio ſubiacebant,promiſcuos concubitus exercentes, in Prouincia Extremæ oræ in Hiſpanijs,à Magiſtro F. Alphonſo de Fonte, S.Inquiſitionis cõſultore,mirabiliter deteƈti,mulƈtati, exufflati, amandati. Fernandez anno 1578.

14 Hęc eſt ergo Fratrum Prædicatorũ palmata veſtis, tali curru triumphamus,ꝙ nulla fermè orta ſit hęreſis, vel nouitas prędicata,quin omnibus viribus ꝓ tuẽdo ſacro depoſito,palam nõ ſit à noſtris,pro inſtituto noſtro,cõtradiƈtũ. Nõ abibo longius.Tẽporibus noſtris, mulier quędam nedum Illuminatorum, ſed etiam impuriſſimorum Gnoſticorum ſpiritum ebiberat, & ſub impio dogmate aƈtualis cum Deo,& minimè (vt dicebat) interruptę vnionis,ſpurcitias carnis cum ſimplicibus exercebat,quas vt media ad profeƈtum ſpiritua-

lem vendicabat. At iam pridem (antequam nasceretur) à S.Thoma in opusculo 64. vel si eius opus non est,ab aliquo eius discipulo , vel Fratre Prædicatore, vel alio antiquo scriptore,in alijs similibus excessibus ostensa , & confutata. *Fuerunt* (dicitur in opusculo) *aliquæ spirituales nomine,spiritu luxuriæ imbutæ,quæ in excusationem suæ libidinis præsumpserunt dicere, se habuisse in illis actibus impudicis magna sentimenta de Deo,quod nihil aliud iudico esse,nisi quodam incitamentum inductiuum? ad similia securius intrandum,& peiora perpetrandum. Dic mihi,qui talibus credis,& adhæres,si isti sunt verè spirituales,vt asseris , quid aliud loqui,aut facere deberent,nisi quod à Spiritu sancto procedere potest,vel procedit ? ab illo autē nihil procedit noxium , sed solum quod vtile,& honestum. Quid enim ad Spiritum sanctum de tactibus, & osculis , aut qualem honorem de illis consequitur Deus, & quæ vtilitas , aut quæ necessitas tibi ad salutem,vel alteri, vt hos tactus facias,vel patiaris? Quæ conuentio Spiritus ad libidinem carnis ? Quæ igitur tua præsumptio, vt hanc contumeliam inferas , Spiritui sancto, attribuendo sibi,tuæ impudicitiæ fœtorem ,quem vix dæmones patiuntur ? Quæ inquam temeritas tua , mulier Hypocrita,* quasi Iuliam de Marco digito ostenderet,*à facie Dei proiecta*,vt dicas,*delectationem carnis libidinosam, esse gratiam,& consolationem diuinam ? Recede ergo fera pessima*,ait S.Thomas,*de finibus meis* Neapolitana scilicet Ciuitate,*quia dæmones nequeunt tuam præsentiam sustinere*.Quæ etiā doctrina à reliquijs Illuminatorum postea instaurata,Hispali detecta;qui hæc, & multa similia dogmatizabant , eaque refert Archiepiscopus Brundusinus Hieronymus à Falce p.2. artis methodi-

cæ

cæ ad diſſoluenda argumenta hæreticorum tract.7.c. 11.& ab eo ſatis ſuperque confutantur. In hæreticorum inquiſitione, ſingulari opera Fratrum noſtrorum S.Officij Tribunal, Hiſpali vti voluiſſe, res in aperto eſt; ſicut & Neapoli, multum inſudauit ex commiſſione ſpeciali F. Adeodatus Gentilis Nuncius Apoſtolicus, iampridem miniſter S.Officij in Regno Neapolitano, aduerſus Iuliam inquirendo.

§. I.

Turres Sanctiſsimæ Inquiſitionis aduerſus eoſdem erectæ.

15 SEd ad facilius, & eminus diſcernendos fures, & latrones, eminentes Turres S.Officij erectæ, reſpicientes contra Damaſcum, hoc eſt hęreticam prauitatem. Vnde ſi olim impiè quidam Sacerdotes, *laqueus facti* erant *ſpeculationi, & rete expanſum ſuper Thabor*, vt dicitur Oſeę cap. 5. vt quos ad templum Domini veros Iſraelitas relictis ſemitis, quę ad Idola inuitabãt, recta via progredi proſpicerent, eliminarent. Nonnè iure, ſuper turres Inquiſitionis, inſtituti ſacri Quæſitores, vt quos deprehenderent ad idola hęreſum confugere, & à Dei Eccleſia diſcedere, præhenderẽt, carceri manciparent, debitis pœnis animaduerterent, & è vita impœnitentes profligandos curarent?

16 Prima igitur turris à S.Dominico Primo Inquiſitore, authoritate Apoſtolica Innocentij III. ædificata eſt, hoc eſt, Sancti Officij Tribunal in Galliarum Regnis, nempe in Prouincia Tholoſana, vbi contra graſſantem hæreſim Albigenſium decertauit. Ibidem à Gre-

Gregorio eius nominis IX. F. Lambertus, & Petrus Syllanus Inquisitores creati, post quos F. Vuilielmus Amalte,& F.Pontius de S.Aegidio, & alij in Ciuitate Parisiensi celebres Inquisitores extiterunt. F.Vuilielmus Parisiensis,F.Matthęus Ori,vt cæteros prętereā. In Prouincia Rhemensi F.Petrus Floreus. Alij similiter magni nominis, sub Gregorio IX. in Delphinatu, & Sabaudia designati; inter quos celebres F. Petrus Ruffiensis.Auenionensis Ciuitas suos habuit celebres quæsitores: inter quos nostra memoria F.Sebastianus Michaelis, hęreticorum malleus, insignis fidei defensor existimatus.

17 In Hispania velut Turris Dauid ædificata est Sancta Inquisitio, vbi omnis armatura fortium, ad rebelles deprimēdos. Eam erexit S.Raymundus de Pennaforti,sub Gregorio IX.& Iacobo Rege.In Regno Aragoniæ celebres fuerunt P.F.Petrus Tonenes,& F.Petrus Cadrieta,& alij,qui à Prouinciali Castellæ,authoritate Apostolica tali muneri pręficiebantur,quod priuilegium postea F. Nicolao Roselio communicatum est, videlicet,vt in Prouincia Aragoniæ, nostros Inquisitores crearent.Idem Roselius postea generalis Inquisitor institutus est.Recensentur pariter duo illi Inquisitores insignes F. Ioannes Lotgerius, & F.Arnaldus Burguetus,nec non & F.Vuilielmus à Costa. In Regno Castellę (ante tempora Catholicorum Regum Ferdinandi, & Isabellæ) nostri munus Inquisitionis, authoritate Apostolica exercebant, Generalis namq; Inquisitoris titulo Castellæ inauguratur F.Vincentius Vlysiponensis,cui successit F.Ioānes de S.Iusta.Instaurato verò in eodem Regno (sub catholicis Regibus prędictis) sancto Tribunali,Generalis Inquisitor prę-

fectus

fectus eſt P.F.Thomas de Turrecremata, Catholicorum Regum confeſſarius,qui varios Inquiſitores, ad hoc munus (authoritate Apoſtolica) deſtinauit per varias Hiſpaniæ ditiones,quorum nomina curioſo legẽda exhibet F.Ioan.Lopez Epiſcopus Monopol.4.par. Chron. S.Dominici tract. de obſequijs Ordinis noſtri exhibitis Eccleſię Catholicæ cap.20. Eidem ſucceſſit F.Didacus Deza Ioannis Principis, filij dictorum Regum,à ſacris confeſſionibus. In Bethica, & Hiſpalenſi Ciuitate,Inquiſitores nominati F. Michael de Morillo,& F.Ioannes de S.Martino. Generalis quoque Inquiſitor totius Hiſpaniæ à Paulo III. F. Garſias Loayſa,poſtea Cardinalis,declaratur. Et noſtris temporibus Philippi III. confeſſarius, F. Ludouicus Aliaga eadem præfectura functus eſt. In Luſitania P.F.Emanuel à Vega Conimbrię,inquiſitionis munus exercuit. Vide Paramum lib. 2. t.2. Fernandez in concert.Prædicatorum.

18 Turris quoque alia eiuſdem Tribunalis in Germania,hęreſes propulſabat. Recenſentur inter Inquiſitores F.Conradus Maſpurgenſis,& alij poſtea,Friderico ſecundo opem ferente,ad fidei defenſionem ad tale munus euocati.Sub Innocentio VIII.floruit F. Henricus Inſtitoris Inquiſitor Saxoniæ, & ſub Leone X. F.Ioannes Tezelius,qui aduerſus Lutherum (vt dictũ eſt) primus omnium inſurrexit. In Colonia,& Rheno celebris F.Iacobus Eſpenger. Et in eadem Colonia inſignis habetur noſtris diebus F.Coſmas Morelles à Paulo V.Inquiſitoris Coloniæ,Moguntię,& Treueris, titulo decoratus. In ſtatibus Hollandiæ, & Zelandiæ, clarus inter multos F. Ioannes Omach. In Boemia tanquam ſydus emicat F.Ioãnes Eſchemfeld, Inquiſitor

tor Pragensis. In Regno quoque Hungariæ, ex Lopez loc. cit. cap. 18. non defuerunt, qui fidem, sanguine confirmarunt. In Archiducatu Austriæ, Inquisitores Ordinis nostri (scribit Trithemius in Chronico Hirsaugensi) Inquisitionis Officio præclarè functi sunt. In Concilio Tridentino quoque interfuit F. Antonius Grosupto illius Prouinciæ generalis Inquisitor. Fernandez, Lopez loc. cit.

19 In Dalmatia, Bosina, Croatia, Ragusia, Inquisitionis munus exercuerunt multi viri illustres. In eorum albo recensentur F. Paulus, & F. Cornelius de Zara. Gonzaga in hist. Seraphica pag. 438. asserit reseruari Bullam Ioannis XXII. vbi de talibus inquisitoribus mentio habetur, seruatur in Cœnobio Iaderę. In Polonia à tempore Ioannis XXII. Apostolici inquisitores instituti, F. Petrus de Calmeis, & F. Matthias Cracouiensis: eiusdemque Prouinciæ Prouinciali est iniunctum, vt per vniuersum Regnum eiusdem Ordinis religiosos viros, in Inquisitores assumeret. Conspicui in ea functione recensentur, F. Vincentius Inquisitor Vrislauiensis, F. Io. Chrysostomus, F. Petrus Cracouiensis, & innumeri, qui ab eodem D. Episc. F. Io. Lopez. c. 19. seriatim enumeranrur, & diligentissimè ab annaliū descriptore F. Abraamo Bzouio in histor. Prouinciæ Poloniæ.

20 In Prouincijs, & Regnis Armenorum, Georgianorum, Græcorum, Tartarorum, &c. Inquisitores institutos demonstrat Lopez loc. cit. & Fernandez in sua Prędicatoria concertatione, Paramus t. 2. cap. 29. lib. 2. In Italia verò firmissimas Turres tribunalis erectas ad easdem insidias detegendas, adeò manifestum est, vt à lippis etiam oculis cognosci possit, nam vsque in hanc

hanc diem perſeuerant, Mediolanenſis, Comenſis, Mantuana, Parmenſis, Mutinenſis, Papienſis, Veronenſis, Foroliuienſis, Anconitana, Fauent. Bononienſis, Rauenn. Placent. Ianuen. Rhegienſ. Cremonen. Tortonen. Bergomen. Cremenſ. Brixien. Veronenſ. Veneten. Taurinenſ. Alexandrin. Montisregal. Aſtenſ. Vercellen. &c. in quibus ſtrenui Chriſti milites, die, noctuque vigilantes, à primęua ſua inſtitutione (vt per quadringentos annos factum eſt) diſcurrentes, hęreticorum fallacias detegunt, & eorundem errores olfacientes, vt venatici canes, mox latratus edunt, ex ſua fidelitate, paſtores ad capiendas vulpes, excitantes.

21 Præſto quoque eſt Hetruria, vbi primum S. Petrus Martyr Inquiſitor Manichęos euicit; in cuius rei beneficium quotannis vexillum idem, quod militibus dederat idem S. ad rebelles effugandos, per Ciuitatem Florentinam ſumma religione defertur, & in titulum ſtatua in honorem Sancti eiuſdem erecta. Sed in hac ditione ob honorem S. Franciſci etiam Patribus Franciſcanis inquiſitionis officium conceſſum eſt.

22 In Inſula Regni Siciliç inquiſitionis tribunal ante Vrbanum *V I.* apparet ex extrauaganti Ioannis 22. quç incipit, *Cum Matthæus de Pontiniano hæreticæ prauitatis in Regno Siciliæ, authoritate Apoſtolica deputatus* tit. de hęret. Sed dum Honofrius Panuinius Siciliç Inquiſitorem facit Nicolaum Miſnum Ordinis noſtri, quem Vrbanus 6. Cardinalem creauit, ad Nicolaum Moſchinum Caracciolum fortè alluſit: niſi vtriuſque Siciliæ Inquiſitorem generalem fuiſſe, rationabiliter dicamus, nam & Rex Neapolis, vtriuſque pariter Siciliæ Rex attitulatur.

23 Ante ea tempora Inquiſitoribus Siciliæ 1224. à Fe-
derico

derico *I*mperatore concessa sunt priuilegia, *I*nquisitores autem fuisse Prædicatores nostros, scribit Fernãdez in sua Concertat. Prędicat. & Annales Ecclesiastici 1222. n.53. *I*n Priuilegio *A*lphonsi Regis 1451. de F. Henrico Lugardo Panormitano, nostri instituti, expressa mentio habetur. *I*n hac ergo nobilissima, & antiquissima *I*nquisitione (ait Paramus lib. 2. c. 2.) plures fuerunt insignes *I*nquisitores, quorum memoria non extat, cum scripturę *A*rchiuij inquisitionis incendio consumptæ fuerint.

24 *I*n Regno quoq; Neapolitano Fratres Prędicatores inuigilarunt, vt illud, in eius finibus, hęresum morbo perambulante in tenebris, antitodis pręseruarent. *A*d hunc enim effectum, testante Petro *A*rchiepiscopo, ex Maluenda in annal. anno 1231. Prędicatores Neapolim euocati. *Ne*, inquit, *hæreticæ labis morbus, tanquam fermentum se diffusius diffundendo, Ciuitatem Neapolitanam inficiat, quæ solet vocari Parthenope, idest virgo*, & suffultus litteris Cęlestini *IV*. domum, & Ecclesiam concessit, *vt exinde iuuentus fidelium, sicut Aquila renouetur. confortetur fides, & perfidia confundatur*; vnde verisimile est, quod ab hoc anno 1231. Sacrosanctum *I*nquisitionis munus cęperint Fratres exercere; perfidia enim hęreticorum, nõ aptius retundi poterat (vt in alijs partibus totius orbis compertum est) quàm sacri Tribunalis erectione. Vnde anno 1274. exercuisse illud munus *F*. Paulum *A*quilanum, ex prędicatoria familia, apertissimè constat ex vita S. Thomæ initio suorum operũm præfixa, & ex *F*erdinando Castillo 1. par. Centurię lib. 3. cap. 33. & *I*oanne Lopez Episcopi Monopolit. 4. p. Centu. in cap. 5. obsequiorum religionis nostrę erga Romanam Sedem. *I*s enim Paulus

fuit

fuit,cui obitus Angelici Doctoris, (qui hoc anno contigit) diuinitus est prænunciatus, vnde colligit Paramus de origine inquisit.tit.2.c.10.ante obitum Sãcti Thomæ Neapoli tribunal S. Inquisitionis erectum. Alios quoque Fratres successisse in eodem Regno fidei quæsitores,ex eodem Ordine, apertè docet Fernãdez in concertatione Prędicatoria anno 1275.& ex sequentibus demonstratur, eam namq; præfecturam exercuit B.Guido Maramaldus filius Cõuentus S.Dominici de Neapoli, cuius imago antiquissima radijs circumfusa in beatitatis signum, cùm in eodem Conuentu, tùm in claustro Conuentus Eugubini vsque ad hęc tempora cernitur,qui & multa passus perhibetur pro inquisitionis munere. Claruit sub Rege Roberto. Vide P.F.Michaelem Pio,meritissimum Inquisitorem Mediolanensem lib.4. de viris illustribus p.2. fol.348.F. Dionysium Ocillum in Chronic.Prouinciæ Neap.M.S.

25 Anno vero 1378. in Regno eodem Neapolitano, etiam contra hæreticam prauitatem inquisitionis munus exercebat F.Nicolaus Caracciolus sub Vrbano VI.magno hęreticorum damno, & fidei Catholicæ incremento, vt merito ob tot pro fide exantlatos labores,in Cardinalium numerum sit cooptatus, ex F. Alfonso Ciac.Vit.Pont.p.2.pag.771.Leandro Alberto lib.3.de vir. illustr.fol. 69. Fernandez in concertatione Prædicatorum.

26 Idem munus exercuisse F.Dominicum de Afragola de Stelleopardorum familia,scribit idem Ocillus in Chronico cit.cui ab Vrbano Sexto litteris Apostolicis mandatur, vt aduersus schismaticos, qui adhærerant PseudoPontifici Clementi VII.prædicaret,eosdemq;

eic-

eierato schismate, Ecclesiæ reconciliaret, extant apud eundem prædictarum litterarum copiæ, &c. Eiusdem Stelleopardi opera manu scripta, extant in Biblioth. S.Dominici de Neapoli, meis oculis inspecta.

27 Anno 1447. in eodem Conuentu S. Dominici Inquisitor Dominicanus munus Sāĉti Officij exercebat, cum enim Laurentius Valla, Neapoli quasdam propositiones hæreticas asseruisset, res ad Inquisitorem defertur, carceri mancipatur, ab ignis supplicio, Rege intercedente, liberatur, pœna in fustigationem commutata. Itaque in Conuentu S.Dominici (vbi Inquisitor degebat) manibus post terga reuinctis, ductus per claustra, & scapulas, & tergum scopis cędenda exhibuit. Poggius in 2. inuectiua, Param. lib. 2. to. 3. cap. 4. num. 31. Fernandez in concerta Prædicatorum, anno 1447.

28 F. Petrus Mastrectis confessarius Isabellæ Claramont, Reginę Neapolis, vxoris Ferdinandi Primi, circa hęc tempora inquisitionis munus exercebat, ad cuius instantiam (cum erat Ducissa Calabriæ) multa prædia elargita Fratribus Prædicatoribus 6. Martij 1458. qui fructus etiam hodie percipiuntur. Ex instrumentis Archiuij S.Dominici, & F. Ocillo supra cit.

29 F. Barnabas Capograsso nobilis Salernitanus Inquisitoris munere fungebatur, & in Conuentu Salerni S. Marię de Porta suas cameras, cum carceribus construxit, quæ vsque hodie perseuerant, & dicuntur carceres, & camerę Magistri Barnabę, Piò lib. 1. de prog. Sancti Dominici pag. 4. claruit circa annum Domini 1480.

30 Ab hoc ergo tempore, vsque ad 1490. (quando cessarunt Inquisitores in hoc Regno, est etiā in Hispa-

nijs

niis cessarunt tempore Catholicorum Regum *Ferdinandi*,& *Isabellæ* (ex Pio loc.cit.) minimè interruptã seriem *Inquisitorum* Neapoli pro fidelissima Ciuitate tuenda, & fide catholica conseruanda, euidenter apparet.

31 Postea cum *Inquisitionis* Tribunal erigere tentasset Rex *Ferdinandus*, & suborientibus difficultatibus, res ista non perficeretur, sicut nec tempore Caroli V. protestantibus Neapolitanis Ciuibus ex *Paramo* cap. 10.num.5.loc.cit.hęresum extirpationem ad *Pontificem*,& iudices Ecclesiasticos pertinere,& (eodem testante Paramo) *Paulus III.Pontifex* Max. Apostolica bulla exposuisset,ad se, suosque iudices, & non alium, Inquisitores statuere contra hæreticos pertinere; nihilominus Prorex Neapolitanus Inquisitores, & officiales *S.*Officij constituit: sed ad arma confugientibus ciuibus,talis institutio effectum sortita non est, & tribunalis nomen sublatum est,paceque secuta, & venia data à Carolo irritatis animis,& à Iulio 3. Pontifice confiscatione bonorum, Apostolica authoritate, remissa (ex Reuerendiss. D.Paulo Acerrarum Episcopo in historia Clericorum regularium c.23.) per Ordinarium res S.Officij administrabantur, donec authoritate Apostolica,Minister S. Officij Carolus Baldinus Canonicus Neap.postea Archiepiscopus Surrẽtinus, à Sixto V.designatus est: cui D.Benedictus Mandinus Episcopus Casertanus,Cler.Reg.in eodem officio successit (ex eodem Episcopo in supplemento eiusdem historiæ cap.116.& in hist. cap. 72.) Sed iterum Fratrum Prędicatorum opera, Sedes Apostolica vti voluit, nam F. Deodatus Gentilis Episcopus Casertanus, & Nuncius Apostolicus eidem quoque successit

in eodem munere. Hunc F. Stephanus de Vicarijs Episcopus Nuceriæ insecutus est; & intermedio D. Hieronymo Campanili Episcopo Laquedonensi, in eodem officio institutus est Generalis inquisitionis Minister, noster Reuerendiss. Dominus F. Hyacinthus Petronius Episcopus Molfectæ. Hi omnes indefesso labore, cura, vigilantia aduersus refractarios, fideique perduelles inuigilantes, fidei depositum ab insultibus hæreticorum custodierunt. Hæc est series Neapolitanę Inquisitionis, vt Diuina prouidentia erga Ciuitatem illam, quæ S. Thomam edidit hæresum profligatorem, magnificetur, quæ non passa est fidei depositum à S. Aspren S. Petri discipulo, vsq; ad præsentē Archiepiscopum S.R.E. Cardinalem Illustriss. D. Franciscum Boncompagno Pastorem vigilantissimum, & pientissimum, hęretica labe maculari; & fidelium canum labor appareat, qui aduersus latrones depositum sacrum adoriri volentes, oblatrarunt. Sed ad seriem inquisitionum reuertamur.

32 In Vrbe autem Principe totius orbis Româ, tribunal illud supereminet, cuius primus, & finalis censor est Summus Pontifex, Generales vero totius Reipublicæ Christianæ Inquisitores, S.R.E. Cardinales ad id munus electi. Commissarij quoque Sanctę domus Inquisitionis Fratres S. Dominici, qui à Pio V. vsque ad pręsentem commissarium F. Hyppolitum de Aquanigra, decem & sex alij intermedij recensentur. Ad hoc supremum tribunal ex omnibus inquisitionum tribunalibus, omnia deferuntur, vt eius probentur, vel improbentur, restringantur, vel extendantur iudicio. Pro hac à Pio V. creata, inquisitionis domo tuenda, multa Fratres Conuentus S.M. super Mineruam passi sunt,

post

poſt mortem Pauli IV. (qui Sãcti Tribunalis eam,quã nunc habet formam,cum Fr.noſtro Ioanne à Toleto Cardinali Paulo 3. perſuaſit) intrepidè pro Dei cauſa tuenda, vſque ad ſanguinem ſe opponentes.

§. 2.

Noſtrorum Inquiſitorum labores,& vigilantia.

33 AGe ſodes, quam ſtrenuè,& quanta vigilantia pro ſacro depoſito tuendo, ſacræ fidei quæſitores laborarint, videamus. Poſt igitur illuſtria trophęa primi,& generalis Inquiſitoris S.Patris Dominici,in eiuſdem labores ſubintrarunt eius filij:ab Honorio 3. in varijs Europæ partibus Inquiſitores electi,qui idem ſacrum depoſitum ab inſultibus latronum vindicarunt.Inter hos F.Conradus emicat, qui plurimos in Germania hęreticos conuicit, innumeros flammis addixit, fidem obſignans catholicam ſanguine, capitis obtruncatione,profuſo, Protomartyr noſtrę familiæ, ad cœlos euolando. In Gallia verò Ciſalpina, F.Guidotus deſignatus Inquiſitor ab Honorio 3. propemodum infinitos hæreticos flãmis deuouit. Aduerſus verò Albigenſium reliquias ſopiẽdas,deſtinatur F.Gualla Mediolani, & Pannoniæ F. Ioannes Hungarus,poſtea martyr illuſtris; & per Italiam alij Inquiſitores, qui graſſantes hęreſes reprimerent, atque fugarent. Eodem tempore Gregorius IX. S.PETRVM Veronẽſem, Inquiſitorem creat, qui Catharos, Manichæos, Patarenos,Paſſaginos, &c. vita, verbo, miraculis,& proprio cruore deſtruxit. Noua quoque Achan, progenie excitata,quæ regulam auream Eccleſiæ, & Pa-

trum doctrinæ, furata est, in Terraconensi ditione, Põtificis authoritate, Sancti Officij Inquisitores è nostris creantur, qui vulpes, Dominicam vineam demolientes, caperẽt, & propulsarẽt: & in Prouincia Tholosana F. Petrus Syllanus S. Dominici olim sodalis. F. Lambertus, F. Pontius à Vico ab eodem Gregorio Nono Inquisitores in Tholosanam Prouinciam missi, vt teterrima hæresum monstra eliminarent, quod & perfecerunt indefessè, multis ad caulã Dominicam palabundis ouibus reductis, pertinacibus igne amandatis.

34 Sed & cum hæreticorum Condormientium impura hæresis è Gnostico semine progenita, iterum repullularet (vt digna tenebris, infanda tamen conuenticula exercerent, promiscuo virorum, & fœminarum quarumcunque concubitu) à F. Conrado Prouinciali Germaniæ Pontificia authoritate, depressa est. Eodem modo elaboratum est à F. Roberto, & tribus alijs Inquisitoribus, Pontificis iussu, & Ludouici Regis fauore, residuos Albigensium fœtus, exterminando. Sub eodem Gregorio Nono nedum milites Iesu Christi, seu de Cruce signati, à S. Dominico instituti, aduersus hæreticos decertarunt, verùm etiam F. Guidotus Inquisitor, spirituali potestate armatus, immensam hęreticorum turbam concùlcauit, igne, ferro, flammis, pertinacibus absumptis, residuis, ijsque paucissimis, in cubilibus, & cauernis collocatis.

35 In Comitatu Tholosano F. Gulielmus Arnaldus, cũ F. Petro Syllano designatur; apud Insubres vero F. Ronaldus Cremonẽsis, qui detectis vulpibus innumeris, vineam Domini ab earum incursibus præseruarunt. Fratri Guilielmo de Barbano, vt in Prouincia Tholosana contra hęreticos inquireret, à Gregorio IX similiter

liter demandatum. Generalis item Inquiſitor in vniuerſo Galliarum Regno F.Robertus inſtituitur. Idem officium Inquiſitionis Priori Viterbienſi, & F. Rodulpho ab eodem Pontifice commendatum, cupiente funditus fidei hoſtes extirpari, & ſacroſanctam fidem illibatam conſeruari, quod & opere diligenter perfecerunt.

36 In Belgio hęretici, dicti Turpes, detecti, hi Albigenſes, ſeu Stadigenſes etiam vocati, eò quod concubitus prępoſteros, licitos exiſtimarent, à F. Ruberto igne proportionata eiuſdem pœna delicti, meritò concremati. Prouinciali quoque Lombardiæ iniunctum Inquiſitionis munus, à Gregorio IX. cum aliorum Inquiſitorum creandorum ampliſſima poteſtate, qui hæreticam ſobolem detegentes, à fidelium confinijs ablegarunt. Itidem in Regno Nauarræ ad profligandam Albigenſium hęreſim, quæ montes Pyrenæos penetrauerat, & vicinos Nauarrę populos infeſtare cęperat, Inquiſitores præficiebantur, authoritate Apoſtolica, à Prouinciali Hiſpaniæ, vel Aragoniæ, vberes fructus reportantes.

37 F. vero Gulielmus Amaltus, & F. Bernardus à Rupeforti & F. Garſias de Aura, pro depoſito ſacrę fidei tuẽdo (erãt hi Inquiſitores Prouincię Tholoſanæ) à ſatellitibus hęreticis cęſi, in cœlũ cõuolarũt, ipſorũ gloriã, viſionibus, & miraculis Deo cõteſtãte, & ſacro Card. Collegio (Sede tunc vacante) martyrium commendante, litteris ad Tholoſanos Fratres Prædicatores directis, id teſtificando, quòd impij, martyribus non ita beneficijs temporalibus ſeruire potuerunt, ſicut gladijs perſecutionis, & mortis profecerunt, referuntur à Fernandez in concer. Prędicat. anno 1242. & Mal-

uenda anno eodem cap.3.pag.645. in hanc formam. *Nostis charissimi filij, qualiter Ordo vester, ad defensionem fidei, plantationem morum, consolationem, & ędificationem fidelium, extirpandas hęreses, ac cęterorum vepres, ac tribulos vitiorum, à Sanctiss. P. DOMINICO in Tholosanis partibus fuerit institutus. Ne vestrę sanctitati possent inferre aliquid maculæ infideles, possessionibus, ac cęteris mundi omnibus relegatis; subiecistis spontaneè colla vestra voluntarię paupertati; & ad legem, & testimonium magis, ac magis vestros animos conuertentes, obtinuistis à Domino, vobis dari linguas cœlitus eruditas. At quidam, more phreneticorum insanientium in suos medicos spirituales, quod intelleximus cum dolore, horrendam immanitatem in seruos Dei INQVISITORES, & eorum socios, & ministros exercuerunt. Quibus non potuerunt tantum officiendo proficere, quàm persequendo gladijs profuerunt. Nam per hęc (vt credimus) effecti SS. Martyres Iesu Christi, cohęrentibus, non solum mortis causa, sed tempore mortis, & genere, & circumstantijs vniuersis*. Veneno quoque eodem tempore in Catalonia absumitur, F. Pontius de Planedis Inquisitor, ab eodem Gregorio creatus, cęlo funus cohonestante, Sol enim sex horarum spacio stetit, quousque debitis honoribus eidem est parentatū, ex Maluenda in annalibus pag.645. Sex item inquisitores nostri, iussu Tholosani Comitis, eo titulo, quod, pro sacri tuitione depositi, hęreticos arcerent, obtruncati, miracula S. Dionysij Areopag. instaurantes, proprijs manibus capita abscissa deferentes (cęlesti illustrata splendore) in Conuentum Tholosanum intulerunt, vbi condita requiescunt. Ex eodem. Prouincialibus Hispaniæ, prò eiusdem depositi sacri custodia, deman-

mandatur ab eodem Pontifice, vt in Regnis Aragoniæ, Galliæ Narbonenſis, & aliarum ditionum Regis Iacobi, Inquiſitores inauguraret, qui eſſent prędicatorię togæ. Horum ergo opera fides cuſtodita, horum periculis fures effugati, horum cruore veritas obſignata.

38 In Concilio Lugdunenſi ſub Innoc. IV. quantum fuerit à noſtris depoſitum illuſtratum, res ipſa loquitur, nam errores Petri de Vineis, Prędicatorum eruditione, & diſputationibus (pręſertim F. Hugonis de S. Theodorico poſtea Cardinalis) detecti, confutati, profligati. Idem Innocentius, per Lotharingiam, & Burgundiam, è noſtris Inquiſitores aſſumit, ad hęreticos clam pululantes extirpandos: & F. Vincentio committit, vt hęreticis in Lombardia renaſcentibus, conſtanter ſe opponeret. Prouinciali vero Hiſpaniæ, & S. Raymundo de Pennaforti conceſſit facultatem Inquiſitores creandi, in Aragoniæ Regno, vt in regione diſſimilitudinis hæreticos ambulantes, ad lucem veritatis reuocarent, quò factum eſt, vt nedum in Aragoniæ Regnis, verum in Gallijs, tanquam duces robuſtiſſimi, nefarios impetus repreſſerint gloriosè.

39 Circumcellionibus autem nouis, renaſcentibus in Germania, & aduerſus Romani Pontificis poteſtatem furentibus, à noſtris, pręſertim F. Ioanne Theutonico elaboratum. Sed non minus à F. Henrico Colonienſi, qui S. Ludouico Francorũ Regi ſuggeſſit, vt cùm contra diſtantes Saracenos in Syria, tùm vicinos hęreticos in Gallijs, vicinoque Belgio, arma ſuſciperet. Reſiduum poſtea in Belgica Gallia ab Inquiſitoribus noſtris perfectum eſt, nam apud Vrbem Cameracum plures hęretici (inter quos famoſus Aegidius, illius tem-

postor) flammis deuoti,& à F.Roberto alibi, alij etiã à fide extorres,concremati.

40 In Hollandia,& Zelandia sanctum inquisitionis munus,hac ætate nostri exercebant, præ cęteris F.Ioannes Omacha, hęreticos comprimebat, sicut & in Ducatu Sabaudiæ, pro auita maiorum fide decertans F. Petrus Ruffensis,hæreticorum profligator inuictus, & pro fide occumbens,martyr gloriosus. Ea etiam tempestate idem Innocentius S. Petro Veronensi, alios Inquisitores adiunxit,pro Insubribus, & Mediolanẽsi ditione,à lue hęretica pręseruandis, & gladium inquisitionis aduersus hæreticos stringerent.A S.Raymundo Enzabbatorum hęreticorum agmen, quod magnã iacturam in Catalonia, & Terraconensi Prouincia intulerat,profligatum est. Strenuam quoque operam ex Apostolica commissione, F. Stephanus Capellanus Legatus,& Prouincialis Prouenzæ impenderunt, pro hęreticis à Comitatu Tholosano,& Pictauiensi regione eliminandis.Hæc ex Fernandez in concert. Prędicatoria.

41 Inuictissimo autem illo fidei pugile S. Petro martyre gladijs ab impijs confosso,totis viribus Innocentius satagebat, vt hæretica prauitas penitus aboleretur. Hinc per Lombardiam,Romandiolam,& Marchiam Triuisanam,Inquisitores destinati,sui officij admonentur,facultates conceduntur opportunæ, & necessarię, in varijs diplomatibus exaratæ, indè hęreticorum vafricies,& impietas detecta,& conculcata. Sub eodem Pontifice,Generales Inquisitores à S. Raymundo in omnibus Regnis Iacobi Regis Aragonum,instituti, F. Petrus de Tonenes, & F. Petrus à Cadireta, de quo infrà.

42 Post

42 Poſt ſacram B. Petri martyris apotheoſim, precibus,& miraculis eiuſdem, hęreſis incendium extingui cępit: auxiliares copias quoque ſubminiſtrauit F. Paganus Bergomenſis (qui ad Ordinem Prędicatorum à S.Dominico receptus erat) nam in Marchia Anconitana hęreticorum colluuiem effugauit. F.Pontius Spirenſis ab Albigenſibus,hac tempeſtate, multa paſſus, diuini verbi gladio, hęreticorum phalanges confodit, plurimis ab hęreſi ad Catholicam fidem reuocatis.

43 A F.Raynero Saccone,plurimi hęretici brachio ſeculari traditi ſunt,igne exterminandi: Gathæ oppidũ hæreticorum latibulum, ſolo aequatum: Nazarij,& Deſiderij corpora, quę ab incolis colebantur concremata. Induſtria Prioris Pariſienſis vſus eſt Alexander IV. Pontifex, ad inueſtigandos nouos errores Ioannis Parmenſis,quibus compertis, liber talibus hęreſibus confarcinatus,igne examinatus. Duo quoq; è noſtris Inquiſitores,F.Bernardus Vaſcus, & F.Franciſcus Toloſanus,adeò pro defenſione fidei hæreticis reſtiterũt, vt ille paſſus ſit ſpinis coronari, & ſagittis configi, hic in duas partes ſecari,& igne cremari, potius quam in leui,depoſitum ſacrum violari.

44 In Regnis Aragonię,& Valentię F. Gulielmus Sanctius conſtitutus Inquiſitor, hęreticos partim ſupplicijs extinxit,partim eieratis erroribus,ad tutiſſimum Eccleſię portum reduxit. In Ducatu Brabantino Gulielmus Cornelius hęreſiarcha amandatus, qui depoſito ſacro,illud intrudere volebat dogma,videlicet peccata omnia commiſſa, & committenda, ſola paupertate remitti. In exterminandis quoque hæreticis,non leuem operam adhibuit F. Pontius,S. Ludouico Regi coniunctiſſimus,ſemper impauidus, & indefeſſus pro

depo-

depositi custodia. Mediolanensis etiam Inquisitor, eodem tempore castrum hęreticorum Monzanigum, nomine, solo æquauit, sumpto de hęreticis, ex lege, supplicio Pro eodem munere, dum laborat F. Ioannes Hungarus Censor fidei, Tholosę lapidibus obrutus, lanceaque confossus, martyrij lauream sortitus est. Guido Lacha, sub ficta sanctitate hæreses occultans, Brixię ab Inquisitore detegitur, rogo imponitur concremandus, sed in sublime à dęmonibus raptus, tamdiu suspensus stetit, quãdiu à dęmonibus sustentabatur: sed ad præsentiam Dominici corporis, quod ab Episcopo delatum est, à spiritibus immũdis derelictus, in flammas cecidit (non secus ac Idolum Dagon olim ad arcæ pręsentiam) & ambustus est. Quid non aduersus hęreses Gręcorum in Concil. secundo Lugdunẽsi, non est elaboratum? testes labores Alberti Magni, & F. Petri de Tarantasia, cum aliorum Fratrum, & Episcoporum nostrorum consessu, qui ibidem laborarunt.

45 Memoria F. Petri Cadiretę Inquisitoris in Catalonia, in Ecclesia celebris erit, qui cum viriliter hęreticorum versutijs se opponeret, ab ipsis lapidibus obrutus est, in Cœnobio Vrgellensi sepultus, miraculis clarus. Similiter, & F. Pagani Bergomensis fortitudo inuicta pręđicabitur, qui plurimis vulneribus confossus, manibus in modum crucis compositis, die S. Stephani Protomartyris occubuit, sanguine officium inquisitionis illustrans. His adiungitur F. Germanus Ecclesiastes insignis, martyrio coronatus, qui à Flagellantibus hæreticis (quos suis feruentissimis concionibus euertebat) necatus, religionem sanguine obsignauit.

46 Parmensis conspiratio, non minus nostros Prædicatores pro S. Officio laborãtes, præclaros reddidit, dum enim

enim mulier impœnitens rogo tradebatur,ſeditioſorũ commotione facta,cœnobium expilatum,Fratres vulnerati,inter quos (teſtante Honorio IV.) poſt paucos dies,vnus ob illata ſibi vulnera)expirauit. *A* F.Guidone inquiſitore Ferrariẽſi,Hermannus,qui,vt *Sãctus* colebatur,hęreticus repertus,exuſtus eſt. A Bernardi verò Guidonis diligẽtia,eodẽ tẽpore,eradicabãtur zizania,ne tritico permiſcerentur.Gulielma item fœmina, quam vt ſanctam colebant Mediolanẽſes, ab Inquiſitore,hæretica detecta,cum ſuo viro Andrea Saramita combuſta eſt,huius exhumatis,& diſperſis oſsibus, illius flammis cadauere abſumpto.

47 Sub *P*ontificatu Benedicti XI. decem inquiſitores, authoritate Apoſtolica , in Lombardia ſtrenuè dimicabant.In Regnis Aragoniæ,& Valentiæ F.Bernardus Peregrinus hęreticus,à prædictis Regnis,ſicut,& à Ciuitate Bononienſi F.Ioannes Foſcherius, fidei zelator profligabant.Multa quoque hæreticorum millia in Cremenſi Vrbe,& alijs oppidis Archiducatus Auſtrię, vel comprehenſi, vel concremati à noſtris Inquiſitoribus.

48 Sub Ioan. 22. libri Arnaldi de Villanoua ſimiliter repreſſi: multi in Aragonia de hęreſi Beguina infecti, à F. Arnaldo Bugueto dignis ſupplicijs affecti; & ab eodem,& F.Ioãne Lathegerio, Fraticellorum reliquiæ ab eodem Regno,Valentia,& Cathaloniæ Principatu eradicatę.A F.vero Bernardo Puigceros,plurimi errores detecti,& confutati, *P*etro Olerio Maioricenſi , & complicibus in vincula coniectis , & rogo examinatis; ſicut , & igne quoque exuſtus eſt in ciuitate Gerundenſi,Petrus de Baldach,F.Arnaldi ſupradicti Inquiſitoris opera.A F.item Guillielmo Coſta Inquiſitore

gene-

generali, Bononatus insignis hæreticus ambustus est, cum domo, vbi ad conuenticula mali corui oua fouebantur.

49 Sub Pontificatu Benedicti XII. F. Ioannes Vvitslauiensis, errores seminatos à Petro Ioanne, summa constantia, vitæque discrimine exterminabat. Similiter & F. Conradus in Boemia, à Rege pro fidei defensione occiditur, miraculis illustris. Hoc eodem tempore Flagellantium secta, quæ per multos annos grassata fuerat (Inquisitoribus, in Galliæ, Italiæ, & Germaniȩ prouincijs indefessè laborantibus) extincta est, nam, & hæreticorum plurimi patibulo suspensi, alij igni traditi.

49 Sub Clemente VI. pro deposito F. Guarinus noster Generalis, ad propulsandos rediuiuos Dulcini errores, in Boemia, cum Fratribus ab illo designatis, multum insudauit. F. Bernardus in Ducatu Mazouiæ in Polonia Episcopus Ploscensis, pro peste hȩretica à finibus sui gregis eliminanda, plurimas contumelias, & molestias passus est. In toto vero Regno Poloniæ F. Viceslaus, & *F.* Io. Chrysostomus magnam diligētiam adhibuerunt, vt ab illius Regni limitibus, hȩreses exterminarentur. Plurimi item hæretici, Begardorum errores renouantes, debitis pœnis mulctati, à F. Nicolao Rosellio. Alios similiter animaduerterunt, sub Innocentio VI. in Regnis Aragoniæ. Valentiæ F. Ioannes Gomir, & F. Nicolaus Eymericus plures igni similiter addixerunt, inter quos Nicolaus quidam, qui exauthoratus Sacerdotio, igni quoque traditus est. F. Ermengandus in eodem Regno, & Valentiæ, hȩreticorum colluuiem abegit.

50 Sub Gregorio XI. F. Antonius Pauo Inquisitor, dū

post

poſt incruentum ſacrificium, aduerſus praua dogmata conclamaſſet, ab impijs gladijs confoſſus, Chriſti victima effici meruit. Sub Vrbano VI. in Regno Aragoniæ, plures repululantes hęreſes obtruncauit Dei verbi gladio, & igne F. Ximenius de Nauaſſa: & F. Nicolaus Eymericus, Arnaldum Monteberricũ igni addixit. In Principatu Cataloniæ idẽ innumeros ſimili pœna mulctauit, per annos 40. Inquiſitionis habenas moderando, mala hęreſum gramina viriliter eradicando.

51 Sub Bonifacio IX. F. Vincentius Vlyſipponenſis, Generalis totius Hiſpaniæ Inquiſitor, adeò in hęreſum extirpatione laborauit, vt illud à Bonifacio IX. diploma obtinuerit, vt eius ſucceſſores in Hiſpania generales Inquiſitores, inferiores inſtituere, & amouere poſſent. Eodem tempore, & ſequentibus F. Petrus Stephanus Inquiſitor Cracouienſis 24. annorum ſpacio, pręclariſſimo Inquiſitoris munere fungens, plurimos hęreticos ad fidem reduxit, alios impœnitentes dignis ſupplicijs amandauit. In Germania vero, & Lombardia, adeò à noſtris Inquiſitoribus eſt decertatum, aduerſus apoſtatas, & Striges, vt ab anno 1404. vſque ad 1600. triginta millia, vt minimum, teſtante Paramo lib. 2. t. 3. c. 4. n. 27. fuerint concremata.

52 Sub Gregorij XII. tempore, & ſequentibus, in Aragonia, Valentia, Cathalonia, generales Inquiſitores F. Franciſcus Sala, & F. Sanctius de Beſaran (ad fuganda tetra inferorum monſtra hęreticę prauitatis) inſudarunt. Sub Ioanne 23. F. Petrus de Fonteluporum Inquiſitor Aragoniæ, F. Michael Segurra Inquiſitor Maioricæ, & F. Bernardus Pages ad perfidiam hęreticam retundendam, viriliter omnes neruos intenderunt. Simili-

militer,& F.Iacobus de Susato in Germania,& F.Ioā nes de S.Iusta Conimbriȩ.

53 Sub Martino V. in Prouincia Rhemensi F. Petrus Floreus Inquisitor, causas fidei diligentissimè tractauit,& quas securitas torpidos reddebat, ne hæresim desererent,digna animaduersio rebellium, quos suppli cio affecit, ad sanandam mentem,extitit medicina. Ab eodem Martino V,F.Andreas Ros specialis Inquisitor,Valentiæ designatus est, qui solertissimè eo munere functus, Conuentus impiorum subuertit,fideles in officio catholicæ disciplinæ seruauit.Non dissimilem sub Eugenio IV.operam impenderunt, in Polonia, F. Nicolaus de Lancicia, & F.Nicolaus de Pnieroy, plurimum ab Vladislao Rege commendati: & in Aragonia F.Michael Ferriz, & Valentiȩ F. Martinus Trilles, hȩresim vt cancrum serpentem inurendo. In Poloniā, & Pannoniam F. Bartholomȩus Lapatius missus,egregiè præstitit Inquisitoris officium, plures hȩreticos ad veritatem conuertens.

54 Nicolai vero Quinti tempore,plures reliquias Fratitellorum ambustas, & dissipatas ab Inquisitoribus, scribit S.Antoninus 4 p.Theol.t. ij. c.7.§.2.Similiter Henricus Lugardi in Sicilia, Ioannes Coloniensis in Germania, Nicolaus Aduocati,& Iacobus Grimalius Poloniæ, Christophorus Galuez Aragoniæ, Michael Iusti Valentiæ,præ viribus, fidei causis incumbebant, hȩreticos exterminabant. Idipsum, sub Calixto III. Fr. Iacobus de Sancto Ioanne, in Catalonia F. Iacobus de Sancto Ioanne,& F.Ioannes Gomes, diligentissimè prȩstabant,magno Ecclesiȩ bono. Similiter,& alij Inquisitores instituti sub Pio II. in diuersis orbis prouincijs (quorum nomina recensent Diagus lib. 1.

cap.

cap.33.35.38.& lib.2.c.94.Michael Pius 2.par.lib.3. Bzouius ſup.cap. 8.Varij etiam inquiſitores (quorum &̃ meminere ijdẽ locis cit.) ſub Paulo *II*. indefeſsè pro cuſtodia ſacrorum dogmatum inuigilabant.

55 Sixti *IV*. quoque tempore (apud eoſdem) alij ſtrenui Inquiſitores, pro hęreſum extirpatione certabant,pręſertim in Hiſpania, vbi clarus inter cæteros, erat inſignis *F*.Thomas à Turrecremata,à quo ille(inter alios eximios fructus reportatus eſt, quòd decẽ, & ſeptem millia hęreticorum, & apoſtatarum,hęreſi abiurata,catholicę Eccleſię ſunt incorporata,ex Param. lib.2.t.2.c.3.nu.7.& 8.Ab Vrbano vero IV.Pontifice, 1261. vſque ad Sixtum *IV*.1483.quando Turrecremata eodem munere fungebatur, aſſignatis quoque per alia Hiſpaniarum Regna Inquiſitoribus, per 230. annos in Regnis Aragonię, Valentiæ, & Cathaloniæ ſemper è Prędicatoria familia deſignati ſunt.Et(vt idẽ Paramus loco cit.& tertia pars Hiſtor.Prędic.c. 76. & Fernãdez anno 1483. teſtãtur) his cẽſoribus ſex millia hæreticorum,vel in ſe,vel in ſtatuis ſint concremata,centum verò circiter millia,Inquiſitorum dictorum labore,Eccleſię reconciliata.

56 Sub Innocentio *VIII*. Hęretici *Iu*daizantes combuſti in vrbe *A*bulenſi,actu fidei ſolemniſſimè celebrato,inde poſtea Turrecrematę opera, vſque ad ſexcentum millia Iudęorum ab Hiſpaniarum ditionibus expulſa,ex Caſtillo 1.p.lib.3.c.41.Ab Alex.*VI*.*F*.Didacus Deza generalis inquiſitor in Hiſpaniarum Regnis pręficitur; qui multa millia hęreticorum,& Apoſtatarum condignis ſupplicijs affecit,ne ſacrum depoſitum à perduellibus violaretur.Para.lib.1.t.2.c.6.In Polonia alij inquiſitores condignè ſacri officij munus admini-

ministrabant. Doctissimus P.M.Bzouius c.8.hist.Pol.

57 Sub Iulio *II*. *F.* Ioannes Paulus in Regnis Hispaniarum diligenter idem officium administrabat. Sub Leone X. Antonius Casalensis inquisitor Nouocomensis, acerrimus hęreticorum oppugnator, pro fide laborabat, hęresi noua sopita, quae in Lombardiæ partibus pullulabat, Leander Albertus lib.4.fo. 149. *A*duersus Lutherum *F.* Ioannes Tezelius inquisitor Germaniae insurgit, & hęresiarchae audacia, primo retrusa, & confutata. *A*b *A*driano 6. Pontifice Inquisitores Lombardię litteris *A*postolicis, fouentur, priuilegijs, & facultatibus aduersus haereticam prauitatem. Clemens Septimus Inquisitorem Brixiensem pro diligentia officij aduersus labem Lutheranam insectandam, suo diplomate laudauit, & *F.* Hadrianus in Polonia, *I*nquisitor mirificè à scriptoribus commendatur, quòd illud Regnum à labe Lutherana pręseruarit. Bzouius c.6.p.52.c.11.& 88.hist.Pol.

58 Sub *Paulo III*. in eodem Regno *F.* Hieronymus inquisitor Cracouiensis, plures reduxit ad Ecclesiae gremium. Ex Bzou. cap.8.p.71. *S*ub eodem primo Sacrũ Tribunal Romæ introduci cęptum est, vbi inter cęteros supra Rempublicam Christianam, generales *I*nquisitores Cardinales instituti, inter quos renunciatus primo est cum Io. Petro Carafa, F. *I*oannes à Toleto. Commissarius quoque postea generalis institutus est in eodem palatio, & è Fratribus *P*rædicatoribus vsq; ad præsens, à prima institutione sunt assumpti, summam diligentiam adhibentes in hæreticis custodiendis, examinandis, aliaque præstando, quae ad eorum extirpationem necessaria adiudicantur.

59 Sub eodem clarus extitit *F.* Garsias à Loaysa Generalis

neralis Inquiſitor Hiſpanicę ditionis. Per idem tempus F. Michael Ghiſlerius (poſtea, Pius V.) indefeſsè laborabat in inquiſitione Comenſi, murum validum ſe opponens pro domo Dei, multa incommoda, & perſecutiones pro fidei cauſa perpeſſus,in nullius faciem reſpiciens,qui fidei iura violaſſet. In Regno Angliæ ſub Iulio *III*. fides catholica reſpirauit,Fratris Petri de Sotomaior, & Bartholomęi Carranzæ opera,reſtitutis ibidẽ Academijs Theologię,cõbuſtis corporibus hęreſiar.Buc. Phagij, Thomæ Cranmeri Superintẽdentis Cãtuarienſis,& vxoris P.martyris Vermilij, & pluſquam triginta millia hęreticorum, vel flammis expoſita,vel exilio mulctata,vel Eccleſię Romanæ reconciliata. Sanderus de Schiſm. Anglic. Fernandez in Concertat. anno 1554. Lopez cent. 4. lib.2.

60. Sub Paulo IV. Prędicatores noſtri in Polonia ſtrenuè pro conſeruando depoſito laborabant, aduerſus hæreſes decertando,ex Bzou.in ann. Pol. c. 8. F. Michael Ghiſlerius Commiſſarius,tunc prędefecturã Romę gerebat,cuius diligentia hæreſes profligabantur, maximè cum in purpuratorum Patrum conſeſſum cooptatus generalis Inquiſitor,vna cum alijs Inquiſitoribus Cardinalibus,annumeratus. In Regno Bohemiæ pro fidei cuſtodia Inquiſitor Pragenſis, F. Ioannes Enſcolfed,occiditur in die Paraſceues.

61. Sub Pio V.Inquiſitores, Concionatores, Doctores noſtri pro tuenda fide laborabant, plurimi præſertim in Gallia pro fide occiſi ſunt,inter cęteros viginti nouem eminent, quorũ agon triumphalis 1567.& 1570. in Comitijs Prędicatorijs Romæ habitis,& pręſentia Pontificis cohoneſtatis,recenſitus eſt,ex Caſtillo 1.p.

 lib.1.

lib.1.cap.63.Histor.Sancti Dominici.

62 Euigilabant his temporibus nostri aduersus hęreses,pręsertim in Polonia, inter quos insignis habetur F.Cyprianus,vnde (ex Bzouio cap.6.p.13.c.8.p. 73.) dicere solebat Petrus Episcopus Cracouiens. *Si Fratres Prædicatores S.Dominici,in Regno Poloniæ,cum hæresis omnia tecta peruadebat,non extitisset, vix aliquod vestigiũ fidei Orthodoxæ,in Polonia superesset.* Similiter in Lombardia F. Cyprianus Vbert. Inquisitor plures pululantes errores deprimebat,noxios amandabat. In Gallia F.Ioannes Coloniensis inquisitor, in Lusitania F.Hieronymus Oleaster,& F.Emanuel à Vega eodem munere,maximo Ecclesiae adiumento,fungebantur.

63 Sub Gregorio *XIII.* in prouincia Occitana,pro fidei deposito constanter retinendo, plurimi è nostris passi sunt.Ex actis Cap. generalis 1580. Alij similiter in Germania inferiori, pro deposito illustre martyriũ subierunt.Ex actis Cap. 1583. & ex Leone Belgio in annalib.1588.

64 Sub Xisto V.F. Melchior Mosticensis hęreticorum malleus adhuc viuebat,feruidis cõcionibus plurimos in Regno Poloniae hęresi infectos,Catholicae religioni adiunxit. Hic iampridem ad Bernardinum Ochinũ edidit Epistolam, vt eundem ad gremium Matris Ecclesię reuocaret,de qua Fernandez supra,anno 1590. Itidem alij ab hæreticis occisi in Germania inferiori, & in Congregatione Gallicana. Ex actis Cap.generalis anni 1592.sub Greg. *XIV.*

65 Sub Clemente *VIII.* in Regno Angliæ Rubertus Nuctures,p deposito fidei custodiẽdo,passus est 1600. à F.Sebastiano Michaelis (qui postea inquisitor Aueniónensis) hæreses validè confutatę,sontes puniti,pœniten-

nitentes innumeri Eccleſię reconciliati.

66 Sub Paulo V.à Fratribus Prędicatoribus, pręcipuè F.Seuerino Cracouienſi, & alijs,diſputationibus,concionibus,innumeri circa fidem naufragantes,in fidiſſimæ ſtationis portum eccleſiaſticæ communionis recepti ſunt.Similiter id pręſtitum eſt,in prouincia Germaniæ inferioris à Priore Friſacenſi, & à F. Seruatio Prouinciali.F.Coſmas Morelles Inquiſitor Colonienſis, fidei inſignem Hyperaſpiſtem ſe oſtendit in Germania,hęreticos ex depoſito confutando. Celebris eſt typis mandata diſputatio, pro valore operum aduerſus Caluiniſtas.In Gallia F.Nicolaus Coeffectau Epiſcopus deſignatus,Caluiniſtarum maſtix, plurimis etiam editis libellis,fidei Catholicæ depoſitum propugnauit, Philippum Mornęum euicit, Archiapoſtatam Spalatenſem,egregio opere, pro Monarchia Eccleſiaſtica contra fictam Rempublicam confutauit, & Gregorio XV. eandem operam conſecrauit.

67 Sub Vrbano VIII. qui viuit,& regnat, vbique locorum peruigilant Inquiſitores,vt canes venatici aures erigentes,ne fur,vel latro ad inuadendum depoſitũm inſiliat:depoſiti Apoſtolici fideliſſimi cuſtodes, à vigili cuſtodia zelantiſſimi Paſtoris,excitati.

68 Scriptores pro eiuſdem depoſiti conſeruatione enumerare,operis inſtitutum non patitur, & ne in recenſendis nominibus ambitioſus videar, ſat ſcire eſt, quod quæcunque ſcripſerunt noſtri, & aliorum ordinum viri doctiſſimi,quacunque diligentiam præſtiterunt,pro vulpibus exterminandis,& latronibus conſectandis,illud pro ſcopo ſibi profixerunt,vt ſacroſanctum depoſitum cuſtodirent: eamque nobis vnam fidem defendēdam exhibuerunt, pro qua laborarunt,

Bb 2 & paſſi

& passi sunt,& quam hodie Catholici profitemur. Depositum ergo sacrum,quis temere resignare, & inuadere audeat, quod, ne violarent fidei vigiles,confessores, & martyres extiterunt ? quomodo eorum possumus fidem denegare,perduellibus assentiendo, quorũ victorias prędicamus ? Hęc filiorum Ecclesię, & nostrorum cura aduersus manifestos refractariorum hęreses,& errores.

§. 2.

Ne noua,& peregrinæ doctrinę euulgarentur,item elaboratum est.

69 PErgo eandem vigilantiam demonstrare in fida custodia,indicando nonnulla,quæ syncera Theologiæ, & sanæ doctrinæ,nostris temporibus,noua superaddita sunt,& tanquam peregrina superinducta. [a] Hic dum extra fidei limites,identitas huius numero Summi Pontificis.V.G. Clementis *VIII*. impunè locari posse dogmatizatum, sacrosancta fides in discrimen adducta. Ibi [b] sacra exomologesis in papyris descripta,sacramentali formà obsignata, impigra cum mercatoribus excurrit ad Indos. [c] Hic carcer Senatorius,ad animas quasdam purgandas,absque pœna sensus extra Purgatorium construitur: ibi [d] in Purgatorio flamma ex analoga ignis significatione, nouo rore temperatur, solumque probabiliter locus obscurus plenus pœnarum,absque igne substituitur.Hic [e] Augustinus molliter de Pelagianismo triumphasse obmurmuratur: ibi recentes vię,quas ignorarunt Patres nostri, tanquam pro tertio testamento ad Semipela-

gianos

gianos excusandos, [f] Cassianum quoque laudando, vendicantur. Hic [g] somnio, vel visione probabili de connubio instructa, voto solemni Deo dicata persona, religionem cum pudore exuens, incœstas nuptias tanquam licitas appetit. Ibi [h] in materia venerea sic laxantur habenæ, vt pudicitia vulneretur, dum ex paruitate materiæ, impudicitia voluntaria inter fœnum, & stipulas, hoc est veniales culpas recensetur. Hic ipsa mollities emollitur, dum stillicidia ex parua delectatione stillantia, à lętali culpa vindicantur. Ibi in honorabili connubio, & thoro immaculato, antequam infirmiori vasculo muliebri debitus impendatur honor, ad Pentapoleos fines inuisendos vxor inuitatur: cum tamen, vt Tertullianus cecinit in carm. Sod.

Effera luxuries illic, inimica pudoris,

præpostera suppeditante materiam, passiuitate luxuriç, facileque de licito excęcante cupiditate, homines suaderi possent, ex huiusmodi licentia, dum venialis culpa in his actibus ex se interuenire docetur. Duæ enim species cœcitatis (ex Tertullian. in apolog.) concurrunt, nimirum vt eis, qui non vident quæ sunt, videantur quæ non sunt: imò & facillimè Eleusina, & Samothracia, infanda Orgia induci possent, solent enim hæc, tanquam auenæ in fructus veterum Gnosticorum maturescere. Hæc pauca de multis.

70. Aduersus hæc à nostris, & à doctissimis omnium Ordinum Magistris conclamatum, ne Patrum deposito, & Scholasticorum doctrinæ, inusitata, & noua admiscerentur. Pastores aduocarunt, digito authores demonstrarunt, libros annotarunt, modestè manum à censura (quæ Pastorum est) temperantes, nouarum rerum architectos euicerunt, & admonuerunt de hono-

re,& obsequio erga Patres, erga instituta maiorum, atque ostenderent, si quæ superinducerent, illis esse conformia, legitima ostensione panderent, si autem aduersa euulgarent, gypso, vel atramẽto obliterarent. Interim aduersus superinducta legẽdi sunt [a] *Nunnez 3.p.q.20.in addit.a.3.difficult.1.Suarez de fide disp.10 sect.9.* [b] *Aluarez p. 2.q 19.ar.6. disp. 80. & Suarez 4.to.3.p.disp.19.sect.3.* [c] *Maluenda de paradiso c. 92. & Suar.4.tom.dist.46.1.sect.* [d] *Coccius 2.p.thesau. lib. 7.ar.5.Valuedr.de igne purgatorij.Soto in 4.d.29.q.3. ar.2.* [e] *Bellarm.to.4.controuers.3.lib.2.c.11. Aluarez de aux.lib.disp.2.* [f] *Maluenda in annalib. Ord. Præd. anno 1134.pag.39.* [g] *Cabrer.3.p.t.3.q.62.ar.1.disp. 3.§.8.Raphael de la Torre de religione 2. 2.quæst. 95. ar.3.disp.2.* [h] *Rebellius p.2.de iustitia lib.3.q.19.sect. 3.Sanchez seipsum corrigens,de præceptis tom.2. lib.5.c. 6.num. 12. Thomistæ, & omnes Summistæ communiter cum S.Thom.1.2.q.11.ar.1.2.2.q.154.ar.4.*hi aut hores prædictas positiones doctissimè impugnarunt.

71 Et quemadmodum(vt scripsit S.Petrus Chrysolog. serm.97.de parabol.zizaniorum)*Superseminatis zizanijs,vigilantes serui expauerunt,metuentes ne zizaniorum germina,ad illorum rediret offensam, quorum conscientia, præter iacturam boni seminis, nihil habebat; Vnde,& auditum sui Domini præuenerunt,ne securi de innocentia,reatum de silentio sustinerent;*ita ex propria instituti ratione,proles S.Dominici, cum cęteris Ordinum aliorum doctissimis viris, *ne vocaretur innocens ad reatum,dum purgari æstuat,vrget,& stimulat cognitorem:*clamant enim ad Dominnm. *Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Seminasti, non seminauimus.*Et subdit Sanctus Pater.*Nos quod per te fecimus*

mus TIBI ſemper aſſignamus authori, & tu quæ nobis facienda præcipis,ipſe operator aſſiſtis. Ergo ſi nos operis tui facis eſſe,pro tua dignatione conſortes,non nobis ſolis, quod zizania naſcantur adſcribas. Domine,aut tecum nos munit innocentia,aut nobiſcum reatus aſtringit.Nos noſtro operi non potuimus inuidere,magnis ſudoribus offenſam non potuimus non parare,tu quod vis, vndę vis, quando vis habes:Nos præter tuam gratiam nihil habemus,per quam ſtamus,viuimus,mouemur,& ſumus, & ſine qua iacemus,deficimus, & perimus. Ergo nos hac nobis ſic laborauimus,vt pœniteat? Sed quis hoc fecerit, qui ſolus non dormis, nobis dormitantibus, eum vidiſti; Et ſi tu vidiſti,iuſte iudex,factum quis ſcit,ille, qui vigilat,non ille,qui dormit.Ergo tu prode eum, vt nos, quos ſic anxios conſpicis,facias ſic ſecuros.

72 Interim ijdem veluti deuoti ſerui,ſuas operas Chriſto,& eius Vicario Romano Pontifici offerunt.*Vis colligamus zizania?* promittunt (ait Chryſol.) *laborem, nec patiuntur Dominicæ meſſis videre, vel temporaliter fęditatem*, petentes humiliter tolli zizania de Regno Dei,maximè ſi id, quod latebat in herba manifeſtaretur in ſpica, & quod cęlatur in gramine aperiretur in fructu, & iudicij Eccleſiaſtici meſſis prodat, quod non eradicatum germen occultabat; ſicque non tàm hominum aſtus, quàm dęmonis reprimatur aſtutia, *quem legis*,ait Tertullianus de Anima cap. 16. *auenarum ſuperſeminatorem, & frumentariæ ſegetis nocturnum interpolatorem*, Apoſtolici depoſiti inuaſorem. Patrisfamilias, non cenſores, & iudices, ſed ſeruos ſe agnoſcunt, imo, & catellos fideliſſimos Apoſtolicæ Sedis,& quiſque eorum id quod Bernardus ſcripſit (epiſt.229.) vſurpat. *Ego itaque,quod in*

me est, demonstro lupum, instigo canes, iam quid intersit, vestra, vos videritis; meum non est docere Doctores.

CAPVT XXIII.

Victrix palma de doctrinarum nouitate, in suo pariter gradu, vnitati, seù consensioni, vniuersitati, & vetustati doctrinæ Augustinianæ, atque Thomisticæ, tribuenda est, quæ depositum Apostolicum tuetur, & defendit.

1 

Vgatis inimicorum copijs, exercitu Satanæ debellato, prostratis, & deuictis hostibus, & in proprio cruore volutatis, nedum, triumphantium more, bullas, & baltheos Euangelici Prędicatores, sed & pedes quoque tinxerunt in sanguine, & lingua canum eodem sanguine exaturata; *Vt intingatur*, dixit Psaltes psal. 67. *pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Lingua* dicitur, non *linguæ*, nam & si plures canes sint in Ecclesia aduersus lupos furentes, vna lingua est, ex vnitate Orthodoxæ doctrinæ, vna quoque lingua Dñicano-

canorum, ex vna lingua doctrinæ S. Augustini, & S. Thomæ; quæ vna omnium est, ex contesseratione eiusdem, quam profitentur, doctrinæ, etiam iuramento obfirmatæ, vt ne latum vnguem ab illa discedere glorientur.

2 Porrò ea est veritatis natura, vt ex consensione vna sit, cum enim Deus, qui veritas est per essentiam, vnus sit, vnitatem tribuit veritati creatę, vt vna sit, vt si plures sint, iam ab vnitate deficientes nullæ sint, nempè, quando *diminutæ sunt veritates à filijs hominum*. Vnica certè linea est, quæ à puncto ad punctum ducitur, quotquot vel in obliquum, vel in transuersum ducuntur, ex multiplicitate, à rectitudine deuiant. Vnus scopus est, qui sola recta linea attingitur, cęteræ iaculationes, quia variè, vel vltra metam velociori cursu transcurrunt, vel remissiori impetu, citrà signum retardantur. Vnum centrum, multæ lineę ab illo ad peripheram protractæ, tanto inter se, & à centro distātes, quantò ab vnitate centri distare prospiciuntur. Sapienter, lacteum illud Christianæ sapientię flumen Lactantius lib. 3. cap. 15. *Sicut vnus est mundi constitutor, & rector Deus, vna veritas, ita vnam esse, ac simplicem sapientiam necesse est, quia quicquid est verum, & bonum, id perfectum esse non potest, nisi fuerit singulare.* Vndè Dionysius de Diuin. nominibus cap. 4. veritatem vnitiuam vim habere, ignorantiam diuisionē, elegantissimè pronunciauit. *Est* (ait) *perfectiua, & adhuc conuersiua ad verè existens, à multis opinionibus conuertens, & varias visiones, vel (vt magis propriè dicatur) phantasias, ad vnam veram, & vniformem congregans cognitionem, vno vnitiuo lumine complens.* Quod dictum exponens Angelicus Doctor ait, *Manifestum*

festum est, quòd circa vnum non contingit, nisi vno modo verũ dicere: at multipliciter errare à veritate contingit: & ideò illi, qui cognoscunt veritatem, conueniũt in vna sententia: sed illi, qui ignorant, diuiduntur per diuersos errores. Hinc initio Gentilium Philosophomachia, iam pridem (vt scripsit Lactantius lib. 3. c. 4.) *suis armis confecta est, in multas sectas Philosophia diuisa est, & omnes variè sentiunt.* Et posteà. *Vnaquæq; enim secta omnes alias euertit, vt se, suaque confirmet; nec vlla alteri sapere concedit, ne desipere fateatur. Sed sicut alias tollit, sic ipsa ab alijs tollitur omnibus.* De rebus enim cœlestibus inter se diffident, de Dei natura, animorum immortalitate, de elementis, de summo bono. Vnde perbellè S. Iustinus oratione ad Gentes. *Itaq; scire cõuenit, qui hęc nostra, hęc in terris cognoscere nequeunt, quod etiàm de ijs inter se contendunt, non idoneos esse, vt de cælestibus verba facientes fidem mereãtur.* Et infrà. *In summa, confusa quædam, & discors est apud eos opinio, quando vno saltem nomine, viris, rectò iudicio præditis, laudanda videntur, quod eis illud propositum sit seruandum, vt se alij alios hallucinari, minimeque vera afferre, arguunt, & conuincunt.*

3 Porrò eam quam assecuti sunt Philosophi veritatẽ (vt ostendit Tertullianus aduersus Gentes c. 46.) ex diuina litteratura scripturarum assecuti sunt. *Quis .n.* (subdit) *Poetarum, quis Sophistarum, qui non omnino de Prophetarum fonte potauit? verum* (vt ibidem subdit) *à simplici veritate illa, quam inuenerant diuertentes, in multiplicitatem errorum lapsi sunt. Siquidem homines gloriæ, & eloquentiæ solius libidinosi, si quid in sanctis scripturis offenderunt, digestis, pro instituto curiositatis, ad propria opera verterunt, &c. Et si quã sim-*

simplicitas erat veritatis, eò magis scrupulositas humana fidem aspernata, mutabat, per quod incertum miscuerunt, etiam quod inuenerunt certum. Et de multis exemplificat. *Ex horum semine, & nostram hanc nouitiolam paraturam viri quidam*, nempè hæretici, *suis opinionibus ad philosophicas sententias adulterarunt, & de vna via obliquos multos tramites, & inextricabiles sciderunt.* Vides ergo à confusione Babylonica Philosophorum (qui & proprij hęreticorum Patriarchæ vocantur) ipsos hæreticos sua dogmata hausisse, vnde vt illi, pariter à simplicitate, & vnitate deuiantes in errorum multiplicitatem declinarunt.

4 De antiquis ergo Gnosticis, S. Irenęus loquens lib. 2. c. 18. se ipsos dicit esse impugnantes, *aduersus inuicem sua propria indicantes*. addit Tertullianus de præscript. cap. 42. *à regulis variant inter se, dum vnusquisque modulatur, quæ accepit*. Quia vt scripsit S. Cyprian. lib. de vnit. eccles. *dum conuenticula sibi diuersa constituunt, veritatis caput, atque originem reliquerunt.* & Athanas. oratione 1. contra Arian. *Illud* (ait, *prorsus admirabile, omnes qootquot sunt hæreses, in fingendo diuersa pugnantia afferre, nec alibi nisi in falsitate sibi inuicem consentire, & copulari.* Et Hil. 7. de Trinit. *Omnes contra Ecclesiam veniunt, sed dum hæretici omnes se inuicem vincunt, nihil sibi vincunt, Victoria enim eorũ, Ecclesiæ triumphus est, dum in eo hęresis contra alteram pugnat, quod in altera Ecclesię fides damnat.* Inductione id comprobatur in Valentinianis, qui ex Iren. lib. 1. cap. 7. vix in duobus articulis conueniebant. In Manichęis, qui ex August. de hęres. cap. 48. in varias factiones sciſſi erant. In Marcione, à quo (ex Epiph. lib. 1. to. 3.) Lucianistæ, Apellitæ, Seueriani, veluti varia apum exami-

examina, vnoquoque suum principem habente, pullularunt: In Arianis, multipliciter diuisis, diuersasque nedum annuales, sed & menstruas fidiculas concinnantibus, ex Hil. 2. de Trinit. cap. 6: In Eutychianis, ex Niceph. lib. 18. c. 45. qui in duodecim classes secabantur: demum in nostri seculi Nouatoribus, in quibus, vt scripsit etiam Hil. de sui temporis hæreticis loquens, *Tot fides existunt, quot voluntates, tot doctrinæ, quot mores, tot causæ blasphemiarum, quot vitia sunt.* Sed non mirum, vt cum Theodoreto lib. 2. de Græcor. affect. discursum claudamus, *quia oportet multifidas falsitatis semitas esse, si à veritatis regulis recesseris, ac eorum, qui blasphemijs gaudent, varios cuneos, & diuersa multa blasphemiarum iacula; mendacium enim multiplex, & varium, sed veritatis gratia simplex est.*

5 Non ergo veritas apud hæreticos esse potest, vbi vnitas & consensio, quæ sunt veritatis nota, non noscitur, vt in Babylonica turri factum est: meritoque illis illud aptatur, quod scriptum est. *Præcipita Domine, & diuide linguas eorum.* In sola domo Heber vera lingua, fideique confessio permansit, in qua ex August. lib. 16. de ciuit. cap. 12. *Custodita est plantatio ciuitatis Dei:* & vnum idemque conseruatum depositum, fideli que custodia posteris traditum, & consignatum.

6 Suo ergo modo istam notam in August. & S. Tho. doctrina inspicies, vnitatem videlicet, seu consensionē mirificam, in rebus Theologicis: vt verè vox August. sit præcedentium omnium Patrum, & S. Thomam audire, sit Patres auscultare in eo loquētes, nempè Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Gregorium, &c. Propterea quatuor facies vni, hoc est, quod S. Thomas Patres hosce exprimat, quinimò plāta pedis vituli (bos enim

enim mutus à suis S. Thomas vocabatur) tanquam incessus mensura, sancta quatuor illa animalia incedere videātur, hoc est, Thoma exponente, intelligātur, & eorum semitę penetrentur. Quare dicere necesse est, vnitatem doctrinæ Augustinianę, & Thomisticę ad vnitatem depositi venandam manuducere, vt maxima eiusdem doctrinæ portio, maxima pars sit depositi traditi, idemque depositum, sed eliquatum, & expressum. Si enim traditio, ad depositum pertinet, traditio ex communi PP. sensu dignoscitur. Cumque communis sensus PP. in ore S. August. & S. Doctoris habeatur, sequitur quod doctrinæ eorum vnitas, & consensio, cū Patrum doctrina, cum ipsissima doctrina Patrum, ad depositum pertineat. Sed & hęc differentia inter S. Thomæ doctrinam, & Patres assignari potest, qualis inter pugnum, & palmam assignatur; quod ille strictior, hæc apertior: vel qualis inter virgas aureas, & monetas publicas, atque currentes: quòd illæ originales sunt, & monetarum materia; istæ commodiores ad cōmercia humana, peculiare autem quid inspicitur in isto numismate Thomistico, quod ijs Christi Domini verbis sit obsignatum. *Benè scripsisti de me Thoma*, pretium & valorem ex Dei extimatione obtinente, & si crepet ille, qui in visionem istam ausus est mussitare.

7 Ex vetustate quoque spectabilis S. Augustini, & S. Thomæ doctrina demonstratur. Quanti vero antiquitas existimāda sit ex Ieremia cap. 6. accipiamus. *State super vias, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis requiem animabus vestris*, vbi Hieronymus. *Interrogandum de semitis antiquis, siuè sempiternis, quæ multorum sunt tritæ vestigiis.*

stigijs.& cap.18.*Oblitus est mei populus meus, frustra libantes, & impia agentes in vijs suis, in semitis seculi, vt ambularent per eas, itinere non trito*. Adeò autem fuit antiquitas veneranda, vt apud Cicer. ex Lactantio lib.2.cap.7.sic dixerit Cotta Lucillo. *Maioribus nostris, etiam nulla ratione reddita, rationis est credere.* Inde ipsa quoque Gentilitas, Dei ęmulo instigante diabolo, vt superstitiones magis foueret (semper enim diabolus diuinarũ rerũ simia, & nostrorum sacramentorum ęmulator) ex Tertull.de pręscript.Plato cum Aristotele (illo in lib.de legibus, isto in Politicis) non esse temerandos ab antiquis positas leges, maximè in Deorum cultu, affirmarunt. Iamblicus in suis mysterijs. *Par est* (dicebat) *in Deorum cultu, ritus veteres tanquam sacros, & optimos semper custodire, eosque intactos, & inuiolatos seruare, ne quid omnino addatur, aut etiam adimatur. Hinc enim factum est, vt numina ipsa, & vota comminuta, & debilitata appareãt*. Si hæc seruabat superstitiosa Gentilitas, quanto rationabilius vera religio in retinenda antiquitate, & explodenda nouitate tenacior? Hinc Apostolica vox profanos deterrebat inclamando 1. Tim. 6. *Prophanas vocum nouitates deuita*. Non enim aliunde hęreses obortæ, nisi quod ad nouas, & absurdas nouitates, & opiniones distrahebant. Quare cum Eudoxius, & Acacius (vt scripsit Nicephorus 9.hist. c. 46.) *hæresim adinuenerunt, res noua tum laudabantur, paulatimque incrementa sua capiebant*, & vt subdit, *eò demum præfracta temeritatis peruenerunt, vt homines veteres, & patrias leges contemnerent, & nouas sibi pro se quisque conderet: ac noua identidem dogmata comminiscebantur, neque se ab alijs, super alias nouis rebus inueniendis con-*

continere poterant.

8 At ridet hęreticus, quòd antiquitatem sectemur, & inueteratas consuetudines, nihil enim (ait) magis Gẽtiles in errore obfirmabat, quòd patris superstitiones, prout ab antiquis acceperant, retinerent. Vnde Chrysostomus hom. 7. in 2. c. ad Corin. p. ait, *Gentiles cum nulla se possunt ratione defendere, Patres, Auos, Proauos in suam adducunt excusationem, propterea quidam scriptorum, secundam naturam, consuetudinem appellarunt. Quę, cum in dogmatibus est, longe firmior efficitur, nam facilius omnia mutare quispiam possit, quam religionem, & consuetudinis reuerentiam.* Sed iam pridem huic obiectioni responsum, quòd non tam antiquitàs, quam Patrum vetustorum, antiquam religionem tradentium, authoritas inspicienda est. Vnde Lactantius lib. 2. ca. 7. *Videamus*, ait, *qui fuerint illi maiores, à quorũ authoritate discedẽdi nefas ducitur. Romulus Vrbem conditurus, pastores, inter quos adoleuerat conuocauit, cumque his numerus condendę vrbis parum idoneus videretur, constituit asylum. Eò passim confugerũt ex finitimis locis pessimi quique, sine vllo conditionis discrimine. Ita conflant ex his omnibus populum, legitque in Senatũ eos, qui ętate anteibant, & Patres appellauit quorum consilio gereret omnia, de quo Senatu Propertius elegiarum scriptor, hęc loquitur.*

Curia pratexto, quę nunc nitet alta, Senatu,
Pellitos habuit rustica corda Patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.
Centum illi in prato sępe senatus erat.

Hi sunt Patres, subdit Lactantius, *quorum decretis eruditi viri deuotissimi seruiebant.* Et pòstea. *Est vero cur illorum authoritas tanti habeatur à posteris, quos nemo*

cum

cum viueret, neque summus, neque infimus affinitate dignos iudicauit. At Patres nostros Apostolos elegit Christus, viros sanctissimos, Spiritu sancto plenos, miraculis coruscos, qui (vt dicit Chrysostomus supra) *Gentilium consuetudinem, adeò antiquam, vetustate confirmatam, mutabant, & cum periculis huiusmodi mutationem aggrediebantur*. Insuper præcepta sensui, & carni repugnantia docebant, sapientes conuertebant, mirabilia operabantur; vt ex his nostra dogmata, credibilia facta sint nimis. Apostolici verò Patres Apostolis succedentes, in eadem consignanda fide antiqua, ab Apostolis accepta, laborarunt, eo charactere hæreticos inurendo, q posterius nascentibus, à prisca Apostolorum, & Apostolicorum doctrina deuiarint. Indè tanto moderniorum doctrina verior, æstimanda est, quātò Apostolorum, & Apostolicorū semitis est conformior. Propterea de casto, & syncero doctore scriptum est. Eccli. 39. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens*.

9 Sed quis solertior Augustino, & Thoma in inuestigandis semitis antiquis? quis docilior in Patrum doctrina sequenda? quis in ipsorum verbis interpretandis acutior? quis in duriusculis, & ambiguis dictis, ad bonum sensum trahendo, modestior? Euoluantur singuli Augustini aduersus hęreses tractatus, præcipuè aduersus Pelagianos, & à sententijs Patrum ne latum vnguem discedere deprehendes, & duriuscula dicta beneuolè exponentem, inspicies. Hinc meritò varijs elogijs cohonestatus, nam à Seuero apud August. ep. 37. *Artificiosa apis*, pręcedentium PP. dicta colligens, appellatur. *Fistula aquæ viuæ, & vena fontis æterni* à Paulino, ad fontes Apostolorum, & Apostolicos tramites

mites

mites suum censum deferens. A Prospero lib. 3. vitæ contemplatiuę c. 3. *acer ingenio, suauis eloquio, secularis litteraturæ peritus, in quotidianis disputationibus clarus, in expositione sua fidei nostræ catholicus*, non suum, sed Patrum sensum tradens: *in quæstionibus dissoluendis acutus, in reuincendis hæreticis circumspectus: & in explicandis scripturis canonicis cautus*. & Hieronym. in epist. ad August. *Catholici, te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur, atque suscipiunt, &c.* Etiam singuli articuli S. D. legātur, & videbis quoque, nunquam S. Thomam Patribus prçire, sed subsequi: non quò vult illos extorquere, sed eorundem dictis intellectum captiuare: non sua cudere, sed accepta illustrare: non eos censoria virgula ferire (vbi etiam quandoque seueriori nota aliquid inurendum esset) sed amicè, & beneuolè excusare: nihil de suo proponere, nisi eorundem authoritatibns posset confirmari. Naturam depositi optimè agnoscebat, nempè illud proponendum, quod Patribus erat creditum, non quod excogitatum: rem non ingenij, sed doctrinæ: nō vsurpationis priuatę, sed publicæ traditionis: rem ad ipsum perductam, non à se prolatam, vt S. Vincentius Lerinensis cap. 27. edocebat. Beseleelis munus exercebat, preciosas diuini dogmatis gemmas fideliter sculpendo, coaptando, adornando sapienter, adijciendo splendorem, gratiam, venustatem. Illud contendendo, vt ipso exponente, non inueniente, illustrius explicaretur, quod ante obscurius credebatur, conando, vt posteritas de re intellecta gratularetur, quam antè vetustas non intellectam venerabatur: quæ didicerat ita docebat, vt cum NOVE diceret, non diceret NOVA, sed quæ à Patribus edoctus erat, ea annunciabat. Hinc

factum est (vt aduertit Caiet. 2. 2. q. 148. a. 4. quòd S. Thomas ex venerandæ antiquitatis reuerentia, illud pręmium reportarit, *vt intellectum omnium Patrum adeptus sit.*

10 Verè illi adaptari potest, quòd in laudem cuiusdam Antistitis scripsit S. Basilius Neocęsariensis Ecclesiæ, videlicet, quòd esset, *Fulcimentum patriæ, Ecclesiarum decus, columna, & firmamentum veritatis, robur eius, quæ in Christum est, fidei, suorum munimentum, aduersarijs inexpugnabilissimus, custos rituum paternorum, inimicus nouandarum rerum studio, ita vt nihil de suo, nihil quod noua alicuius cogitationis inuentum caperet, in medium attulit hic vir, sed iuxta benedictionẽ Moysi, ex ipsis arcani cordis sui, ac bonis thesauris, vetera veterum, & quæ ante faciem iuniorum vetera essent, proferre nouit.* Subdens. *Hac sane ratione* (vide prẹmiũ) *& in ipsis consortium* (quintus enim Doctor Ecclesiæ creatus est) *ac coæqualium consilijs, primo honore potitus est*, inter Scholasticos Princeps habitus, & primus, nõ ætate (vigintiquinque. n. annos natus, Magister est appellatus) *Sed quoniam omnes sapientia vetustate superabat, cum consensu, & condonatione primas obtinuit:* Omnes namque Academię orbis, illum, tanquã Theologorum principem meritò venerantur, & laudant.

11 Ex Vniuersitate, & consensione quoque maximum argumentum pro doctrinę SS. Augustini, & Thomæ veritate, desumitur: nam vt testimonium perhibetur doctrinæ Orthodoxæ, si personarum, & locorum vniuersalitas demonstretur, ita eadem locorum, & personarum vniuersitas orthodoxę fidei per omnia conformem, Augustini, & Angelici Doctoris doctrinam comprobabit. Quantum enim attinet ad Augustinum, Cœlesti-

lestinus Papa, Tantæ scientię, dicit, fuisse Augustinũ *vt inter Magistros optimos, etiam à meis decessoribus haberetur. Benè ergo de eo omnes in commune senserunt, vtpote qui VBIQVE CVNCTIS, & amori fuerit, & honori.* Synodi Carthaginensis PP. (cui Augustinus interfuit) à Prospero 8. respon. ad obiecta Gallorum recensentur, *quorum constitutiones contra inimicos gratiæ Christi, totus mundus amplexus est.* Vnde lib. contra Collatorem ait. *Vnam, cunctorum Sacerdotum manu, sententiam scripsit.* Hinc ex vniuersalitate ista, a Paulino epist. 31. vocatur *Sal terræ*, lucerna, *latè catholicis vrbibus, de septiformi ligno, pastum oleo lætitiæ, lumen effundens.* & Cassiodorus prol. in psalt. Idcirco vocatur *litterarum omnium egregius Magister, eò quod in vbertate cautissimus disputator: decurrit quippe tamquam fons purissimus, nulla fęce pollutus, sed in integritate fidei perseuerans, nescit hæreticis locum dare, vnde sese possint aliqua colluctatione defendere. Totus Catholicus, totus orthodoxus inuenitur. Et in Ecclesia Domini suauissimo nitore resplendens, superni luminis claritate radiat.* Quantum vero ad S. Thom. in eo vniuersitatẽ quoque deprehendes. Si enim ad religionem nostri S. P. Dominici oculos conuertas (quæ per totum orbẽ diffunditur) in constitutionibus eiusdem Ordinis d. 2. cap. 14. expressè statuitur, ne vllus Fratrum Prædicatorum, audeat discedere à doctrina S. Doctoris. Et in Cap. generali Bononiensi 1564. statutum fuit, quod *quicumque à solida doctrina D. Th. recesserit, & verbo, vel scripto contrarium dixerit, officio lectoratus, & quocunque alio gradu, & dignitate in perpetuum priuatus sit.* In Constitutionibns Illustrissimæ Societatis Iesu p. 4. cap. 14. S. 1. sic dicitur. *Legatur doctrina scholastica*

D.Thomæ,& in Congregatione generali Can.9.*Sequātur nostri DD.in Theologia scholastica,doctrinam Sācti Thomæ;nec deinceps ad cathedram Theol. promoueātur, nisi qui D.Thomæ doctrinæ benè affecti fuerint: ab ea vero alieni,docendi munere repellantur.*Religio Carmelitarum discalceat.2.p.Constit.cap.4.num.6.*Lectores Theologi operam dabunt sacram doctrinā à SS. Patrib. præcipuè à D.Thoma traditam edocere,idemque lectores artium obseruent,sin minus officio lectorum priuentur.* Hoc idem, opere præstiterunt, nam iuxta mentem S. Thomæ cursum artium,maiora meditantes, in lucem omni eruditione confertum euulgarunt, prędicti PP. sapientissimi,& pijssimi. In Cœnobio quoque S.Laurentij Matriti *el regal*,idem, mādato Philippi II.Regis, statutum est.In multis alijs Religionibus,idem legibus cautum.

12 Nulla quoque vniuersitas orbis est, in qua D.Thomas tanquam Magister non audiatur. Numera Orbis Academias,& me vera dicere comprobabis. Hinc ab Vrbano eius nominis V. illa admonitio ad Tholosanos,tanto digna Pontifice,emanauit.*Volumus insuper & tenore præsentiū vobis iniungimus, vt B. Thomæ doctrinam tanquam veridicam,& catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare.*Nullus etiam est, qui se abscondat ab huius lucidissimi syderis illustratione,& calore:in Oratorijs namque orat, in iudicijs iudicat,in Academijs disputat, in Congregationibus consulit,in Concilijs determinat. Præclarum illud Cardinalis Baronij in Rom.Martyrol.ęncomium.*Vix*, ait,*quisquam enarrare sufficeret, quod vir Sāctissimus, atque eruditissimus Theologorum præconijs celebretur, quantumque illius illibata doctrina,à SS.Patribus,in* sacro-

sacrosancto Oecumenico Tridentino Concilio, considentibus, fuerit acclamatus. Orator quidam hæc de S. Thoma in eodem Concilio pronunciauit. *Non potuit D. Thomas Ecclesiasticis interesse Concilijs, morte præuentus. Verum ecce superstes, atque in æternum victurus vobis adest, bona, suæ spiritualis doctrinæ thesauros, hęreditario iure, vobis adlegauit. Nulla proinde Concilia ab eius felici transitu, sine sacro Doctore celebrata sunt. Vt enim de cęteris sileam, quod audiuimus, quod videmus, quod manibus nostris contrectamus, quidni aperta voce ad eius laudem testemur? Vestra Comitia perpendite, ex plurimo eoque honorabili Patrum cœtu, quotusquisq; consultor accedit, qui D. Th. authoritate splendenti gemma, suam sententiam non exornet? At in consultissimo PP. recessu, Doctor hic sententiam suam rogatus frequētissimè censet, ad quem, vt ad Lydium lapidem, si quid ambiguitatis, aut controuersiæ fuerit exortū, cōmunibus votis referendum existimetis, & qui cum sui placiti patronum obtinuerit, incertam iudiciorum aleam non sit aditurus, quin secundum eum sententia ferenda sit.* Dydacus Payua in serm. S. Thomæ dixit. Multoties Concilium generale suspendisse sententiam, cum controuerteretur, an quod statuebat, esset contra S. Thomæ mentem, id quod signanter accedit in sess. 22. nunquam enim decretum fuit, in cœna, Christum Dominum Apostolos consecrasse, quousque de S. Thomę mente constitisset, quæ in controuersiam vocabatur. Quę omnia luculentius, quodam veluti sigillo Pius V. obsignauit, dicens. *Omnipotentis Dei prouidentia factū est, vt Angelici Doctoris vi, & veritate doctrinæ, ex eo tempore, quo cœlestibus ciuibus S. Dom. adscriptus est, multaque deinceps exorta sunt hęreses confusa, & conuicta*

 diffi-

dissiparentur, quod & ante sæpè, & liquidò nuper, in sacris Concilij Tridentini decretis apparuit. Hęc in Bulla, cum inter Doctores Ecc. relatus est.

13 Igitur cum omnes characteres Apostolici depositi in doctrina Sanctorum Augustini, & Thomæ pariter deprehendamus, Antiquitatem, Vniuersitatem, Consensionem; dubitandum non est, ex consanguinitate doctrinæ August. & Angelici nostri, cum Apostolorũ, & Apostolicorum Patrum deposito, nedum illud illustrari, explicari, sed & à furibus quoque, & latronibus mirificè vindicari, vt quibus veluti Cherubim Ecclesiæ tribuitur custodia ligni vitæ, tribuatur pariter depositi defensio. Quod si anseribus Capitolinis laudes decantauit superstitiosa Gentilitas, eò quod vociferãtes, Romanos Penates. i. Capitolinos Deos clamando liberarint, vrbe à Gallis obsessa; speciosa erit laus, & non superstitiosa, quæ dabitur his Sanctis Doctoribus, & cęteris catellis doctrinæ Augustini, atq; Thomisticæ professoribus, quòd semper clamando, & Pastores excitando, depositum lædi ab hostibus passi non sint, & ab incursionibus liberarint, quod & ille agnouit de inuasione securus, sublatis canibus, sublato Thoma. *Tolle*, dicebat impius ille, *tolle Thomam, & ego Ecclesiam dissipabo*.



CAP.

CAPVT XXIV.

Aduersus doctrinam Sanctorum Augustini, & Thomæ, de Apostolico deposito tàm benemeritam, Diabolus etiã num, varias machinas est meditatus.

1 

Bi iam solatium Patres, vbi præsidium genitores inuenient, si filios senserint parricidas? (clamauit Chrysostomus Homil. de Absalone Patrem insequẽte) *aut quando externa apta sunt, si domestica nobis obsistũt? Bestiæ & mutæ pecudes pietatis iura conseruant, & quibus natura denegat rationem, non tamen denegat pietatem? innocentem perimere nefas est, patrem occidere scelus, Prophetam iugulare facinus inauditum, & ante hoc tempus mortalibus cunctis ignotum.* Multo maius certè periculum, in spiritales fidei Patres insurgere, destabilius parricidium PP. de medio tollere, Ecclesiasticos tractatores (qui & Prophetæ quoque vocantur) vt hæretici faciunt, quos qui imitantur sectarij, spinæ vtique sunt, ac tribuli ex radicibus emergentes, qualitatem suæ stirpis indicantes: ex ipso quod sunt, indicant vnde nascantur, spinosamque sabuli fidem ostendunt in germine, quod latitat in radice, ex Cassian. 7. de Incarn. Verbi.

2 Nondum S. Augustinus è viuis excesserat, & aduersus eius doctrinam murmurari, diabolus (vt aggrederetur depositum) procurauit, per discipulos Pelagij, inter quos Messalienses etiam recensentur. Alij quoq; damnata hęresi Pelagiana, Ethnicismi, & Manichęismi, Augustini doctrinam insimulabant. Galliarum quidam presbyteri bellum rursus instaurarunt. Eisdem dedit manus Vincentius quidã, Camillus quoque, ac Theodorus Genuenses presbyteri, nec solum in prædestinationis arcano, sed in gratiæ assertione, eundem Augustinum infamabant. Procedentibus temporibus Ioannes quidam Scotus Erigenista, Pelagianorum suscepit patrocinium: auxiliares copias administrauit Godescalcus, & qui Prędestinati, hęretici, sic vocati. Hæc rebelles filij, aduersus parentem optimum, tàm fidum Ecclesiæ, fidei, & depositi conseruatorem.

3 Quidam vero de gremio Ecclesiæ, aliàs authores nõ ignobiles hęc, de Augustino, axiomata pronũciarunt, quòd doctrina *Augustini plurimos ex fidelibus, ex ÿs, qui in Gallia morabantur, non solum indoctos, sed etiam doctos mirum in modum turbauit, ne dicam, illius occasione salutem eorum fuisse periclitatam.* & quod *sub ea quasi caligine August. ad hoc non attendit, quæ* (subdit) *si semper data, & explanata fuissent* (ea tamen, quæ ab eo nouo authore traduntur) *fortè neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tàm impudenter arbitrÿ nostri libertatem fuissent ausi negare, etsi neque Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, atque ad Pelagianos defecissent.* Sed & alius auctor loquens de formali peccati originalis, dicit, *Verùm opinio August. hoc modo intellecta, Theologis scholasticis iam non probatur, & meritò.*

Ex

Ex ea enim cogimur incedere in sententiam Pelagij. In quibusdam etiam scholis iam Augustinus, iam Thomas ablegabantur, nam cum eorum testimonia, in disputationibus afferebantur, illud responsum reportabatur. *Transeat August. Transeat Thomas.*

4 Sed si vera sunt, dicebat Prosper contra obtrectatores Augustini, *quæ contra Augustinum oblatrant, cur ipsi tam negligentes, ne dicam, tàm impij sunt, vt tam abruptam perniciem non repellant? tum insanis prædicationibus non resistant? nec saltem aliquibus scriptis eum, à quo talis emanat doctrina, conueniunt? magnam enim gloria sua, humano generi consulerent, si Augustinum ab errore reuocauerint.* Iam vero si Augustinus fuit in caligine, licet argumentari cum Tertull. lib. de præscriptionibus cap. 29. *Ergo tamdiu regnauit error, quamdiu hæreses,* dicas etiam, Pelagij, & Semipelagianorum, *non erant. Aliquos Marcionitas [adde Semipelagianos, vel alios Augustini æmulos] liberanda veritas expectabat; Interea perperam euangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, &c. ante Christiani, quàm Christus inuentus, ante hæreses quàm vera doctrina.* Ergo iam Ecclesia de Pelagianis hucusq; triumphum non reportauit, in tot definitionibns Conciliorum, & Summorum Pontificum, quę non nisi ex doctrina Augustini hæreticos debellarunt. Consequens quoque est, ex Prospero cõtra Collatorem, quod *errarint Innocentius Zosimus, Bonifacius: errarint orientales Episcopi: errarint Africana Concilia: errarit B. Petri sedes damnans eos, qui contra Dei adiutorium humanam extulerunt libertatem.* Cum ergo inuictarum constitutionum

num regulis,tanquam Hierocontini muri ad Sacerdotalium tubarum concentum corruerint, non erat, cur rurſus inſtaurarentur.

5 Videant,quòd hoc etiam titulo Pelagiani proſcripti ſunt,quia contra doctrinam Auguſtini fuerunt querulosi,& ſcrupoloſi,ne dum fiunt conſortes obloqnutionis,fiant pariter conſortes damnationis. Hæc autem erat Pelagianorum querela ex Hil.ep.ad Aug. *Fatigatis omnibus nobis* dicebat Hil. *ad id proſecutio eorum,vel potius querela conuertitur,conſentientibus etiam his,qui hanc definitionem improbare non audent,vt dicãt. Quid opus fuit huiuſmodi diſputationis incerto,tot minus intelligentiũ corda turbari? neque enim minus viriliter ſine hac definitione,tot annis,à tot tractatoribus,tot præcedentibus libris,& tuis,& aliorum,tum contra alios,tum maximè contra Pelagianos,Catholicam fidem fuiſſe defenſam.* An non ſimilis poterit videri querela, illius Neoterici,quòd Auguſtini ſententia, vt turbatiua habita eſt,ſua vero,vt quietatiua mentium filiorum Eccleſię? Sed eſto aliqui turbati ſint,aliqui etiam ad Pelagianos defecerint? *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit?* etiam ipſi aduerſarij detractores (ait S. Proſper) *nouerunt non ſolum Romanam,Africanamque Eccleſiam,& per omnes mundi partes, vniuerſos promiſsionis filios,cum doctrina huius viri,ſicut in tota fide, ita in gratia confeſsione congruere,ſed etiam in his locis, in quibus aduerſus eum querimonia concitatur, eſſe propitio Deo plurimos, qui ad perceptionem Euangelicæ, Apoſtolicæque doctrinæ, ſaluberrimis eius diſputationibus imbuuntur, & quotidie in membris corporis Chriſti, in quantum ea ipſe multiplicat, dilatantur.*

6 Sed

6 Sed ò rem deplorandam, quod hęretici huius temporis dicant, Augustinum tenebras dispulisse, & ille de gremio Ecclesiæ eundem S. Doctorem fuisse sub caligine asseueret. Audiamus Philippũ Melancthonẽ in declamatione de S. Augustino. *Ornatus est Augustinus miraculis quibusdam, expulit dęmones, & quosdam sanauit ęgrotos, sed hac sunt longe præstantiora miracula, successus in gubernatione, & hæc iudicij rectitudo, & fidei constantia, quòd vidit Pauli sententiam de lege, de peccato, &c. tanta fuerat caligo, vt nec sermonis genus in sacris literis intelligeretur. Hęc ipsa vocabula, quę sunt pracipua in Ecclesia, quas res propriè significarent, ignorabantur, lex, euangelium, peccatum, gratia, fides, littera, spiritus. Hæ tantæ tenebrę depulsę sunt Augustini opera, qui quidem illos tantas res perspicere, iudicare non potuisset, nisi exercitia peculiaria spiritus non degustasset.* Et infrà. *Debetur etiam ipsi Augustino gratia, qui litteris mandauit veram interpretationem, vt posteritatem admoneret.* Veram tamen, non qualem hęretici extorquent.

7 Certè in materia prædestinationis, & gratiæ, tanta est authoritas Augustini, vt etiam ipsi aduersarij Semipelagiani libros de eo argumento tractantes, cogerentur recipere, excipientes libros quosdam: vnde eos sic Prosper euicit, simulq; authoritatem August. summam esse in hoc negotio, ex Ecclesiæ testificatione demonstrat. *Agnoscant calumniatores, superfluò se obijcere, quòd his libris non speciale, neque distinctum testimonium sit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur. Apostolica enim Sedes, quod à pręcognitis sibi non discrepat, cum pręcognitis probat, & quod iudicio iungit, laude non diuidit. Qui ergo hos proximè*

ximè libros refutant, anterioribus acquiescant, & in ijs, qui pro gratia Christiana prius sunt scripti, consentiant. Sed non faciunt. Sciunt enim omnia Pelagiana sibi esse contraria, & nihil sibi posse competere ad consequentium resolutionem; si confitentur in præcedentibus consistere veritatem, &c.

8 Probata vero tot testimonijs Pontificum, Augustini doctrina, quod nec Pelagiani, saltem aliquibus libris ab ipsis exceptis, pernegabant; si quis iam perfrictę frontis Augustinum impetere auderet, & libros, & authoritatem eius elideret, non tàm Augustinum impeteret, quàm Dei Ecclesiam. Hoc argumento vsus est S. Prosper lib. contra Collatorem, contra quosdã Galliarum Episcopos, qui ipso referente, dicebant. *Gratiã Dei à sanctæ mem. Augustino Episcopo, non rectè esse defensam: librosque eius, contra errorem Pelagianum conditos, immoderatis calumnijs impetere non quiescunt.* Et quod magna sit talis iniurię magnitudo, *quam in vno* nempè *Augustino, cunctis ac præcipue Apostolicæ Sedis Pontificibus intulerunt*, agnoscit; propterea, ait. Inuigilandũ, *vt fallacium calumniatorum hypocrisis detegatur*, quamuis (vt idem dicit) *ab indoctis, & parum cautis excellentioris scientiæ iudicentur, & misero, peruersoque successu, facilem mendacio cõsensum eliciunt, quia reuerentiam sibi præsumptione pepererunt.* Sufficienter ergo concludam cum eodem S. Prospero *demonstratũ est, reprehensores S. August. & vana obijcere, & recta impugnare, & praua defendere, peremptorumque armis intestinum bellum mouentes, diuinis, atque humanis constitutionibus rebellare, quorum tamen, dum adhuc non sunt à fraterna societate diuisi, toleranda magis intentio, quàm desperanda correctio: donec Dominus, per Ecclesiæ*

ecclesiæ principes, & legitimos iudiciorum suorum ministros, hæc quæ per paucorum superbiam, & quorundam imperitiam sunt turbata, componat: nobis Deo adiuuante, sit studium, quieta, modestaque patientia odijs dilectionem reddere, & impiorum vitare conflictus, veritatem non deserere, nec cum falsitate certare. Semperque à Deo petere, vt in omnibus cognitionibus, sermonibus, atque actionibus nostris, ipse teneat primatum, qui dixit se esse principium, &c. Hęc Prosper contra sui temporis Pelagianorum defensores, & Augustini reprehensores.

§. I.

Alia spicula intorsit diabolus contra S. Thomam, sed feliciter, clypeo veritatis, elusa.

9 Bellum quoque rursus contra depositum, alia via adoritur Dei ęmulus, zizaniorum sator, & catholici seminis interclusor, aduersus Sanctum Thomam, Cherubim paradisi, ambidexterum Ecclesię, insurgendo. Excitauit quondam suos emissarios diabolus, Gullielmum de S. Amore cum suis complicibus, vt S. Thomam cum S. Bonauentura è cathedra Parisiensi exturbarent: sed Dei ope, deuictis illis hostibus, authoritate Apostolica, Alex. IV. iterum duo illa mundi lumina restituti, veluti post nubila Phœbus, eandem Academiam illustrarunt.

10 Fractas iterum reassumens vires, per alios atro lapillo, nonnullos Angelici articulos signandos, & vt erroneos censurandos, procurauit. Verum à Stephano Parisiensi Episcopo, eorundem articulorum temeraria, & iniusta damnatio iustissimè, ac sapientissimè reuocata

cata est, & ex contrarietate, Doctoris nostri doctrina magis illustrata, talique elogio Angelicus cohonestatus. *Fuit* (dicebat Antistes ille) *S. Thomas, vniuersalis Ecclesiæ lumen præfulgidum, gemma radians Clericorũ, fons Doctorum, Vniuersitatis nostræ Parisiensis speculum clarissimum, & candelabrum insigne, ac lucens, per quod omnes, qui vera vita, & sancta doctrina vias ingrediũtur, lumen vident, claritate vitæ, fama clara, & scientiæ lucida, velut stella splendida, & matutina refulgens:* ibidemque ab Vniuersitate decretum est, S. Thomam Dei gratia nihil *sensisse, vel scripsisse, quod sanæ fidei, vel moribus esset aduersum.* Extat articulus specialis, in sexto quodlib. F. Ioannis de Neapoli. m.s. S. Thomã ab imposturis illius temporis egregiè vindicantis.

11 Dilatata verò S. Thomæ doctrina, & hæreses insurgentes dissipante, per emissarios suos hæręticos, diabolus ad eam proscindendam rursus anhelauit. Vix monstruosa illa bellua Lutherus Ecclesiam cępit impugnare, & eodem momento doctrinæ Thomisticæ telis F. Ioannes Tzelius Dominicanus noster, feram illam arundineam increpare, & configere cœpit. Sed quid, exulcerata, non effutiuit in Angelicum Doctorem? audiamus belluam sua verba resonantem: *Thomas*, dicebat, *est veræ fidei corruptor, & scripturarum dilacerator, Diuinique verbi peruersus interpres, veræque adulterator Theologiæ: hæresum, atque falsitatum plurimarum inuentor, & qui Christum ad mundi doctrinã, non mundum ad doctrinam Christi trahat.* Et iterum. *Thomas præcipuè sine Patribus, sine canonibus, sine scripturis, sine rationibus plerunque loquitur.* Et ad Syluestrũ Prieratem. *Per omnia fermè scripta sua, nihil aliud facit, quàm disputat, & quod grande est, etiam ea, quæ sunt*

fidei

fidei, in quæstiones vocat, & fidem vocat in Vtrum. Sed virulentiora effudit Vvormatiæ, quod oppidum a suis Cacangelicis Pathmos ęst appellatum. *Thomas Aquinas multa heretica scripsit: quid ad me, quod Bullarum Episcopus eum canonizauit?* & lib. de abroganda Missa priuata, S. Doctorem vocat *asinum, mulum*, & officiũ de Sacramento, non nisi *à summo Dei hoste conflatum*. Alia enumerare non est necesse. Plena sunt huius nebulonis scripta huiusmodi dicterijs, & scommatibus. Suscepit, aduersus Lutherũ, patrocinium pro S. Thoma, imo pro tota Ecclesia Henricus eius noĩs VIII. antequam concupiscentiæ illecebris dementatus, circa fidem naufragaret, aduersus eundem scribens. At quid blattero ille? *Vt redeam ad egregiam Thomistitatem, quæ me damnat, pugnantia scribentem, &c. Qua fide hoc faciat, hinc existimabit bonus lector, quod laruatus Thomista, ne vnum quidem locum profert.* Et iterum. *Viuens Papatus hostis ero: exustus bis hostis ero. Facite porci Thomistę, quod potestis. Lutherum habebitis Vrsum in via, & Lęenam in semita.* Hæc bellua. At quanti his temporibus doctrina Angelici æstimata sit, ipsa decreta Concilij Tridentini, in quo Lutherus cum alijs Symmistis damnatus est, abunde testantur: omnes Academiæ orbis in doctrina eiusdem conspirãtes (vt supra monstratum est) planè confitentur.

12 Reassumpto quoque anhelitu, dissipatis veteribus querelis, rursus diabolus depositum aggreditur, sperãs facillimam aggressionem depositi, si defensionem, perfecto magistro reuelatam, hoc est, doctrinam Thomisticam à Christo Domino approbatam, eneruaret, nam si eius Sancti authoritas infirmaretur, facilis esset via, vt & depositum contemneretur, cum ea doctrina hæ-

hæreſes omnes palam deſtruat, & ſuperſtitiones omnes euincat, etiam laudantibus, vel fatentibus aduerſarijs. Vnde colliſa lancearum fragmenta colligens, rurſus per quendam Anonymum, S. Doctorem ad pugnam expoſtulando, probare niſus eſt (quod non perfecit) nempe nedum in ſcriptis Angelici nęuos & paleas, ſed maniſeſtos errores contineri.

13 Primo ergo erroris arguitur à dicto Anonymo (cui alter ille conniuere videtur) Doctor Angelicus, quod dixerit ſi B. Virgo primigenia labe non eſſet notata, non fore Chriſtum vniuerſalem eius redemptorem, &c. Videant opponentes, ne dum liberam, & voluntariam cenſuram in Sanctum efferunt, in foueam anathematis incurrant dum contra Apoſtolicas ſanctiones Pauli V. Gregorij XV. pręiudicium inferunt opinioni S.D. quam non reprobauit Eccleſia, nec de ea, in eius pręiudicium, agi quicquam voluit, vel tractari: teſtâte quoque Eccleſia, nihil in hoc articulo eſſe deciſum, ſolum opinioni affirmatiuæ ſilentium indicente. Quare nobis ſat eſt, & Angelico Doctori ad probandam fidelitatem noſtram, quod Dominicana religio, vt canis tacet, & latrat, ad imperium Summi Paſtoris. Tacet ad pręſcriptum eius, ob rationabiles cauſas ſupremo fidei cenſori cognitas, latrat aduerſus eorundem decretorum tranſgreſſores. In qua fidelitate, vexillum virtutis fidelitatis, & obedientię erexit. Quod ſi ſilentium erroneum dicant, ab hac loquacitate de errore non excuſantur, vbi laudem in tacendo, & obediendo in modeſtia canis reportat, Eccleſia ſuſpendente, in hac re, iudicium, & rem tacitè conſiderante. Alij quoque ſuum furorem augentes, iterum multa euulgarunt, quę cõtraria an ſint dęcretis dictis, iudicet

iudicet Ecclesia. Quidam etiam (inter cętera) facetè lusit; quòd S. Doctoris sententia propter dicta decreta, cum esset olim ciuis, modo nedum sit relegatus in insulam mentalem, sed etiam deportatus, atque etiam obscuro silentij carceri mãcipatus, propediem fulmine vel capite plectendus. Sed non oportet laborare, aut esse solicitum de huius dicterijs, iam enim est in Indice suspensus.

14 Secundo, quòd Angelicus Doctor humanitatem Christi non esse adorandam adoratione latriæ dixerit. O quanta fuisset impostoris gloria, si aliquem locum adnotare potuisset, vbi id assereret S. Doctor, ne de ingenio ęmulationis descendere probaretur obiectio. Proferunt ergo locũ 3.p.q.25.ar.1.& 2.ad 3. sed qua frõte? cũ in argumẽto, sed cõtra, oppositũ habeatur, ex doctrina quintę Synod. Can. 9.& Ephesin. Can. 8.& 9.29.de verit.a.4.ad 4. 3.sent.d.9. 1.a.2. Fortè illud pro materia obiectionis eos offendit, quod Angelicus dixerit, Christum esse adorandum adoratione latriæ, ratione diuinitatis, & non ratione humanitatis. Sed hoc magis adorationem firmat, quàm euertat, ijs enim verbis significatur, quod humanitas Christi, non sit adoranda absolutè, & per se ipsam, sed propter vnionem hypostaticam. Sed hęreticorum Pelagianorũ characterem assumpsit Anonymus, dum quę non dixit S.Thomas S.Doctori affixit. Sic fecit quondam Iulianus, cui S.Aug. respõdet lib.4.c.8. *Tu autem vir honestus, & verax abstulisti verba, quæ dixi, & dixisti quę finxisti, &c. redde verba mea, & euanescet calumnia tua.* Vere qui talibus mendacijs scatent, & Doctoribus sacris, quæ non somniarũt, imponũt, illud adaptari potest, quod scripsit Hieron. lib. 4. comment. in

Ierem. cap. 23. *Sunt quidam, qui epistolas, vel libellos, & huiusmodi, plenos mẽdaciorum, & fraudulentiæ, atq; periurij in orbem dirigunt, vt aures polluant audientium, & æstimationem simplicium lędant, quod impleatur in eis, quod scriptum est, à Hierusalem egressa est pollutio in omnem terram. Non enim eis sufficit iniquitatem propriam deuorare, & proximos lędere, sed quos semel oderunt per vniuersum orbem infamare conantur, & vbique seminare blasphemias.*

15 Tertio affinem huic de adoratione crucis, aliam struũt calumniam, dicunt enim, quod docet S.D. 3. p. q. 25. a. 3. imagini Crucis deberi adorationem latriæ, expresse reprobari in 7. Synodo act. 7. & loquuntur de adoratione Crucis, etiam vt imago est. Verum mens 7. Synodi, aliàs Nicęnę secundę declarata est à Concil. Trid. sess. 25. vbi definitur, imaginibus Christi Domini, & B. Virginis *debitam venerationem impertiendam*. Quod ergo 7. Synodus reprobat, est adoratio, qua creditur in imagine, inesse aliquid numinis, cum hoc tamen se compatitur, vt absque eiusmodi credulitate, vno, eodemque adorationis motu, feramur in imaginem, & exemplar, quare in act. 4. eiusdem Synodi ex testimonio Basilij dicitur. *Non esse duas adorationes, sed vnam imaginis, & primi exemplaris*. Et postea. *Christiani imagines Christi, & martyrum tenentes, & osculantes, animo videntur nobis Christum ipsum, aut martyres amplecti.* Talibus nęnijs respondere etiam pudet: nam isti etiã obtrectatores, & oblocutores, etsi videantur latrare, mutos appellat Hieronymus 4. in Ierem. *Qui latrare nesciunt, habentes quidem voluntatem, & rabiem mentiendi, sed artem fingendi, & latrandi non habentes.*

16 Quar-

16 Quarto comminiſcitur Anonymus,quod S.Thom. 2.2.q.vlt.ar.2. ad primum dicat,*vota ſimplicia non facere religioſum*, at contrarium definitum eſt à Gregorio XIII.in bulla,quæ incipit, *Aſcendente Domino*,vbi decernitur Religioſos Societatis Ieſu eſſe verè, & propriè Religioſos,qui tamẽ biennio probationis expleto,ſolum emittunt vota ſimplicia. Sed nõ intelligit Anonymus, neque quod loquitur, vel affirmat. Certè ſi votum ſimplex conſideretur ex ſui natura,rectè S.Thom. pronunciauit,ex propria ſimplicis voti natura, atque virtute,non fieri hominem talia vota emittentem,religioſum. Cęterum in ordine ad ſtatutum,vel inſtitutum ab Eccleſia approbatum, poteſt eſſe, & de facto eſt religionis materia, de quo loquitur Gregorius XIII.Sed ſi littera S.Thom. diligenter attendatur, ibi S.D.ponit differentiam inter votũ ſollemne religionis,& votum ſimplex,quo quis ſe obligat ad religionis ingreſſum: quis autem non videt, per eiuſmodi votum ſimplex aliquem non fieri religioſum? fit tamen per profeſſionem,vota ſollemnia emittendo (quod ſolum tempore S.Thom. erat in vſu,) & etiam per vota ſimplicia,per conſtitutionem Eccleſiæ, & iuxta eiuſdem pręſcriptas conditiones (factas poſt tempora S.Thomæ) cui nunquam contradixit. Sed miſceant contradictores veritati mendacium,certè,vt perbellè dixit S.Hieronymus in cap. 12. Oſeæ. *Oleum aquis,& cęteris humẽtibus, & liquentibus rebus, non poteſt copulari,ſemper veritas ſupra eſt,deorſumque mendacium.*

17 Quinto,pergit quoque Anonymus alia ſpicula in S.Thom.intorquere.docet namque, ait, 2.2. q.88.a. 7.ſolemnitatem voti conſiſtere in quadam conſecra-

tione ſpiritu ali,ex Apoſtolica diſciplina, & de iure diuino deſcendente, vnde infert, nec poſſe à Summo Pontifice,ſuper voto ſolemni diſpenſari; cum tamen Bonifacius VIII. extra de voto,& voti redemptione, & Greg. XIII. in Bulla cit.dicant, *ſollemnitatem voti ſola Eccleſiæ constitutione inuentam.* ℞. Non contrariari S.Thomã,Bonif.& Gregor. vota enim antiqua monachalia,ex natura rei, & ab intrinſeco, ſunt de iure diuino. Cęterum (ſicut eſt in voto ſolemni Clericorum, cum ordine ſacro inſigniuntur) ab extrinſeco, ſcilicet à ſtatuto Eccleſię,vota Religionis Clericorum approbata,vim habent:Gloſ.cap.*rurſus,qui cler. vel vouentes.* Sed vbi dixit Angelicus *D*octor,ſollemnitatem voti eſſe de iure diuino,etiam ſi dicat de Apoſtolica traditione deſcendere? Porrò non quicquid ex Apoſtolica traditione deſcendit,eſt de iure diuino,vt annotauimus noſtro primo tom. de pręſcript. cum de traditionibus *A*poſtolicis ageremus, ieiunium enim Quadrageſimæ de Apoſtolorum traditione deſcẽdit,nec ideò eſt de iure diuino.Nec propterea,quia dixit votum ſolemne indiſpenſabile à Summo Pontifice, ſequitur, quod ſit de iure diuino, ſed ſolum(exponunt Thomiſtę aliqui,quod ſtante Monachi ſtatu) non poteſt fieri diſpẽſatio,ſicut nec calix conſecratus, manente integritate,poteſt ad alios vſus deſtinari,iuxta illud, *Quod ſemel conſecratum est Domino, non potest in alios vsus commutari.* Sed demus S. Thom. aſſeruiſſe hæc vota eſſe diuini iuris,non tamen contradicit hęc doctrina S.Thom.doctrinæ Pontificis: venerabilium enim Patrum Societatis Ieſu, ſimplicia vota reſcinduntur, & irritantur,ea namque conditione profitentur, ſi religioni placeat,& quãdiu placeat,nunquam vero diſpẽ-

ſantur.

ſantur.Certè aliud eſt irritatio,aliud diſpenſatio. Adde, quod nec Bonifacio Papę S.Thom. aduerſatur, ſi diſtinguamus in tali voto,ſubſtantiam, & circunſtantias.Subſtantia ſiquidem votorum ſollemnium eſt de iure diuino, ex mente S.Doctoris, modus verò,quod his conditionibus, vel circunſtantijs fiat, ex inſtituto Eccleſię. Exemplum eſt de matrimonio, quod inter legitimas perſonas eſt de iure diuino, tamen quæ ſint habiles, vel inhabiles etiam diſpoſitioni Eccleſię eſt relictum:ita etiã in noſtro propoſito dicas.Vel dicendum,quod ſecundum ſubſtantiam eſt de iure diuino, quantum ad ſollemnitatem cęremonialem, & extrinſecam,eſt de iure Eccleſię.Certè Anonymus eos imitatur, de quibus ſcripſit Lactantius lib.3.cap.24. *Qui cum ſemel aberrauerint, conſtanter in ſtultitia perſeuerant,& vanis vana defendunt: niſi quod eos interdum puto,ioci cauſa,philoſophari,aut prudentes, & ſuos mendacia defendenda ſuſcipere,quaſi vt ingenia ſua in malis rebus exerceant,vel oſtentent.*

18 Sexto. Illud quoque lepidum, quod obijciunt. S. Thomas docet 2.2.q.186.a.3.in corpore cum rerum dominio, incompoſſibile eſſe votum paupertatis. At per eandem Bullam Gregorij XIII. id reuocatum eſt, ait Anonymus. At ſi attentè Bulla legatur,Papa, non de profeſſis ſollemniter,ſed de ijs loquitur, qui ante profeſſionem ſollemnem, in Societate faciunt vota ſimplicia,quod poſſunt habere dominium: cęterum poſt ſollemnem profeſſionem eſſe dominij incapaces. Incapacitas ergo cum rerum dominio,de mente S.D. eſt,quando quis abſolutè,& irreuocabiliter votis ſollemnibus Deo ſe conſecrat, conformiter ad cap. *cum ad monaſterium*, cęterum in votis tribus ſimplicibus

Societatis, poteſt eſſe capacitas dominij in illis religioſis. Quandoquidem (vt explicant nonnulli) fit per ea tranſlatio dominij in ipſam religionem, non abſolutè, & perpetuò, ſed quamdiu, & quomodo eidem placuerit, vt ſupra dictum eſt. Sed rectè ſcripſit Chryſoſtomus hom. 43. in Matth. Quòd *calumniator, non aliter se ipsum prius interficit, quam qui ignem accendit prius concalescit, vt qui duros ſilices manus cedit, ipse, non lapides, vapulat. Qui ad stimulos calcitrat se ipsum ferit.*

19 Septimo. Inter errores quoq; numerat Anonymus, quod Sanctus Thomas docuit, Epiſcopatum non eſſe ſacramentum 4. d. 24. q. 2. in corpore, & ſolut. ad p. cũ contrarium, ait, definitum ſit in Concilio Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. Sed quid ibi definiuit Concilium? ſcilicet, in Eccleſia eſſe *Hierarchiam ex ministris, presbyteris, & Episcopis constitutam*. Amplius *Episcopos eſſe presbyteris superiores*. Quid inde? ergo quia Epiſcopatus diſtinctus ordo non eſt à presbyteratu, Eccleſiaſtica Hierarchia corruet? ſuã ſuper presbyteros Epiſcopi non habebunt authoritatem? Certè quantum attinet ad conficiendam diuinam Euchariſtiam, eadẽ poteſtas, idem character eſt in Epiſcopo, & ſimplici Sacerdote in ordine ad corpus Chriſti verum, idemque Sacramentum Ordinis; in ordine verò ad corpus Chriſti myſticum, & adminiſtrandum Sacramentum Confirmationis, & Ordinationis, habet Epiſcopus ſupra ſimplicem Sacerdotem facultatem, non ita diſtinctam, vt nouus character in cõſecratione Epiſcopi acquiratur, ſed vt prior Sacerdotalis, per nouum modum extẽdatur ad hęc adminiſtranda. Quis eſt iſte Anonymus, vt prę verecundia, ſuum nomen voluit occultare? Quis

tam

tam grandis homunculus, qui vno linguæ rotatu Sole clarius coruscare cõtendit? & Solẽ verũ,mẽdaciorũ, & imposturarum nube contegere? Bene de his Hieronymus in cap.9.Ecclesiast. *Quòd prudentum virorum dicta non capiunt, sed se ad disputationes contrarias præparantes, & initium, & finem loquendi, vanitatem cum multo errore commutant, & cum nihil sciunt, loquuntur plura quàm norunt.*

20 Octauo. Vrget amplius Anonymus, & dicit, quod S.Th.docuit 3.p.q.78.a.1.ad 1.Christũ Dominũ non fuisse vsum in Cœna alijs verbis benedictionis, quàm consecrationis. Hoc autẽ (ait Anonymus) expresse est contra Trid.Concil.doctrinã sess.13.c.1. Sed S.Thom. quod docet, ex Innocentio III. docet, qui sub nomine benedictionis, verba intellexit cõsecrationis, vt nõ alijs verbis benedixerit; alijs consecrarit, sed benedicẽdo consecrarit, & consecrando benedixerit. An fortè putat obijciens, de ratione benedictionis esse, vt verba proferantur? non ergo populus erit benedictus, cũ solo signo crucis ab Episcopo benedici, & signari solet. Nonne Sacerdos etiam ante consectationem hostiam benedicit, absque formula aliqua benedictionis, sed solo signo? id ne imponent Concilio, vt docuerit alijs verbis benedixisse, alijs verbis Christum Dominũ consecrasse? quasi non satis sit ad benedictionẽ, quòd Christus dominus ante consecrationem sine verbis panem potuerit benedicere, sicut cum pueros benedicebat signo crucis, & huiusmodi, vel satis non sit dicere, quòd ipsissima consecratio fuerit benedictio? si hoc durum videtur opponenti, discat à Dialecticis Euãgelistarum verba accipienda cum concomitantia, idest, cum respectu præcedentium verborum, vt sensus sit,

cum dominus Iesus benediceret,frangeret,&c.dixerit, *Accipite,& comedite. Hoc est corpus meum,&c.* vt rectè S:Doctor exponit. Et tunc, nec benedictio à prolatione verborum, nec prolatio à benedictione seiuncta sunt,imo pro eodem vsurpantur à Paulo 1. Cor. 10. cum dicitur. *Calix benedictionis,cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est.* Hoc est ex S.Thoma, *quem nos Sacerdotes consecramus.* Cōsecratio autē verbis Domini perficitur, Hoc est, &c. vnde Ireneus. 5.aduers. Hæres. cap. 2. tractans hunc locum Apostoli dixit. *Quando ergo mixtus calix,& fractus panis percipit verbum Dei,fit Eucharistia sanguinis, & corporis Christi.* Vnde Concilium dicit,quod, *post panis, vinique benedictionem,* idest consecrationem *se suum ipsius corpus illis prabere,ac suum sanguinem disertis, ac perspicuis verbis testatus est.* Nunquam tamen dixit, quod post benedictionem panis,& vini aliam fecerit benedictionem consecrationis. *Sed nolui,* vt dicebat Hieron. 3.in Ruffin.cap.11 *mordere mordentem* S.Thomam, *nec vicem talionis implodere,maluique insaniam excantare furibundi,* & hanc doctrinam, veluti *antitodum venenato pectori infundere;* satis enim furere videtur Anonymus:sed peius quidā cum Anonymo fœderati, qui ausi sunt dicere,etiam Theologos cathechismi Pij V.in quo S.Doctoris prædicta doctrina ponitur, emēdandos: fortè in illis Pium V. & Ecclesiam consequenter dixissent, ni flammas timuissent.

21 Nono.In orbem eundem quoque se voluens nasutulus Anonymus.S.Doctorem sugillat,quod 4.d. 41. q. 1.q.4.ar.3. dixerit,quod quando sponsalia sunt irrita,& nulla,non oriatur impedimentum publicæ honestatis,cuius contrarium per Alex.3.cap. cum ad audien-

dientiam de sponsalib. decisum habeatur. Malè citatur S. Thomas, ait enim, *non sequitur alia affinitas, quia sponsalia nulla sunt, nec aliquis affinitatis modus*, & pro verbo *affinitatis*, Anonymus (plectendus, l. Cornelia de falsis) substituit *impedimentum publica honestatis*, quod longe diuersum est. Sed dixerit S. Tho. quod ei imponit Anonymus, an hæc doctrina esset falsa? Vereor ne Anonymus Synodo Tridentinæ contradicere velit, vbi sic dicitur sess. 24. de reformat. cap. 3. *Iustitia publicæ honestatis impedimentum, vbi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, S. Synodus prorsus tollit.* Nec Alexandro III. S. Thomas, vel Synodus contradicunt, non enim Alexander prohibet fieri matrimonium ex ea ratione, quia sponsalia (de quibus eo capite sermo est) nulla fuerunt (illud siquidem impedimentum à contrahentibus, & alijs multis nesciebatur) sed ex scandalo, quod suboriri poterat, si vni fratri promissa mulier, alteri matrimonio iungenda traderetur, quod à populo reliquo cognoscebatur. Idem quoque Alex. de desponsl. impuberum. *cap. accessit*, docet sponsalia nulla, ex defectu consensus, non creare publicæ honestatis iustitiam, aliqua tamen spõsalia sic, & si ea legitimè postea dissoluta: quã doctrinam docet S. Thom. loco cit. q. 3. ad primum. Sed non opus est ad confutandum Anonymum alia meditari: nam rectè scripsit Chrysostomus hom. 25. ex varijs. *Sicut ignis quanto magis ligna susceperit, in maiorem flammam erigitur: sic animus malus quanto magis veritatem audierit, tantò amplius in malitiam excitatur.*

22 Decimo. Pergũt Anony. & alij S. Doctorẽ sugillare, nec enim sistit malitia. nam quemadmodum ex Chrysost. loc. cit. *Si aliquis claudere voluerit aquæ meatum, si ex*

si ex vna parte clausa fuerit aqua violentia, aliunde sibi semitam rumpit, sic & malignitas ex vna parte cõfusa, alium sibi aditum adinuenit. Dicunt ergo, quod S. Doctor 2.2.q.64.a.7.ad 3. dicat, clericum se defendentem, & sine peccato alium occidentem irregularitatem incurrere, cum contrariũ statutũ sit in Clementina. O bellam oppositionẽ. Ergo ne S. Thom. debebat contradicere Nicolao Pontifici, qui illum Canonem statuerat, & nondum reuocatus, in viridi erat obseruãtia, S. Thomæ ætate? sed si canon ille Pontificis reuocatus est, doctrina S. Thomæ in hoc quoque reuocanda erat, quę vt in obseruantia Canonis persistebat, in abrogatione vim non habet. Dicant nobis isti belli homines Nicolaum errasse, quia Clemẽs aliud statuit. Nisi dicere velint pro loco, & tempore non esse leges reuocandas, atque mutandas, quod esset ne dum Politiam, sed Ecclesiasticam Hierarchiam inuertere, imo & Sacramenta subuertere, illico enim assurgent Manichęi causantes veterum Sacramentorum abolitionẽ, nouorum institutionem. Nouatores mox calamum in Pontificũ constitutiones stringent, quod posteriores editæ sint Constitutiones, quantum attinet ad regimẽ Ecclesiæ, quæ priores immutabant, vel moderabant, vel etiam annullabant. Quod si ita sentiant, dicamus Anonymo, & complicibus, eique annuentibus, vel cõniuentibus, vt vnica veste, tam in hyeme, quam in æstate sint contenti, eadem pręcepta disciplinæ seruent, nunc senes quæ seruarunt & pueri. Præclarè scripsit S. Aug. ep. 5. ad Marcell. quod *mutato precepto,* Deus, nõ *mutat instructionem, nam magnus ille nostrorum temperum medicus Vindicianus, consultus à quodam, dolori* cuiusdam *adhiberi iussit, quod in tempore congruere videbatur*

debatur; adbibitum sanitas cõsecuta est. Deinde post aliquot annos, eadem corporis causa commotus, hoc idem ille putauit adhibendum, adhibitum vertit in peius. Miratus currit ad medicum, indicat factum, & ille vt erat acerrimus, ita respondit. Ideo malè acceptus es, quia ergo non iussi, vt omnes, qui audissent, parumque hominem nossent, non eum arti medicinali fidere, sed nescio qua illicita potẽtia putarunt. Vnde cum esset à quibus poterat stupẽtibus interrogatus, aperuit, quod non intellexerant, videlicet illi ætati, iam non hoc se fuisse iussurum. Tantum igitur valet (subdit Augustinus) ratione, atque artibus non mutatis, quid secundum eas, sit pro temporum varietate mutandum. Sanandus ergo Anonymus ad Vindicianum mittendus est, cuius si consilium & responsum respuat, helleboro etiam purgandus.

23 Tandem S.Thom. arguunt, quod 1.2.q.102.a.4. ad 6. scripserit propitiatorium esse tabulam lapideam, cũ Exod.25.& 27. dicatur fuisse ex auro purissimo. At S. Thom. in hac re lapsum non fuisse, sunt euidentissima argumenta. Primo, quia in tabula operum S. Doct. vbi referunt verba S.Tho. hęc dicuntur. *Erat autem tabula super alas Cherubim.* vbi non est particula additìtia *lapidea*. Magister Medina loco cit. p.2. quęst.103. initio in m. s. Codice antiquo Salmantino solum ea verba haberi affirmat. *Erat autem tabula.* In vetustis Vaticanis. *Et super arcam erat quædam tabula, quæ dicebatur propitiatorium* (iuxta quæ exemplaria operum D. Thomæ à Pio V. correctio facta est) In Coloniens. m.s. dicitur. *Et super arcam erat quædam tabula aurea.* Ipseque S.Thom. in cap.9. epistolę ad Hebręos lect.p. explicans eundem locum Exod.25. ait, *Inter autẽ alas,* nempè Cherubim, *quibus tangebant se, erat tabula*

aurea

aurea. Errore ergo librariorum, vel sciolorum, illud verbum, *lapidea*, adiunctum est. *D*abit ergo ne Anonymus maius priuilegium scriptis S. Thom. quam habuerint *D*iuina oracula scripturarũ, & tamen mẽda huiusmodi passa sunt adscititia, vt emaculatione opus fuerit, & expunctione. *D*emus necesse est in 70. interpretibus errata reperta (vt dicit Hierony. in cap. 5. Ezech.) & quod *per multa secula scriptorum, atque lectorum vitio illa editio deprauata est*; & rectè Hieronymum in emaculatione insudasse, nouã versionem faciẽdo. Vtinam Censor, & cribator doctrinæ Thomisticæ, sicut (teste Medina) à Burgense hanc obiectionem furatus est, reuerentiam Burgẽsis esset imitatus, qui ex Iudęo factus est Christianus, S. Thomæ doctrinam legendo 1.2.q. 102. & 103. & fatendo, quod nunquã Moysaicæ legis naturam intellexit, quousque ex S. Thom. didicerit: timeat si malo animo Doct. S. impugnauit censor, ne in noua lege cęcutiat, & in Iudaismum declinet, in superbię pœnam, & redeat in naturam suę formæ. Iam verò aduersarij si non habent solidiora, quæ proferãt, vt suis obtrectatoribus dicebat Hieron. in c. 11. Oseæ. *Desinant rugare frontem, adducere supercilium, crispare nares, digitis concrepare*. In hoc solum (vt idem dicebat in cap. 4. Ionæ. de quibusdam impostoribus idẽ Sanctus.) *Timendi Grammatici, ne inueniant licentia cõmentãdi, vt vel bestia Indicæ, vel Beotiæ, aut istiusmodi portenta confingant*, cum talia monstra in S. Tho. scriptis, ab ipsis nouiter detecta, euulgent, atque de suo cerebro confingant.

24 *Talibus* ergo *ne es* Anonyme *institutus disciplinis* (dicam cum S. Hieronymo 3. contra Ruff.) *vt cui respondere non potueris*, nempe doctrinæ S. Thomæ, *caput* aufe-

auferas,& linguam,quæ tacere non potest feces? nec magnopere glorieris, si facias,quod scorpiones, possunt facere,& Cantharides. Fecerunt. hoc Fuluia in Ciceronẽ, & Herodias in Ioannem, quia veritatem non potuit audire,& linguam veriloquam discriminali acu confoderunt. CANES LATRANT pro dominis suis, & tu non vis me, Thomam, *latrare pro Christo?* Et postea.*Ista machina* (dicebat Hieronymus Ruffino, dicam ego Anonymo) *Hæreticorum, idest magistrorum tuorum sunt, vt conuicti de perfidia,ad maledicta se conferant.* Verendum,& suspicandum,dum Anonymus suum nomen occultat,& Sanctis Ecclesię insultat, ne de grege sit hęreticorum, & pertineat ad castra rebellium.Quod si ita est,iam hęreticus,ait Hierony.3. in Hierem. *Qui mutus latrat*, designatur *per Alpinum canem grandem,corpulentum,& qui calcibus magis potest sęuire,quam dentibus,habet enim progeniem Scoticæ gentis,de Brittanorum vicinia,qui iuxta fabulas Poetarũ, instar Cerberi spiritali percutiendus claua,vt æterno,cũ suo Plutone, silentio conquiescat.* Multa ex dictis,& alia, ab alijs citatis ab authore Elucidarij lib.5.cap.3.obijciuntur,quibus hac vrbana excusatione, & solutione putauit occurrere:dicens.*Nolo decernere an vniuersæ propositiones,quas huius 3. solutionis DD.adducunt,mereantur censuram,& quæ tandem illa esse debeat*. Sed hęc maior censura, quòd si non omnes propositiones S. D. dicat Elucidista, se decernere, an mereantur censuram,aliquas saltem indicat,se censore, dignas esse censura,qui tamen meruit censurari,& interdici,Sãcti Thomæ doctrina illibata permanente. Vanus quoq; augur deprehẽditur tenebrio, dum eclypsim passurum pronunciat,micans sydus Ecclesiæ,hoc est, quædam

pro-

pronunciata S. Doctoris à Christiana doctrina eliminanda fore, cum visiones sui cordis loquatur, & somnia somniet. En Nouus *Tolumnius augur* fortè dum elucidista hæc dictabat,

Ipse suas artes, sua munera lętus Apollo
Augurium, cytharamque dabat, celeresque sagittas
Ille, vt depositi proferret fata parentis.&c. Aen. 12.

Quantò modestius idem cum Anonymo supradicto, censurę S. Thom. normam imitatus esset, in duriusculis PP. sententijs recensendis, certè in censuram non esset vocatus. Si non aduertit, discat, & de S. Thoma pronunciet, quod Thomas de Nazianz. scripsit 1. p. q. 61. ar. 3. eam namque sententiam, dicentem Angelos fuisse creatos ante mundum corporeum, non ausus est S. D. *erroneam* vocare, *pręcipuè*, ait, *propter sententiam Gregorij Nazianz. cuius tanta est in doctrina Christiana authoritas, vt nullus vnquam eius dictis calumniam inferre præsumpserit, sicut nec Athanasij documentis*, vt Hieronym. dicit. Hæc S. Thom. Sed si isto exemplo instrui non patiatur, audiat Hilar. 7. de Trinit. *Proficit autem semper contradictio stultorum ad iustitiæ demonstrationem, quia quæ ingenio insipientur, aut peruersæ intelligentiæ aduersus veritatem coaptantis, dum inconcussa, & immobilis est, necesse est, vt quæ è diuerso sunt, & falsa intelligantur, & stulta.*



CAP.

CAPVT VLTIMVM.

Meritò à viris Catholicis diaboli nouæ artes, aliaq; sophismata detecta, præsertim à florentissimis Vniuersitatibus Louaniensi, Duacensi, & ab insigni Salmanticensi Academia, quæ in verba, tàm insignium orbis Magistrorum, Sancti Augustini, & S. Thomæ, pro sacri depositi custodia, iurasse gloriatur.



1 Ed ne quis honesto sapientiæ nomine inductus, vel inanis eloquẽtiæ splendore deceptus nouellis potius crederet adinuentionibus, quàm antiquæ vetustati; plusuè recentibus se traderet Magistris imbuẽdum, quàm Theologię Ducibus, & antesignanis Augustino, & Thomæ, sacrati depositi fidissimis custodibus; doctissimi viri stratagemmata varia detexerunt, & machinas, ad authoritatis arcem tantorum Magistrorum euertendam fabrefactas, omnesq; rationes, quas argutula nouitas meditata erat pro nouis paraturis inducendis, velut vitreas acies confregerunt.

2 Id egregiè pręstiterunt florentissimarum Academiarum

rum Louanienſis,Duacenſis, & nuper Salmanticenſis DD. in ſolidiſſima Patrum doctrina fundati, in Auguſtini,& Thomæ ſapientia verſati,in catholicis dogmatibus inſtructi,in depoſito Apoſtolico inſpiciendo aſſidui, in ſcholaſtica palęſtra exercitati : in diſputando acuti,in inuenienda veritate ſolertes, in propoſitionū qualificatione æqui cenſores,qui videntes in Auguſtinum,& Thomam tela contorqueri, murum ſe oppoſuerunt pro decore domus Dei,& depoſiti ſacri conſeruatione:omnes neruos intēderūt, ne proſtratis veteranis ducibus, noui, recentesque ſubſtinuerentur Scholaſticorum doctores, ad eorum defenſionem occurrerunt, non patientes de eorum gradu, & ordine, iam tot luſtris legitimè præſcripto, vel tantillum deturbari.

3 Agnoſcebant Eccleſię Catholicæ murum firmiſſimum,& antemurale eſſe doctrinam Auguſtinianam, atque Thomiſticam,propterea acclamarunt. *Si murus eſt, ædificemus ſuper eam propugnacula argentea*,vel vt Pagninus legit,*Palatium argenteum*,ſuam vniuerſitatem veluti palatium ſuper hęc ſolidiſſima mœnia conſtructam cupientes;ſatis, ſuperque intelligentes, ſacrū palatium,& vniuerſalem Eccleſiam ſuperędificatam ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, & Apoſtolicorum Patrum doctrinæ inniti, quorum interpretes, & quinta eſſentia Auguſtinus cum Thoma,mundo,& Eccleſia applaudente meritò exiſtimantur,quibus etiam ſeorſim illud adaptari poteſt.

In te omnis domus inclinata recumbit.

Oſtium quoque agnoſcebant,per quod introire debebant modeſti Eccleſiæ filij,& non irrupto muro,tanquam fures,& latrones ſupergredi; propterea tabulis cedri-

cedrinis compactum curabant, fidiſſimorum interpretum Aug. & Thomæ lucubrationibus, nedum ad oſtij munitionem, ſed ad bonæ doctrinæ odorem diffundẽdum, vt Chriſti eſſemus bonus odor *in* omni loco. Quare illud Cant. vltimo occinerunt. *Si oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis*. Agnoſcebant pariter Auguſtinum, & Thomam eſſe collum Eccleſiæ, & veluti turrim Dauid ædificatam *cum propugnaculis*, vel vt legit Pagninus *ad docendum tranſeuntes*, vnde mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium: propterea omnem operam nauarũt, vt munitiones extruerentur, ne à Iebuſæis arx Sion, imò Ciuitas *Dei* à præſumptuoſis ſcilicet ingenijs obſideretur; & diſciplinam militarem imitantes, pro ſecuritate turrium, & mœniorum, aggeres, & propugnacula fabricarũt, hoc eſt, conſtantem voluntatem ſectandi horum Sanctorum doctrinam, iuramentum de non diſcedendo ab eorundẽ doctrina, & intelligentia, per fidos eorundem interpretes explorata: videbant enim facillimè mœnia ab hoſtibus occupari poſſe his præſidijs deſtituta: in turrim quoque arietari non difficilè, idcircò propugnacula extruxerunt, & antemurale, vt qui iam armamenta, & alias machinas parabant aduerſus proceres Eccleſiæ (ij ſcilicet, qui contradicendi ſtudio inſaniunt, vt ſua quoq; falſa defendant) ab impugnatione deſiſterent, & conuerterent gladios in vomeres ad doctrinarum antiquarum volumina aranda, & ſulcandã, & lanceas in falces, à maioribus cœleſtis diſciplinæ prius ſatam, frugem demetendo, & in horrea dominica congregando, vnde poſtea fidelibus populis diuina cibaria, populorum præceptores fideliter miniſtrarent.

4 Perbellè in hac propugnaculorum ſtructura iura-

mento, vallata adaptari poteſt ſuo modo, & ex parte, quod ſcriptum ab Eſaia cap 19. poſtmodum impletũ eſt. *In die illa erunt quinque ciuitates in terra Aegypti loquentes lingua Chanaam, & iurantes per dominum exercituum: ciuitas Solis vocabitur vna.* Qui locus ad Gentilitatem multiplici ſectarum varietate loquentẽ, deinde lingua ſanctę vnitatis, & religionis, vnicam, & veram religionem profitentem, non amplius per Deos falſos, ſed per Deum verum iurantem, ab interpretibus refertur. Inter alias autem ciuitates Chriſtianam fidẽ amplectẽtes Heliopolis, Ciuitas Solis dicta, ſpecialiter recenſetur, nam in ea Vniuerſitas erat, ab oraculo Apollinis, qui & Sol, principatum ſuper alias obtinẽs, ex multiplici varietate ſectarum, quæ ad eam confluebant. Vna porrò dicta eſt, quando à vero Sole illuminata vnitatem religionis profeſſa eſt, vna quoque appellata, quia tantò mirabilius fuit diſcordantes ſectas inter ſe copulare, quanto difficilius erat gratiæ diſcipulum, cum negotiatore famæ, verborum nundinatorem, & factorum operatorem, ſeculi ſapientem cum ſimplici Chriſtiano, eieratis erroribus, adglutinare. Vna tandem, quia vni Eccleſiæ incorporata, eiuſdem vnitatis vinculo colligatur. Vna ergo ex oraculo prophetico Eccleſia deſcribitur, vna lingua loquens in toto orbe ex vnitate, & conſenſione, vniuerſitate, & antiquitate doctrinæ Catholicæ: iurans in profeſſione fidei, per Deum cœli, eandem illibatam ſeruaturam vſque ad extremum vitæ halitum. Verè Ciuitas Solis, quia in ea fixit tentorium ſuum, illam illuminans à montibus æternis, ſplendoribus veritatis, & ſanctitatis.

5 Pro hac fidei Eccleſiaſticæ vnitate zelans noua

Helio-

Heliopolis scilicet Academia Salmāticensis, verè Ciuitas Solis, ad quam nedum ex Hispaniarum Regnis, sed ex vniuersis mundi oris consugiunt, consultationes, oracula, & responsiones Solis, videlicet doctrinæ Augustinianæ, & Thomisticæ expectantes, per Deum cœli iurauit pro hac doctrina sequenda; rata securius depositum sacrum custodiri, & firmiorem cęterarum Vrbium Hispaniarum vnitatem fore, si in Ciuitate Solis, vnde Reges, Principes, populi decisiones accipiunt, vnitas maximè iuramento firmata, seruaretur.

6 Huius autem vnitatis vincula tanta moderatione, religione, prudentia, ab his sapientissimis viris nexa, & propugnacula, friuolis, & apparentibus rationibus dissoluere, vel euertere, non aliò tendit, quam Ciuitatem Solis obsidere, & post hanc, alias in discrimen adducere. Obsederat quondam Ioab Ciuitatem Abela, in qua Vniuersitas, & Academia insignis Israel magnam ex sapientia sibi autoritatem compararat. Sed quibus armis ab obsidione liberata? non alijs, quam Academiæ illius elogio, à muliere quadam sapiente his verbis promulgato. 2. Reg. cap. 20. Sermo, inquit, dicebatur in veteri Prouerbio. *Qui interrogat, interroget in Abela: & sic proficiebat. Nonne ego sum, quæ respondeo veritatem in Israel, & tu quæris subuertere Ciuitatem, & euertere matrem in Israel?* Obsident etiam num aliqui Salmanticensem Academiam, eandemque impugnant, quod iuramenti propugnacula fabricarit, noui operis nunciationem significant, contra eam, vt factum est contra Abela, obsidionem obiectionum ordinarunt. Verum ad eandem propulsandā, sufficeret Academiæ solius authoritas, hostilibus oculis repręsentata. Quis enim vnquam interrogauit de

aliqua difficultate, nisi Abela consuleret? Quis in religionis materia, Politiæ gubernatione, morum informatione, conscientię directione, tam syncerè, & castè veritatem respondit Hispaniarum Regnis, imò & toti Orbi, nisi Academia Salmanticensis responsa à Sole, Ciuitas Solis accipiens? Quid ergo quęrunt subuertere Ciuitatem, & euertere matrem in Israel, contendo illicitè quodlibet opinandi sibi licentiam permissã auferri, nec arctari debere, etiam si Principes Theologiæ sint August. & Thomas, vt in eorum verba iuretur? Cur in matrem insurgunt, in cuius vberibus alimenta purę doctrinę horum Sanctorum suxerunt Quis tyronum huius matris lac non degustauit? Quis Magistrorum, Laureatorum, & Iubilatorum, in huius matris sinu non est educatus? certè quotquot Theologię, & reliquarum facultatum sunt professores, non aliunde, quam ex his fluentis, copiosè ingenij sui areolas rigauerunt, vt illud in ambobus impleatur. *Rigans montes de superioribus tuis, de fructu operum tuorum satiabitur terra:* & modo quęritur, vel canales, & fontes istos obstruere, vel frangere cum Holoferne, vel repurgatos, horum labore Sãctorum, puteos, cum Allophylis, exhaustis ijsmet purgamentis opplere, vel ad propria curiositatis fouendę (tanta est titillatio nouitatis, & ambitio principatus) fontes inuertere, imo peruertere, & limpidissimæ aquæ fluenti cœnum admiscere, hoc est, quæ simplex veritas absque fuco edocebat, humana scrupulositate mutare, incertum admiscentes in eo, quod certum inuenerant, vt periculũ sit, vt in Philosophicis vetus Academia, & aliorum aberrãtium placita introducantur, in Theologicis quoque intestina bella inducantur, quæ tandem in Theomachiam

de-

desiſcant,indeque nedum ad Academię,& matris ſubuerſionem,ſed ad inuaſionem regnorum,& Ciuitatis Dei, ſubminiſtratis arietibus, viam ſternant, propugnaculis ſublatis,& rupto defenſionis muro.

7 Sed ne ſapientiſſimi viri leuitate ducti, vel temeritate,aut pro ſola voluntate,hos Principes,velut ouiũ arietes,quos ſequerentur, adlegiſſe exiſtimentur, & inaniter propugnacula ſtruxiſſe denotentur, firmiſſimas,ipſis quoque edocentibus, accipe lector rationes.

§. 1.

Prima ratio,cur SS.Auguſt.& Thomæ doctrinæ, nobiliſſima Salmantic.ingenia ſe alligarint.

8 PRima ergo ratio generalis eſt,ex cęterarum quoque facultatum vſu, & praxi. Nulla ſiquidem,& ſi exigua,facultas eſt, quæ ſuum,quem ſequatur Principem,& Ducem non habeat,ad cuius amuſſim eiuſdẽ placita facultatis dirigenda non deferat:ſic Rhetorica apud Gręcos Demoſthenem, apud Latinos Ciceronẽ, Philoſophia Ariſtotelem,Medicina Galenum,&c.Principes agnoſcũt. Quid? quidam Socratis diſcipuli,adeo illius doctrinæ fuerunt addicti, vt referente Apuleio lib.10.nedum,vt ait, *Sanctiſſimam eius ſectam peroptarint, ſed ſummo beatitudinis ſtudio, in eius verba iurarint*. Vnaquęque dixit Auguſt.ad Honorat.cap.17. *Diſciplina, quamquam vilis, & facilis,vt percipi poſſit Doctorem,aut Magiſtrum requirit*. Et iterum cap.7. *Nulla poetica imbutus diſciplina,Terentium ſine Magiſtro attingere non auderes: Aſper, Cornutus,Donatus, & alij requiruntur,vt quilibet Poeta poſſit intelligi: tu*

in sanctos libros irruis, & de ipsis, sine praeceptore audes ferre sententiam? Si hoc meruerunt infimæ facultates, vt magni nominis viri, quos vnaquæque ætas idoneos iudicabat, principes essent in Vniuersitatibus; non merebitur Ciuitas Solis, vt pro principibus habeat Augustinum, & Thomam, quos Vrbs, & orbis tot elogijs venerantur, & vt Doctores populorum, imo & interpretes cœlestium dogmatum suscipiunt, atque suspiciunt? Indignum certè est, vt opponentes, qui Aristotelem adeo sequuntur, vt nefas putent, vel in minimis eius authoritatẽ eludere, ipsius Aristotelis ne dum vocem, sed mentem, fidumque Peripateticæ doctrinæ interpretem, & Hyperaspistem Aquinatem repellant.

9 Peripatetica disciplina euagabatur quondam, ceù Agar ancilla, eiecta à Domina sua, Theologica scilicet facultate, per huius seculi desertum; à priscis namque DD. Ireneo, Clemente Alex. & alijs, in multis, Aristoteles contra fidem sensisse, & contra Dominam insurrexisse putabatur, vnde magis Platonicis, quam Peripateticis dogmatibus imbutos priscos Patres reperies. Inuenit eam vagantem Angelus, Thomas videlicet Angelicus, eidemque tale consilium ministrauit. *Reuertere ad dominam tuam, & humilia te sub manibus eius, & multiplicando multiplicabo semen tuum.* Humiliauit se ancilla dominæ suę, captiuans intellectum in obsequium Christi; vnde nedũ Angelici Doctoris consilio, sed, & illius ope, vides nunc Aristotelem potius Christianum, quam Philosophum Ethnicum aduersus hęreticorum versutias detegendas, & dogmata sacri depositi explicãda, mirabiliter fidei Catholicę, & Sac. Theologię deseruientem, quod etiam agnoscens, furẽs

illa

illa bellua, Lutherus ſcripſit lib.contra Latomum. *Thomas eſt author regnantis Ariſtotelis,&c.* Inde magis Ariſtotelicum ſemen multiplicatum cernis Sancti Thomę laboribus,& iam non Platonicam, ſed Peripateticam,vbiq; gentiũ florere diſciplinam,nullumque eſſe, S.Thoma interprete, qui iam audeat Ariſtoteli refragari.Solus ille, qui ad matripaternitatem defendendendam lib.2.elucid.tract.5.cap. 6. cuius initium eſt, *Quanta ſit authoritas Ariſtotelis, regnantis nunc in ſcholis,* Ariſtotelem ablegat,& inuiſum reddit. Si ergo hoc meruit contumax, ſed reconciliata ancilla, quid nõ promerebitur Angelus conſilians,adiuuans, & exponens? certè magis recipiendæ angelicæ conceptiones,quando Ariſtoteles fidem,Angelici Doctoris ſenſibus,ſibi promeruit.Et ſi reformatus, & reſtitutus in tam ſublimi arce authoritatis in Academijs Philoſophorum conſtituitur, quid reſtituens, & Reformator Thomas non promerebit?

10 Illud quoque commodum ex determinatione Ducis, & Magiſtri in vnaquaque facultate reportatur, quod philautiæ morbus præciditur, quo vnuſquiſque cupit ſe regulam conſtituere veritatis:inconſtantia doctrinę tollitur,fluctuatio animorum ſedatur, facillimè diſciplina percipitur,ab vno ſiquidem Pręceptore explicata principia melius intelliguntur,hiſque annexæ concluſiones lucidius deducuntur;cum verò à diuerſis etiam diuerſa proponuntur, nec cauſas rerum, nec conſequentias penetrant tyrones,ſed rudis, indigeſtaque moles abſque mente in animis eorum inſpicitur,& alias poſt alias non ſibi cohęrentes,ſed potius diſſidentes conceptiones efformantes,nec progreſſum, nec originem inueniunt veritatis.Pręclarè ſcripſit Se-

neca epist.43.loquens de determinati Magistri disciplina,& lectione. *Lectio certa prodest,delectat : qui quò destinauerit peruenire vult,vnam viam sequatur, non per multa vagetur,non ire istud errare est*. Et iterum ep.1. *Vitam in peregrinatione agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, amicitias nullas. Idem accidit his,qui nullius ingenio se familiariter explicãt,sed omnia cursim,& properanter transeunt. Non prodest cibus, qui statim sumptus emittitur. Nihil ita sanitatem impedit,sicut remediorum crebra mutatio, non conualescit planta,quæ sæpe transfertur: nihil ita vtile est,quod in transitu prosit. Sed modo hunc librum euoluere volo, modo illum, fastidientis stomachi est multa degustare, quæ vbi varia sunt,& diuersa,inquinant,non alunt*.Hi effectus ex mutatione lectionum, & docentium Magistrorum. Sed & Hugo de S.Victore 3.Didascal.quęrens. *Quid est,quod ex tanta turba discentium, quorũ multi, & ingenio pollent,& exercitatione vigent, tam pauci inueniantur, quibus ad scientiam peruenire contingat?* Respondet his verbis. *Sciendum est,quod in quolibet negotio duo sunt necessaria, opus videlicet, & ratio operis,quæ ita sibi annexa sunt; vt alterum sine altero,aut inutile sit, aut minus efficax. Sic nimirum in omni studio, qui sine ordine, & discretiore operatur, laborat quidem,sed non proficit,& quasi aerem verberans vires in ventum fundit*. Certè sine ordine, & discretione laboratur, quando Magistri sunt indeterminati, cum diuersa à diuersis etiam diuersè traduntur, vel sine ordine, & methodo, absque subsequentium cum præcedentibus cohęrentia edocentur tyrones,ex multiplicatione inutilium quæstionum fatigati,ex opinionum etiam fictarum (fingunt enim interdum hostem

qui-

quidam magiſtelli,(quem vulnerent) relatione hebetati, ex irreſolutione dubiorum perplexi, vt in triuio ſectandarum ſententiarum relicti, neſciant quam eligant viam, vt ad terminum perueniant. Vnde merito quidam Iuriſconſultus ſcripſit, Corat. tract. de elect. opin.tit.auth.DD.nu.12.quod *Antiqui non ſolum ſunt eximiæ authoritatis, propter effectum temporis decurſi, ſed etiam, quia verè doctiſſimi erant, nam vſi ſunt bonis libris, cum tantummodo viderent textus, vel gloſſas, vel textum ſolum, & ſic omnia in fonte. Hodie vero cum ſit tanta librorum copia, vt labori parcatur, datur opera libris facillimis, in quorum lectura nihil addiſcitur.* Quid? hodie nec libris impreſſis grauiorum authorũ ſtudent multi diſcipuli, & non pauci Magiſtri, ſed in albeolis, vel manuſcriptis, ſcribendis, vel reſcribendis, inani cura laboratur, nec fontes inſpicere ſatagunt, nec text. S.Thomæ, vel vnam pagellam legere dignãtur. Vtinam vel eoſdem Doctores Sanctos, vel de limine ſalutaſſent. Incurri in aliquos exteros, qui totum curſum Philoſophicum, atque Theologicum abſoluerant, nec Summam S.Thomę viderant, ſolum ijs contenti, quæ de ore pręceptoris effuſa in papyris, excipiebant, quęque tanquam oracula de Apollinis tripode eructata, vel de folijs Sybillæ exarata, venerabantur; pro ijſdem, tanquam pro aris, & focis decertantes; ignorantes meliora eſſe vbera ſponſæ Theologicæ facultatis, vino: in proprio enim fonte, vt creſcat paruulus, lac epotatur, vinum in alieno vaſe ebibitur: quinimo ipſum quoque lac, ſi non in viuo fonte vberum, ſed in vtre, hoc eſt (exponente Hugone Cardinali in Cantic.1.) *Si non in Sanctorum lectione, ſed in* mortuis membranis, ideſt, vt dicitur cartapacijs, ſugatur,

tur,in illud malum incurri potest,vt fugẽs vel inebrietur, vel cum Sisara mortem inueniat. Nonne ergo ad hęc inconuenientia pręcauenda, eximia prudentia determinatos Magistros Augustinum, & Thomam Salmantina vniuersitas,quos sequeretur adlegit?

11 Accedit,quod cum oporteat addiscentem credere, vt dicit in Post. Aristoteles,& vt idem scripsit 6.Ethic. *Oporteat quoque attendere expertorum,& seniorum,atq; prudentium indemonstrabilibus enunciationibus, & opinionibus,non minus quam demonstrationibus,propter experientiam enim vident principia*; optimos praeceptores ex melioribus eligere debemus, quibus credamus,eosque seniores,& expertes,quibus ingenioli nostri fasces submittamus,& sic proficiamus. Ipsa etiam rerum graduatio id requirit, vt quo intellectus sublimior est, atque celsior,maiorem sibi fidem praestandã exposcat,& vt inferior obsequiũ pręstet. Hinc intellectus rustici,quia non potest capere, quae Philosophus. Philosopho docẽti, atq; dicẽti credere debet;intellectus vero hominis,quia nõ capere põt,quae Angelicus penetrat,Angelo, & vterque Deo primo, & supremo intelligenti,& infinita cognoscenti, subdatur necesse est.Quid ergo mirum,si Augustinum,& Thomam sublimes intellectus Schola Salmanticensis elegerit, quibus crederet, cum magis posteriorum intelligentias, quam Philosophi rusticorum mentes excedant? vt sicut rusticitatis nota notandus est insipiens, si Philosopho non credat,sic inurbanitatis nota inurendi,si moderniores antiquioribus,Augustino praesertim,& Thomae non cedant.*Et sanè* dixit Seneca 3.ep.90. *natura hoc requirit,vt melioribus, & potentioribus deteriora submittantur: ita scilicet multis gregibus, aut maxima*

ma corpora præsunt, aut velocissima: non degener taurus armenta præcedit, sed qui magnitudine actoris cęteros mares vincit. Elephantorum gregem excellentissimus du cit, inter homines pro summo est optimus, ac rectior animo eligendus. An ex hoc gloriola comparanda expectatur, quod Pygmęi gigantes ad pugnandum prouocent, & impetant? maior celebritatis fama acquiritur, si victum in hac Monomachia se fateatur impugnans, quam ampullosis verbis se victorem pronunciet. *Non est turpe*, dicebat Velleius Paterculus lib.2. *ab eo vinci, quem vincere nefas est, nec ei inhonestè aliquem submitti, quem fortuna super omnes extulit.* Si ergo super cęteros, Ecclesia hos peculiaribus elogijs cohonestauit, & voluit habere Magistros, damnabitur ne imprudentię Salmantina Vniuersitas, vniuersalis Ecclesię delectum sequens? Videat, qui cum Angelico luctari vult, ne claudus remaneat. Prętat cum superiori intellectu paucis speciebus multa cognoscere, quàm multis pauca intelligere. Melius cum Augustino, vel Thoma aberrare, quam cum nouitijs nonnullis Doctoribus sapere, exemplo Bernardi, qui de Hieronymo, & Augustino loquens, dicebat. *Ab his columnis difficilè auellor, cū his vel errare, vel me sapere fateor.* ep. ad Hug. 77.

§. 2.

Secunda ratio assignatur, cur Augustinum, & Thomam, Duces, quos sequerentur, DD. Salmanticenses concluserint.

12 SEcunda ratio ad tollēdum principatus ambitum, qui nouas cathedras contra Patrum cathedras eri-

erigere possent, cum iniuria vetustatis, & libera licentia nouitatis, scriptum namque est Iacobi 1. *Nolite plures Magistri fieri fratres mei, scientes quoniam maius iudicium sumitis.* Quæ verba exponens S. August. in prol. retractat. dixit. *Magistros autem plures tūc fieri existimo, cum diuersa, atque inter se diuersa sentiunt. Cum verò idipsum dicunt omnes, & verum dicunt, ab vnius veri magisterio non recedunt, offendunt autem, non cum illi multa dicunt, sed cum addunt sua, sic quippe incidunt ex multiloquio in falsiloquium:* ergò Augustino interprete, non plures Magistri prohibentur, sed diuersa loquentes, & à prioribus Magistris Ecclesię diffidentes, qui ex multiplicitate contrarietatis, & despectu vetustatis scindere possent cathedram, & Magisterium vnitatis, vt magisterium amplius non vnum sit, sed multiplex, ipsęque Cathedræ, etiam Doctoribus multæ sint, qui vnum esse debent in vnitate doctrinæ, ex quo fit, vt addentes sua, destruentes aliena, verum non dicant, & ab vnitate ex multiplicitate deuiantes, in multiloquium inclinent, & ex illo in falsiloquium incidant.

13 Sed erigatur noua cathedra, nouus ibi sedeat Magister sine magistro in rebus grauioribus, quem sequatur docens, imo contra veteres Magistros, præsertim Augustinum, & Thomam nouas phantasias enuncians; quis quæso auditorum præstabit fidem, cum de suo loquatur, nec suæ doctrinæ habeat testimonium? Certè hoc modo loquens, tantæ authoritatis erit discipulus addiscens, quam præceptor docens. Amplius ex horum Magistellorum veteres contemnentium turba, nihil certi deprehendi posset, tam ex destitutione auctoritatis, quam ex contrarietate doctrinæ, cum enim

enim aſpicient audientes, nihil à fontibus veterum deſcendere,ſed ab exigua ingenioli concha aquam ſapientiæ propinari, nec ſolidis fundamentis, ſed potius omnia coniecturis, nouellis inuentionibus, interminabilibus phantaſiæ conceptionibus res tradi; inſipientem eſſe,ipſi quoque miriones,eum adiudicabũt, qui relicto trito veterum Doctorum calle nouas, eaſq; deuias ſemitas eliget ad incedendum; eoque magis, quę tradentur vera ne,an falſa ſint, in dubitationem cadent,quò minor,& inferior veteribus comparata iuniorum authoritas apparebit:& infirmior ratio nouitiam opinionem fundãs, antiquorum ſoliditati, imo & veritati non cohęrere deprehendetur. Quanto modeſtiores Nazianzenus, & Baſilius (poſteris normam tradentes, erga veteres, modeſtiæ & obſequij) qui ex Ruff. lib. 2. cap. 9. *Cum adoleſcentes eſſent,& ſacris ſtudijs operam dare cœpiſſent,earum intelligentiam,non ex propria præſumptione,ſed ex maiorum ſcriptis, & authoritate hauriebant,&c.* Intelligebant enim modeſtiſſimi Eccleſiæ filij,& Patres populorum,maiorem gloriam eſſe poſterorum diſcipulos eſſe veterum, quam nouorum diſcipulorum nouos pręceptores, dictorumque pręcedentium beneuolos potius excuſatores,quã eorundem aculeatos cenſores, quod egregiè præſtaſſe ſcripſit Niſſenus in Hexamerõ. *Nemo igitur expectet à nobis,vt quæſtionibus,quæ,vel ex ſcriptura ſancta, vel ex his,quæ à præceptore noſtro ſtatim declarata;quæque in communem opinionem cędere videntur, implicemur. Nobis enim eſt propoſitum,vt ea conciliemus, quæ protinus apparent eſſe contraria.*

13 Quod ſi meliorẽ rationẽ,vel intelligentiam nactum eſſe dicet modernus,eo incertior erit noua via ad pro-

me-

merendam fidem, quò veteribus insultans, alijs contradicendi viam parat: videntes enim posteri nouos veteribus præferri, magis ad contradicendum instructi erunt nouitati, quò ipsi promptiores fuerunt ad contradicendum vetustati; vnde Athanasius epistola ad Episcopos Africanos, eos laudans, qui veteribus non contradicebant, ait, *quod quisque eorum sibi persuadebat, si soluerit aliquid ex decretis maiorum, occasionem se daturum posteris, vt quod ipsi egissent, rescinderent. Sed quomodo* (prosequar cum eodem Athanasio) *eos, quibus successère, Patres suos appellabunt, quorum sententias ipsi culpant? aut quomodo veraces apud suos discipulos habebuntur, quibus persuadent præceptoribus nõ credendum?*

15 Dicet quis, in multis, quæ ipsi probant, cum his Ducibus Augustino, & Thoma conspirare: in cęteris, quę non probant non esse mirum, si contradicant. Verum (vt dicebat Lactantius) id quoque in Philosophorum sectis pręteхebatur. Nulla siquidem, ait ille lib. 7. c. 7. *Tam inanis, vel deuia est, quæ non viderit aliquid ex vero;* & propterea docet insaniam esse, *quod cum aliqui aliquam sectam probauerint, eique se addixerint, cęteras damnant tanquam falsas, & inanes, armantque se ad præliandum, nec quid defendere debeant, scientes nec quid refutare, incursantque passim sine delectu omnia, quæ afferunt, quicunque dissentiunt.* Verè, & sapienter dictum. Propterea non quodcunque, quod à contradictoribus Sãcti Augustini, vel Thomę dicitur, tanquam falsum respuitur, sed solum illud, ex aliorum Symmistarum testimonio, improbabile quoque adiudicatur, multa siquidẽ sunt, quæ à singulis impugnantur, quæ ab alijs propugnantur, vt si quis veritatem

spar-

ſparſam per ſingulos, per ſectaſque diffuſam, in vnum colligeret (vt idem de Philoſophis dicebat Lactantius) contradictores non diſſentirent à nobis, quando veritas particulatim à toto contradicentium corpore comprehenſa eſt. Coaceruetur ergo in vnum quicquid à ſingulis contradictoribus edocetur. Certè in vnoquoque dogmate Auguſt. vel Thomę oppugnando non omnes conueniunt, ſed vnus in vno, alter in altero oppugnando occupatur, & plerunque huic vni, vel alteri contradicentium, cęteri ſodales in hoc ipſo, cui hi contradicunt, cum S.Thom. conſentiunt, & ab ijſdem diſſentiunt. In tota igitur collectione contradicẽtium, ſi nõ alijs teſtimonijs probabilitas, & veritas Auguſtinianę, & Thomiſticę probaretur, ſe ipsã veritas eo lumine colluſtraret, quòd ſparſim pro ſe, ex dictis contradicẽtium poſſet apologiã efformare, velut teſtimonijs horum Sanctorum doctrinæ adfauentibus; & oſtendere, totam doctrinam eorundem contradictorũ, collectiuè attigiſſe, quod tamen ſinguli, & diuiſiuè non agnouerunt, vel quia ſingulis eius, quod impugnabatur ratio non quadrabat, vel quia in ſummã, id quod à ſingulis impugnabatur, & in tota collectione à cęteris firmiſſima ratione defendebatur, redigi poſſe non aduerterunt. Quid ergo obeſt ſingulis, Sancto Doctori conſentire, cum in omnibus collectio contradicentiũ conſpiret? Cur magis affectant ſinguli in hoc, vel illo dogmate Auguſtiniano, atque Thomiſtico impugnando occupari, prurigine nouitatis, vel libertate contradicendi, & ſupra Magiſtros ſapiendi allecti, cum integra communitas eiſdem teſtimonium perhibeat?

16 Si hæc non moueant, moueat auditorum profectus, quamdiù enim viderint hanc contradictionem

San-

Sanctis illatam, penduli, & hęrentes erunt, nescientes cui credant, nam si illud iudicium forment, Sanctis, & eorum contradictoribus credendum, ad contrarias, & contradictorias sententias distrahentur. Si vero nemini, iam Academia in Theologica schola inducta. Quid superest? vt Libertinitas paulatim induci possit, & per fragrosa pręcipitia ruere necesse esset.

17 Sed detur campus in abstrusioribus, & perplexis quęstionibus, vt contradicatur sermonibus Sanctorũ, an fortè dabitur in moralibus? Non esset certè expediens libera, & quandoque temeraria opinandi licentia. *In disponendo vitæ statu*, dicebat Lactantius in lib. 3. cap. 7. *formandisque moribus, periculo maiori peccatur, quare maiorem diligentiam necesse est adhiberi, vt sciamus quomodo nos oporteat viuere; Illic*, idest, in Physicis, de quibus differebat, *potest venia concedi, quia siuè aliquid dicunt, nihil prosunt, siue delirant, nihil nocẽt*, vt cum disputatur de punctis, vacuo, infinito: *Hic vero*, in moralibus, *nullus locus dissidio, nullus errori locus est. Omnes vnum sentire oportet, ipsamque Philosophiam moralem vno quasi ore percipere, quia si quid fuerit erratum, vita omnis euertitur: in illa*, nempe Physica, vt *periculi minus ita plus difficultatis est, quod obscura rerum ratio cogit diuersa, & varia sentire; hic, vt periculi plus, ita minus difficultatis, quod ipse vsus rerum, & quotidiana experimenta possunt docere quid sit verius, & melius*. Cum ergo in moralibus, in infinitum sententias, & libros excrescere posse videamus, contraria, & diuersa edocentes, quos sequemur? quibus credemus, vt nos informãdos tuto possimus committere? omnes apud se esse veritatem suadebunt, par omnium authoritas à sectatoribus existimabitur. Quibus autem, maximè

xime Tyrones aures accomodabunt? si deligere possent quod melius,ad scholas non properarent, quando iam virgula censoria possent de sententijs iudicare. At quomodo possunt,qui nondum sapere didicerunt. Si verò discernere non possunt,facillimè à nouo Academico in ipso scholę vestibulo pallio tyronem retrahente, atque docente, nemini credendum, perplexi redderentur, vt nec veteribus credant,ex suasione noua,nec nouo,cum nec certum afferre possit, vt sequelam mereatur. Superest igitur,vt omissis contradictoribus, & litigatoribus, illis aurem præbeamus, qui nos simplici,antiqua sapientia, informent, & in vnum iter adducant. Pręsto autem est authoritas Sapiētum, ad quorum sectanda vestigia,suadet eorum vetus ma gisterium,priscæ ætatis morum reformatio. Ad idem inuitat altissima eorundem sapientia,ad subijciendum se ijsdem modestia stimulat. Securitas etiam allicit,vt tutius eos sequamur Magistros,quos ad subueniendū insipientiæ nostrę diuina prouidētia destinauit, quiuè ex vetustate, & consensione populorum, primas præoccuparunt,tantamque sibi reuerentiam, & authoritatem compararunt, vt etiam si in vna re probabili, quę à parte rei falsa esset speculatiuè, eis assentiremur in praxi, ex prudentiali iudicio nullum subesset periculum,cum rationabilius sit,rectęque rationi consentaneum probatis Doctoribus,omnium gentium testificationibus, credere, quàm nouis præceptoribus, tot diuersa, & improbabilia tradentibus, etiam si in hoc, vel illo non hallucinarētur (& de quo nec constat, nō hallucinari) assentiri. Præstetque inuincibiliter, prudētialiter tamen operando, in vno,vel altero decipi, in necessarijs autem à regia via non aberrare, quam pro-

Ff pter

pter vnum,vel alterum opinantium placitum,de quo nec certi ſumus,quod verum ſit, & tamen tanquam certum apud ſuos venditatur, vel re vera certum ſit nobis neſcientibus,à recto, & trito tramite declinare, & exoticas opiniones amplecti, & peregrinas commendare.

S. 3.

Tertia alia ratio aſſignatur, cur tales Principes doctrinæ Theologicæ Salmanticenſis ſchola ſibi adlegerit.

18 Tertia ratio. Pro fidei vero defenſione meritò Salmanticenſis ſchola hos Principes Auguſtinum,& Thomam ſibi Magiſtros adlegit,quia hi nihil magis curarunt,quam retinere vnitatem,explodere diuerſitatem, ſectari antiquitatem, nouitatem vero repellere. Quod ſi fides vna eſt,Theologia quoque vnã eſſe debere fas erat,& Theologiæ Magiſtros amicos vnitatis,ac proinde veritatis. Gentilitatis Academiæ proprium fuit paſſim ſine vllo iudicio, vt ſcribit Auguſtin. libro 18. de ciuitate. cap. 4. *confeſſeque habere in gremio ſuo tot controuerſias hominum diſſidentium non de agris, vel domibus, vel quacunque pecuniaria ratione,ſed de his rebus,quibus aut miſerè,aut beatè viuitur. Vbi & ſi aliqua vera dicebantur eadem licentia dicebãtur,& falſa prorſus,vt non fruſtra talis ciuitas myſticum vocabulum Babylonis acceperit, Babylon quippe interpretatur confuſio.* Eandem in Hæreticis agnoſcit confuſionem Lutherus (qui librum, cui titulus de captiuitate Babylonis,etiam conſcripſit) ſuis Sym-

Symmiſtis potius, non orthodoxiæ adaptandus) exponens enim pſalm.quintum,dixit. *Sic regnum in ſeipſum diuiſum deſolatur,neque vlli vnquam hæretici victi ſunt vi,aut aſtu,ſed mutua diſſenſione, neque aliter cum eis pugnat Chriſtus, quam mixto inter eos ſpiritu vertiginis,& diſſensionis,ſicut inter Sichimitas, Iud.9. & inter Babylonicæ turris operarios*. Ne ergo Academiæ Chriſtianæ,atque Catholicę mutuis altercationibus ſcinderentur, & rurſus Babyloniæ mœnia deſtructa iterum reædificarentur, dum petulantia ingenia in dies noua comminiſcerētur, improbabilia pro probabilibus venditando, etiam in fidei doctrina,& dogmate, ſapienter à Salmanticenſibus prouiſum, ne vnitas Scholaſtica ſcinderetur.

19 Quid ergo,inquies, licuit antiquæ ſcholæ Theologiæ habere Thomiſtas,Scotiſtas, Nominales, & modo alios nouos opinatores,quaſi ſit Theologiæ præfixus terminus,habere non licet? Liceret, ſemperque licebit in ijs,quæ ſalua fide,& compage charitatis diſputari poſſunt,inter ſe Theologos conflictari, vt egregiè Auguſtinus,& Niſſenus demonſtrant, ſed ea tamē lege,vt veterum diſſidiorum inſtauratores, nō peiores ſciſſuras faciant, nec vinum nouum nouarum opinionum mittant in vtres veteres, hoc eſt, antiquatos, & exploſos à ſchola Doctores; & ſuus veteribus deferatur honos,ne noua contra cęteros in dies adinueniatur,ne Theologia,quod deplorabat Nazianz. in argutatricem facultatem deſiſcat, & ad omnia liberè opinandi materia miniſtretur. Laudabilis fuit quondam Scholaſticorum, ſed tamen Claſſicorum, iſta partitio,atque diſſenſio,concordia diſcors potius appellanda,qui diſtinctas quoque cathedras in Academia pro-

meruerunt. Mirificè effulgebat ista Academia, atque refulget, in vestitu deaurato circumamicta varietate, sed admirabili textura fabrefacto, nam vides *DD*. earum moderatores cathedrarum consequenter loqui, è diuersis opinandi principijs, diuersas conclusiones opinabiles deducere, & diuersis semitis ad vnum compitum tendere, nec à veritate aberrare. At si daretur licentia noua, & peregrina superinducendi, & doctrinarum hircoceruum efformandi (hoc est, vt somniaretur doctrina Thomascotica, vel Scotothomastica, vel Duràdoscotica) quis confusionẽ vitandam non deprehenderet? facilius esset atomos Democriti, vel Anaxagoræ distinguere, quàm (si formaretur) opinantium mixturam, opinantium etiam adsistente mente, cognoscere: tàm chimęricum esset e diuersis conceptionibus vniuocam quandam sapientiam efformare, quam belluam ex diuersis naturis compactam, qualem Naziãz. depinxit, introducere. Auem potius illam Aesopicam formare possent, alienis plumis amictam, quę in publicum, si exponeretur,

Mouebit cornicula risum,
Furtiuis nudata coloribus. an fortè, *auis discolor* Dei hæreditas inducetur?

20 Potuerunt quoque Principes suæ scholę, sine periculo dissentire, nam ea opinandi libertas, suis terminis contenta erat. At multi sunt, quibus Gregorij dictum adaptatur 5. moral. cap. 18. *Communem sententiam habere refugiunt, ne cęteris æquales existimentur, & quædam noua semper requirunt, quæ dum alij negant, apud imperitorum mentes, ipsi de scientiæ singularitate gloriantur*. Hinc in oculis suis, & sibi solis sapientes, & placentes, multi suæ mentis conceptus, velut idolum quo-

quodam proponere possent,quod ne deforme appareret,sub colore liciti,pennicillo probabilitatis cirussatũ, ad spectandum proponerẽt,opinionemque improbabilẽ pro probabili venditarẽt;magna fidei,& Theologię sanę iactura.Cum enim,quę dici possunt , iam sint *ab ingenio occupata meliori*,ex Hiero.ad Cthesiph. ac proinde seruandum sit illud Poeticum,*in syluam ne ligna feras*,ex gloriolę captandę titillatione exulcerabitur animus nouitates amans, ad peregrina inducenda,ad libros vncialibus litteris descriptos euulgãdos, vt grandia docere videantur,& multa (vt in hoc quoque antiquos se superasse glorientur) nescientes, vt dixit Callimachus , non esse ex Codicum multitudine ingenij ęstimationem ponderandam,vel ex librorum strue,sed ex breui stylo,& grata facundia: & commendare librorum molem,potius est onera commendasse,quam codices.

21 Cauendum quoq;voluerunt Salmanticenses Gentilium , & Hęreticorum offendiculum. nam, vt docet Augustin.lib.de ouibus. Gentiles non habentes quid contra catholicam religionem dicerent , *dissensionem Christianorum,Christianis obÿcerunt*. Hęretici quoque Scholasticorũ nomen infamant,& parum scholę deferendum volunt,ob diuersitatem placitorum Thomę, Scoti,&c.ita Calui.4.inst.c.23.n.14.Hoc est, dicebat Naziãz.orat.de pace.*Quod hæreticis securitatẽ affert, nec præter id quidquam habent , quod nobis impingant*. Verum (vt eorum iniurias propulsemus , cum eodem Sancto)*Ipsi si vibices nobis obiectant,ipsi vulneribus affecti;qui offendicula nostra exagitant , cum turpiter ipsi prolabantur,qui maculis nostris gaudent , cum ipsi in cœno volutẽtur;qui festucas nobis proferunt,quæ facilè de-*

pelli, atq; afflari ex oculis possunt, cum interim trabium mole oppressi miserè caligent. Quas calumnias non patietur Orthodoxia, si insuper superadditas vanas, contentiosas, indisciplinatas opiniones per orbem euagari, (quod absit) deprehenderet. Quare hæc subsannandi materia, à Salmanticensi schola, ex determinatione, quam sequeretur doctrinæ, præcisa est, *Ne muscæ morientes, & vnguento imputrescentes*, vt dicebat Nazianz. olei suauitatem perderent, etiam si illud non vitiarent.

22 Accedit, quod catholica religio est velut castrorum acies ordinata, Deo militans bonã militiam, in qua melior vnitas inspicitur, quàm illius exercitus, de quo dixit ille

Adhęsit galea galęæ, adhæsit viro vir.

Quare non est æquum multiplicari priuatas rixas, ne acies dissoluatur, & periclitetur. vnde rectè Boet. 4. de consol. *Nostine igitur, omne, quod est, tandiù manere, atque subsistere, quamdiù vnum sit, sed interire, atque dissolui pariter, quando vnum esse desierit*. Pręclarè Angelicus 2. 2. quæst. 39. ar. 1. *Vnitas particularis ordinatur ad vnitatem Ecclesiæ, sicut compositio singulorum membrorum in corpore naturali ordinatur ad totius corporis vnitatem*. Quare sicut vnitas œconomica vnitatem politicam custodit, sic Academiarum vnitas vnitatem dogmatum fouet. Et quemadmodum ex domesticis pugnis, & ciuicis concertationibus, bellorum incendijs accensis, Prouincię, & Regna exarserunt, sic sufflante diabolo, domesticorum Dei monomachia in prę iudicium Ciuitatis Dei, in funesta bella posset terminari, sicut tẽpore Gregorij Nazianzeni, factitatũ est, vt patet ex oratione de moderat. in disput. seruanda

da. *Sic conflictamus*, dicebat Sanctus, *quasi necessum esset, vt externis hostibus domitis, in nosmetipsos arma verteremus, mutuisque vulneribus confoderemur, ac funestium ritu, ne proprijs quidem carnibus parceremus, tantùmque à miseria nostra sensu abfimus, vt maiorem ex hoc malo, quam alij ex pace, & concordia voluptatem capiamus, calamitatemq; lucro deputemus, oppressioneq; nostra, & euersione cultum, obsequiumque Deo præstari existimemus, ac diuidamur, & incendamur, non laudabili, ac præclara, sed flagitiosa diuisione, nec incendio illo purgante, sed funesto, & exitiali. Non enim acutus ille, & penetrabilis sermo, hoc est, Christi gladius, pios ab impijs diuidit, nec ignis iacitur, & accenditur, materiam absumens, atque exhauriens, sed cõtrario planè, ac prius modo scindimur, ac consumimur*; & ostendens exitum priuatarum eiusmodi contentionum, subdit ad nostrum propositum probandum. *Hoc Ecclesiam quæ vna est in multas partes proscindit, atque disiunxit, non in vnum Paulum, aut Cepham, aut quempiam plãtatorem, vel rigatorem, sed multos Paulos, Cephas, & Apollines.* & huiusmodi scissionis rationem reddens subiunxit. *Quod, hac omnia excitauit acrimonia, sine ratione, & scientia præceps, & effrenata, fideique nauis gubernaculo carens*. Quare ne in præceps religio rueret, vel naufragaret in Academia Salmanticensi, & in vniuersis regionibus; meritò retinacula, & gubernacula pietatis statuta sunt ab eadem Academia, quia præcipitium, vel naufragium immineret, si relicta vnitate doctrinæ Theologicæ Principum, vnusquisque, quod sibi arridet, sequeretur, veteri licentia, sapientium Magistrorum totius orbis magisterium aspernando.

23 Antiquitatis vero tenacissimi Salmanticenses, vt ex

eorum tractatu apparet, nihil aliud curarunt, quam nouitatibus viam prȩcludere. Facilè autem esset nouitates istas introducere, si impunè quælibet opinio venditata, vt probabilis suaderetur, quȩ improbabilis, imo inaudita in scholis esset, V. G. si diceretur, quod B. Virgo sit matripater Iesu Christi, vel patrimater eiusdem (vt quidam scripsit) & inde daretur via, vt quis fingeret, quod pater in diuinis posset dici patrimater Verbi; solus.n. pater in cœlis præstitit, quod mater, & pater in generatione filiorum in terris, & similia portenta induci possent, quæ progressu temporis fidem labefactare possent.

§. 4.

Quarta ratio eiusmodi electionis Magistrorum eiusdem Academiæ proponitur.

24 QVarta ratio. Pro morum quoque reformatione, sequelam horum Doctorum August. & Thomæ, eadem Academia suis præscripsit, in dies enim mundus fit deterior, & nunc propemodum loquitur occasum sui, per illa satis nota tria sua prædicamenta, videlicet concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, superbiam vitæ, propriæ vtilitati consulens, Dei legibus non vult esse subiectus; vt proinde eos deleget, qui in transgressione, vel nullam culpam inesse suadeant, vel Dei leges extenuent, suosque velit esse præceptores: dissimulant namque prauȩ, vitiosȩq; mentes, & vera esse nollent, quæ diuinis legibus prohibentur, & à Doctotibus timoratis, quæ à carne, & sanguine extenuantur, culpabilia demonstrantur. Sed

non

non mirum ex Lactantio lib.7.cap.1. *Quia trahuntur à vitijs, & scienter malis suis fauent, quorum suauitate capiuntur, & virtutis viam deserunt, cuius acerbitate offenduntur*, & subdit exemplificans per hæc tria prędicamenta . *Qui auaritia* oculorum concupiscentia designata, *& inexplebili quadam siti flagrant, quia non possunt vēditis, aut elargitis, quæ amant, tenui cultu vitā degere*, aut quod peius est, aliena bona restituere, sine dubio malunt esse fictum , quod Scripturæ , Patres, S. Augustinus, quorum sententiæ in decretis tam abundè recensentur, & S. Thomas, de restitutione docuerunt, *quò desiderijs suis renunciare coguntur*. *Item* subdit, *qui libidinum stimulis incitati (vt ait Poeta) in furias, ignemque ruunt, vtique incredibilia nos*, idest, veros Magistros dicas Augustinum, & Thomam, *afferre dicunt, quia vulnerant aures eorum præcepta continentiæ, quæ illos voluptatibus suis prohibent, quibus animam suam cum corpore adiudicarunt*. Vnde cupiunt nundinationem probabilium opinionum, imo improbabilium illicitam licentiam. Qui verò ambitione inflati, aut amore potentiæ inflammati, omne studium suum ad honores acquirendos contulerunt, proportionatos sibi eligunt consultores, qui etiam audere audenda doceant, *vt ne si Solem ipsum gestemus in manibus*, vel cum S. Thoma gestemus in pectore, *Fidem accommodabunt ei doctrinæ, quæ illos iubet, omni potentia, & honore contempto, humiles viuere, atque ita humiles, vt & accipere iniuriam possint, & referre nolint, si acceperint. Ij sunt homines, qui contra veritatem, clausis oculis quoque modo latrant. Qui autem sani erunt, idest, non ita vitijs immersi, vt insanabiles non sint, & credēt his, & libenter accedunt, & quæcunque dicimus aperta, & pla-*

& plana, & simplicia, & quod maximè opus est vera, & inexpugnabilia illis videbuntur. Et postea. *Eo fit, vt pauperes, & humiles Deo*, & *Sanctis eius credant facilius, qui magis sunt expediti, quàm diuites, qui sunt impedimentis plurimis implicati, imo catenati*, *& cõpediti seruiunt dominæ cupiditati, &c. & multis, & ingentibus sarcinis onerati per viam mortis incedunt, quæ latissima est*, ex conscientiæ laxitate, *quoniam latè perditio dominatur. His acerba sunt, his venena, quæ Deus ad iustitiã pręcepit* per doctores suos, *qui Dei magisterio, & veritate* Ecclesiam erudiunt. *Quibus si repugnare audebunt, necessè est hostes se esse virtutis, iustitiaque fateantur.*

25 Accedit, quod mundus iam non quęrit directores animarum, qui obiurgent, sed adulatores potius, vt palpent, cumque timeant multi consultores dicere, quæ displiceant, emolliunt, & condiunt nouis salsamentis, quæ placeant. *Prophetæ* (dicebat Hierem.) *prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus, & populus meus dilexit talia.* Inde libertas, & corruptela ex impunitate, impunitas ex mellito con silio eorum, qui non solum *non corrigunt, sed laudant, atque sustollunt, & beatos prædicant*, iuxta id, quod scriptum est. *Quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, &c. iniquus benedicitur.* In c. 4. Oseę etiã *legimus*, ait Hieronym. *fuisse pseudoprophetas in Israel, qui propter dona, pacem, quæ eis data non erat, prædicabant, & si quis munera non dedisset, quamuis Sanctus esset, iram Dei nunciaret esse venturam.* Idem in 3. Micheæ. Erant quoque iuxta desideria populorum, tales ductores, & Doctores, qui dicebant in Esa. 5. Bonũ malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, &

lucem

lucèm tenebras ponentes amarum in dulci, & in dulci amarum,iuſtificãtes impios,& ſtateras doloſas,hinc ponentes mendacium ſpem ſuam,& mendacio protecti,ſeipſos perdunt,& principatus. Quod ſi adhuc iactarent inuentores improbabilium opinionum,ſe eſſe Deucaliones orbis,& morum reparatores,videant, dũ ad vitia erudiunt,vel voluptates defendunt,aut ſi virtutem aſſerant,contrario tamen vitio pœnas non minentur,quod magis virtutis naturam euacuant,& mores ciuitatum corrumpunt.Nam qui verè ſunt (maximè Reipublicæ,& orbis *Patres*,vt dicebat Plutar.lib. de educ.liberis) *filios ſobrietatem monent, aſſentatores ebrietatem,illi temperantiam,iſti laſciuiam,illi parſimoniam,iſti luxus,& impenſas,illi labores appetendos ,iſti ſocordiam*,& tandem,illi,*toleratu difficilia*,vt veros Sãctos decet,& quæ *auditores onerent*,licet his *nihil vnquam inuenitur ſuauius*, vt dicebat Chryſoſtomus in Eſ.c.5.iſti vero pſeudoprophetarum more, qui ad volũtatem meditata,& conſultata reportent. *Liberet nos Deus*,dicebat Origenes hom.3.in cap.13.*de manu talium Magiſtrorum,qui vbicunque fuerint ad voluptates audientium,loquentes,ſcindunt, ac diuidunt Eccleſiam, quia plures ſunt magis amatores voluptatis, quam Dei*, & latę vię,quæ ducit in perditionem,quam anguſtæ, quæ ducit ad vitam. Non eſt hoc humanę potentię, disrumpere puluillos ſub cubito manus,& ceruicalia ſub capite,hoc eſt,ex Origene,ab ijs cõſutas doctrinas, qui *iuxta gratiam, & voluntatem audientium prædicant*,ſed Dei virtutis opus,propterea promiſit tandem ea dirupturum, *dirumpam eos de brachijs veſtris, & dirumpam ceruicalia veſtra*,ideſt,exponente Origene, *Licet vos ſubuertatis animas per ceruicalia, & velamina*,

mina, ego ista disrumpens liberabo populum, &c. Et scietis, quia ego Dominus, idest, ex eodem. *Si fecero silere mendacia prædicatorum, tunc scietis, quia ego Dominus.* Interim Academia Salmanticensis prouidens, ne huiusmodi portenta exurgant in mundo, de SS. Augusti. & Thomę probata, & Ecclesiastica horũ Magistrorum doctrina defendenda, prouidit.

§. 5.

Vltima ratio assignatur, cur eadem Academia Salmantina in horum DD. verba iurarit.

26 QVinta ratio. Pro politię secularis, & Regnorum conseruatione. Pulchrè certè non ignobilis autor Eduardus Vestonus 2. thęat. vitę ciuil. 2. lib. cap. 13. n. 17. scripsit *Dogmatis communitas fons est pacis, & concordiæ inter ciues, sicutè contrario nihil acrius ad tumultus ciendos inter eosdem, quàm sententiarum, præsertim in diuinis, pugnax quadã discrepantia. At quomodo conspirabunt ciues in vnum dogma, si propriũ vnicuique iudicium, omnia apud eos fabricetur? Quam enim sumus ab ingenio proni in varias opiniones, vel ipsi sensus nostri quotidie deprehendunt, atque experiuntur, adeo vt Philosophi non melius, quam horologia olim inter se conuenerint.* Propterea etiam ipsa Gentilitas diuersè ab antiquis, & nouè opinandi in cultu licentiam permissam, vt fomitem seditionum cauendã curabat. Vnde Mœcenas sic Augustum alloquebatur apud Dionem lib. 52. *Diuinum illud numen omni modo, omni tempore ipse cole, & vt illi colant affice. Eos verò, qui in diuinis aliquid innouant, odio habe, & coerce, non*

Deo-

Deorum solum causa (quos tamen , qui contemnit, nec aliud sanè quicquam magnifaciet) sed quia noua quadam numina hi tales introducentes, multos impellunt ad mutationem rerum, unde coniurationes, seditiones, conciliabula, res profectò minus conducibiles principatui. Exempla tam sacra, quam prophana innumera suppetunt. Vnum Gregorium Nazianz. sui temporis calamitatum ocularem testem audiamus, qui de discordia nonè opinandi in materia religionis loquens, dixit, de moderat. in disput. seruãnda, quod, *Ea membra lacerauit, atque distraxit, fraternam concordiam diuulsit, tranquillum urbium statum perturbauit, multitudinem furore præcipitem egit, gentes ad bellum armauit, Reges in mutuum exitium concitauit: Sacerdotes cum plebe, & etiam ipsis plebem rursus non minus ipsam secum, quàm cum Sacerdotibus commisit, parentes cum liberis, liberos cum parentibus, viros cum uxoribus, uxores cum viris. Hæc omnia beneuolentiæ nomina permiscuit, atque confudit, seruos, & dominos, discipulos, & præceptores, senes, & iuuenes: conuulsaque, & proculcata pudoris lege, quo nullum maius adiumentum ad virtutem excogitari potest, cõtumaciæ, arrogantiæque legem indixit, factique sumus non tam Tribus, & Tribus separatim, quod olim Israeli obiectabatur, nec Israel, & Iuda, duo, inquã, illa unius, eiusq; perangustæ gentis segmenta, sed multo sceleratius per domos, & familias, sodalitiaque necessaria, ac veluti in se quisque diuisi sumus, vniuersus orbis terrarum, vniuersum hominum genus, ad quos Dei verbũ, fideiq; doctrina peruagata est. Principũ quoque multitudo in pestiferam licentiam recidit, atque ossa nostra super infernum dissipata sunt.* Idem arg. prosequitur Ludouicus IV. in sua bulla aurea.

26 Hinc

26 Hinc S.Thomas lib.1.de regim.princ.cap.vlt.principem instituẽs,dixit inter cętera,ad instituendam, & in officio retinendam multitudinem,necessarium esse, *Vt multitudo in vnitate pacis cōstituatur, sicut enim homo nihil bene agere potest,nisi præsupposita suarum partium vnitate: ita hominum multitudo,pacis vnitate carens, dum impugnat seipsam, impeditur à bene agendo.* Porrò ex Phil.*Nihil magis vnanimes facit, quam religio.*Nihil magis discordes facit,quam diffidia,& schismata.vnde,& ille.*scinditur incertum studia in contraria vulgus*,multaque exinde seditionis excitentur incendia:quare operepretium est tantorum malorum initia præcidere, idipsum sentiendo, ne sint in nobis schismata, & tantarum nouarum opinionum varietatem (ex Naz.serm.3.de pace) pacis perturbatiuam comprimere.Hoc agnoscens Theodosius,ex actis Concilij Ephesini,scissuras imperij reparare curabat, & discordiam dogmatum,tanti mali causam extitisse disertè pronunciauit. *Contentio hæc, & discordia adeo nos cōturbat,vt existimemus primam,præcipuamq; omnium nostrarum calamitatum occasionem, vel hanc vnam præbuisse.* Nunquam impijs deest animus horribiles in Republica Tragœdias excitandi, & regnorum habenis potiri: propterea turbata volunt omnia, discordias excitari,velut maritimas tempestates,vbi ex ventorum contrarietate clamor nauticus intonat, fragor nauium concrepat, & aeris ipsius confundit vniuersa mugitus,vt nec virtuti tempus, nec consilio locus sit. Et sicut in nocturna pugna omnia miscentur, vt nec sociorum, nec hostium vlla sit agnitio,vlla discretio. Sic tenebris errorum, & inuentionum super terram circumfusis,turbæ congregantur, conspirationes attexuntur,

xuntur;rebelliones in Principes meditantur, iugum etiam Magiſtratuum abijcientes,qui iam pridem religionis iugum confregerunt.Vide Nazianz.in Apolog. Famigeratiſſima ſunt ſeditioſorum exempla. Ennius ille *Deæ Syriç*(apud Florum lib.1.cap.9)laxatis ad libertatem ſexaginta millia armatorum,ad arma concitauit, vniuerſam Siciliç inſulam,& Regnum, ſuç fanaticç dominationi, & tyrannidi ſubiugando. Quid Libertini, noſtrorum temporũ memoria, in Reges, Principes,Magiſtratus,Cimmerijs tenebris omnia obfuſcãtibus, & varijs doctrinarum procellis mare turbantibus,non ſunt machinati? illud funeſtius quando,Luthero ſeditionis ſemina iaciente, illudque Apoſtoli malè extorquendo,*in Chriſto Ieſu neque eſt ſeruus,neq; liber*,Muntcero eius diſcipulo impij exercitus ductore,cẽtummillia ruſticorum relicto vomere armauit, & aduerſus Dominos nobiles,Principes,Magiſtratus,concitauit,vt pene orbis cũ Imperio ſit periclitatus. Caluinianos quoq; milites in coniuratione Ambianenſi, in Regis, & Reginæ vitam conſpiraſſe deſcripſit Raymundus lib.de Antichriſto cap.3.

28 Sed alia, inquies, Libertinorum,alia domeſticorum filiorum Eccleſiç ratio. Alia in controuerſijs dogmatum,alia in opinabilium diſcordijs,& contentionibus. Fateor. Illud quod curarũt Salmanticenſes,cauendũ, ne ex libertate opinandi in vno,vel altero genere improbabilia meditando, ingenium luxuriet, & pietatis iura tranſiliat,niſi amputetur curioſitas, & nouella improbabilium ſententiarum adinuentio, & ſuper cçteros ſapiendi ambitio,principatus in ſcholis affectatio (hç enim ſolent eſſe hçreſum ſemina) & intellectus retinaculis doctrinarum veterum detineatur, quibus ſubmo-

submotis, velut Onager liber per campestria aberrat, in Libertinitatem desinens. Modicum certè est fermētum, sed totā massam corrumpit. Ab vna quoq; scintilla augetur ignis. Oua aspidū ruperunt, & quod confotum est erupit in Regulum. Hæc scala malorum in libertatem terminata, & regnorum perniciem, vt petulans ingenium, nouitiū aliquod ouum, scilicet falsā opinionē cōcipiat: in scholis pariat, foueatur eloquentia, verisimili ratione fœtus membra lineentur, potentum auxilio obstacula moueantur, rumpatur, demū, vt in lucem prodeat regulus, pessima scilicet hęresis, quæ nedum regna inficiat, & conturbet, sed inclinet, & pessundet. Arius è Platonicis conceptionibus, quas fouit, regulum illum produxit, qui totum etiam turbauit Imperium, vnaque scintilla fuit, & quia non statim oppressa, totum orbem eius flamma populata est. Sic & alia eruperunt hæresum monstra, de quibus Chrysostomus in cap. 1. ad Gal. *Si qui à diuinis præceptis resilire conabantur, paulum quiddam secus, quam oportet tentabant, mox ab initio fuisset adhibita conueniens increpatio, nequaquam fuisset nata hæc pestis, haudquaquā tanta tempestas Ecclesias occupasset.*

28 At ingeniorum tyrannidem dices, permissam diuersimodè opinandi libertatem, in ijs, quæ religionem nō tangunt, adimere velle; nec ex ista timendę imaginatæ seditiones. Non abnuo. Verū, vt dixit Chrysolog. ser. 27. *In præcinctu belli semper vigiliæ sunt militum distributæ; vt insidijs nihil liceat, nihil pateat dolis. Perniciosus est nimis repentinus hostis, nam aut inscios preuenit, aut incautos præoccupat, aut opprimit dormientes.* Etiam pyratæ lumen accēdunt, & nauigātes ad illam, putantes esse prorsus fidissimam stationem, captiuant,

contra

contra Christum,signa Christi portantes, grassantur hęretici,ex August.ep.90.*Nihil*, dicebat ille Ethnicus sup.lib.39.*in speciem fallacius,quam praua religio est, vbi Deorum numen prętenditur sceleribus*.Nulla hæresis sine opinionis velamine . *Huiusmodi diaboli fraus est*,dicit Chrysost. supra,*haudquaquam nudos proponere laqueos,quibus venantur homines:etenim si dixissent*, Galatarum seductores,*Desciscite à Christo, Galatæ vitassent, eos velut impostores , & corruptores : nunc vero sinentes eos in fide manere,& interim prætexentes Euãgelij nomen,impunè,summaque audacia perfodiebant domum,videlicet ijs,quæ dixi , velut obtentis velamentis, per hæc nomina*, videlicet Euãgelij, celantibus parietũ percussores. Etiam alij à Pseudoapostolis decepti libertatem tãquam velamen prætexebant,quos Petrus Apost.1.c.2.cõmonuit,dicẽs.*Quasi liberi,& non quasi velamen habentes malitiæ libertatem , sed quasi serui Dei*.Eodem libertatis velamine detectę multę hęreses, ad seditionem oculos dirigentes. Tales fuerũt Zelotæ tempore Iosephi,lib.5.de bello Iudaico,qui sub prætextu communis boni,patriæ scilicet libertatis,Romanis tributa negarunt, à publicis ritibus sacrificiorum, & precibus , iuxta priscum morem,exclusis: ciues, & potentes trucidarunt , eorum bona diripientes , prætexentes cum Romanis , de tradenda Hierosolimitana Ciuitate . Sed *hic finis fuit eius dementiæ , quod Zelotarum in populum dominatio* , quiue res nouas mouere tentarunt, *author fuit Hierosolymitani excidij*. 7.cap.4.& 18.Quę sub similibus libertatis velamentis induci nõ possent ab impostoribus seditiones?quas, & si liberas opiniones (extra religionis cancellos) inuenientes,non facerent,semina saltem possent serere,

& oua apponere, quæ postea callidi, vel excolerent, vel fouerent in destructionem Politię:nunquam enim desunt nouitatum auidi, principatum ambientes, discipulos congregandi gloriam captantes, hęc enim omnia Pseudoapostolos creant, ex Chrysostomo.

30 Multi quoque in regna,& principatus insurgere non possunt,quia vel potentiæ voluntas, vel voluntati potentia deest;furore manifesto facturi, si vel apparentibus rationibus,& improbabilibus probabilitatibus suaderentur,vel vires illis succrescerent. *Multorũ* dicebat Seneca ep.42.*quia imbecillia sunt vitia latent, non minus ausura cum illis vires suæ placuerint, quam illa,quæ iam felicitas aperuit.Instrumenta illis explicãdæ nequitiæ desunt. Sic tuto, serpens etiam pestifera tractatur, dum riget frigore, non desunt illi venena, sed torpent. Multorum crudelitas, & ambitio,& luxuria, vt paria pessimis audeat, fortunæ fauore deficit, eadem velle eos cognosces, da posse quantum volunt*;da velle talibus quantum possunt, & omnia regna turbabuntur.Etiam *mare*, dicebat Polybius 11. Histor. *natura sua innoxium est rectè vtentibus, & firmum, si vero violenti flatus in illud irruerint,tale redditur vtẽtibus,quales sunt venti,à quibus circumquaque impellitur, ita & multitudo talis reddetur vtentibus, quales habet duces,& consiliarios.* Si ergo populi improbabilibus opinionibus velut ventis excitarentur,quas tempestates etiam in Politiam non commouerent?

31 Iterum dices has opinionum diuersitates exercitamenta esse ingeniorum, & vias inueniendæ veritatis.Benè, si ingenia eas leges seruent, quas Gregorius Nazianz.adhibet, cum de moderatione in disputatione seruanda scripsit.Cęterum, quæ à contentione,

glo-

gloriola captanda, & huiusmodi dimanant fontibus, in vtriusque potestatis, & monarchiæ spiritualis, & temporalis perniciem machinari posset à versipelli: nã ex Chrysost. in ps. 119. sçpè obtẽto mãsuetudinis, & probitatis velamine virus occultatur, vt non deprehendi possint insidiç. *Si autem*, subdit, *à fraudulentis cauendũ, multo magis à peruersis dogmatistis, qui & in virtute lædunt, & in vitium adducunt.* Tales fuerunt Iuliani Imperatoris technæ, qui impietatem in corde retinens, exterius tamen quandoque prorumpebat, disputando in id, quod corde sentiebat, illud pro velamento assumens contentiones illas exercitij gratia assumptas, donec religioni vale dicens, Imperium pessundaret: id sic traditur a Nazianz. oratione 1. in Iul. *Non iam amplius morbum penitus, quantus erat, celare poterat, neque omnino impietatis dolum in se ipso tantum philosophicè exercere valebat, sed tanquam ignis in materia delitescens, & si nondum flammam claram emittat, è scintillis tamen quibusdam micantibus, aut fumo è profundo emergente indicatur. Aut si mauis, quemadmodum fontes, qui per fistulas quasdam vi spiritus sub terra feruntur, postea nec spatium latum, neque exitum habens liberum, sæpius terram inflant, & infernè submurmurãt, impetu quidem spiritus impulsi, sed vi supernè cohibiti, & intercisi. Ita & ille plurimum impietatis, ob temporis gratiam, & institutionem Constantij Imperatoris abscõdebat. Nondum enim tutum erat palàm impiè agere, nonnũquam tamen mentis detegebat arcanum acutioribus, impietate, quam intellectu, præcipuè in sermonibus ad fratrem, plusquam benè haberet, pro Gentilibus contendens, nempè sub PRAETEXTV, tanquam sermo-*

nem exerceret tenuem. Cęterum hęc potius contra veritatem erant EXERCITAMENTA, cum omnibus gauderet, quibus impij denotarentur mores. Ad hęc ergo omnia pericula prȩcauenda, Regnorum quoque perturbatiua, meritò Salmanticensis schola antemurale fidei, & politiæ, Augustinianam, & Thomisticam doctrinam proponendo, fabricauit.

32 Hæc omnia plurimum ponderare deberent Principes, & Reges populorum, eosque cautos reddere, vt si quietem Regnorum exoptent, nedum ad fidei, sed & Theologię vnitatē, eliminatis nouitatibus in religione, procurent Academias, & Vniuersitates fouendas, earundemque statuta pro illarum bono defendant, & sua authoritate tueantur. Sapienter PAPA Cęlestinus Theodosio iuniori scripsit. *Maior vobis fidei debet esse causa, quam Regni, ampliusque pro pace Ecclesiarum Clementia V. debet esse solicita, quā pro omniū securitate terrarum, subsequuntur enim prospera, si primitus, quæ sunt Deo cariora, seruentur: pro vestri enim salute Imperij geritur, quicquid pro salute, vel sanctæ religionis robore laboratur.* Cariora Deo sunt antiquitas, vniuersitas, consensio, quam nouitas, & cum paucitate dissensio. Cariores veteres Doctores, & Magistri, præsertim Augustinus, & Thomas modernis præceptoribus: Religionis robur sunt securitas doctrinæ, optimorum præceptorum prouisio, Academiarum protectio, earundemque iurium, & statutorum conseruatio: cūq; debeant fideles Principes maximè ęmulari charismata meliora, ęquum est, vt quæ pro fide, & religione, sanaque Theologię doctrina sarta tecta conseruanda, ab Academia Salmanticensi statuta sunt, nulla ratione conuellantur, & contradictores potentissimi Hispaniarum

niarum

niarum Regis pręſidio conquieſcant. Experientia compertum eſt, illibatam fidei cuſtodiam in Hiſpaniarum Regnis duabus turribus fortiſſimis, nempe Sancti Tribunalis Inquiſitionis, & Academię Theologię, conſeruari, illa ad compeſcendos rebelles, iſta ad inſtruendũ, & docendum, quomodo fides nutriatur, & aduerſus impios defendatur. *In qualibet Monarchia*, dicebat S. Doctor 2. de regim. Princip. cap. 16. *ab initio ſeculi tria ſe inuicem per ordinem comitata ſunt; diuinus cultus, ſapientia ſcholaſtica, & ſecularis potentia: quæ quidem tria ſe inuicem per ordinem conſequuntur, & in Rege Salomone ex ſuis meritis conſeruata ſunt: quia per diuinam reuerentiam, cum deſcendit in Hebron locum orationis, aſſumptus in Regem conſecutus eſt ſapientiam, & ex vtroque vlterius, in regali virtute, ſuper Reges ſui temporis excellentiam, &c.* Cumulatè hęc omnia in Hiſpaniarum Regnis ſe inſecuta ſunt; diuinus cultus ex fidei Catholicæ profeſſione; potentia, quę ad Antipodes ſe extendit; ſapientia ex Academiarum maximè Salmanticenſis, inſtitutione. Tamdiu ex documentis Cęleſtini, potentia Regni ſtabit, quouſque cultus, & ſapientia illibata permanebit; imò ſecura erit, nedum ab errore, ſed etiam ſeditione, quę cum religionis mutatione Principes mutat, cuius innouationis materia, ex leuiſſimis opiniunculis comparari poſſet, nam ex paruis ſemitis latę vię efformantur, & alluuione paulatim terra couſumitur.

33 Conſeruatur quoque Regnum, nedum religione, ſed & cęteris virtutibus, maximè Cardinalibus, quibus ſublatis Reſpublica corruit, at quę doctrina lucidius, clarius, verius, virtutum earundem notitiam, & vſum, cum oppoſitis vitijs cauendis aperit, & manifeſtat,

quàm doctrina Augustiniana,& Thomistica? Nonne prudentia cum suis partibus perbellè à S.Doctore authoritate Augustini fulcita, actiones singulares hominum dirigit, Oeconomiam informat, ciuili prescribit modum,quæ omnia conseruandi Regni sunt retinacula? nonne fortitudinis naturam Thomas cum Augustino exprimit, vt pro Regni conseruatione propriam vitam exponere doceat, bello iniurias ab hostibus illatas propulsare,iustique belli causas examinans? Quis in tradenda doctrina de temperantia ad reprimendam Venerem,& vẽtrem Thoma cum Augustino modestior? Quis in tradenda iustitia cum suis speciebus, & partibus Thoma cum Augustino iustior? veritatem puram annunciando,illud potiori iure pronunciando, quàm Balaam. *Si dederit mihi Balaac plenam domum suã argenti,& auri,non potero immutare verbũ dñi Dei mei,vt vel plus,vel minus loquar.* Num.22. Vnde tã in materia commutatiua,vel distributiua iustitiæ,apertè, & clarè locuti sunt: non duplici statera, pondere, vel pondere vtentes;non in eo, quod est, vel non est, probabile,vel non probabile: manifestos, illicitosque contractus damnarunt, vsurarum palliationes, testamentorum inuasores,officiorum venditiones,priuatorum commodorum velamina,principatuum extensionem violentam,vectigalium iniustas exactiones,& iusterum defraudationes. Non in varias formas,vt Prothei mutati, tempori occasioni, propriæ vtilitati, magnatibus inseruientes,& eodem ore calidum, & frigidum perflantes,sed & veri discipuli illius, qui dixit [si hominibus placerem,Christi seruus non essem] veritatem non abscondentes.

34 Ex opposito vero,qui nouas peregrinas, improbabilesque

bilesque

bilesque opiniones contra istos Duces in Ecclesia inueherent,magnam confusionem, nedum in conscientia,sed in Republica parere possent. Quę maior confusio, si pro vera prudentia,prudentia carnis introducatur, pseudopolitia contra simplicitatem Christianam armetur,leges huius seculi cum retibus Apostolicis annectantur. Quę fortitudo, si virorum robur euiraretur, & timiditas fœminea audax fieret, & temeraria? Temperantia quoque lędetur, si in ieiunijs habenę laxētur,& modicę delectationis venereæ licētia permittatur. Salua ne cōsistet iustitia,si illiciti cōtractus approbarentur, vsurę iustificarentur, officiorū venditiones,si non procurarentur,suaderentur? Quid quęso cupient imprudentes, nisi prudentię colores emere à nundinatoribus opinionum improbabilium, ad imprudentiam excusandam? Quid audaces,vel timidi,nisi de fortitudine commendari? Quid molles, & delicati,quàm ne carnem crucifigant cum vitijs, & concupiscentijs, non ieiunando, & desideria carnis, etiam in maximis perficientes? Quid enim meretrix, vel impudica, nisi vt plurimum peccet? quàm plausibiliter excepta fuisset sententia facundi illius scriptoris, qui nuper ausus est obtrudere, absque peccato mortali posse fideles in Quadragesima,& Vigilijs comedere lacticinia,& oua,ni à sapientibus Doctoribus repressa fuisset? Quid vsurarum patroni,nisi vt vsurę honestis pallijs amicerentur,alienis bonis grauati,nisi dilatorias licentias consulentium pro restitutione retardanda? Quid potentes nisi vt populos varijs, & delicatis modis expilent? Quid demum omnes peccantes, nisi vt reperiantur excusationes in peccatis, quæ texantur textoris radio consuentis, probabilita-

tis filo, & hęc sit vestis candida, & innocens, quam perferant ad Tribunal Christi, & cum probabili opinione apertè improbabili ad cœlos euolent? At quę maior confusio improbabilibus introductis opiniunculis, quàm hic, vt prudens imprudens relinquatur, ibi imprudens prudentis titulo honestetur: hic fortis, timidus, & audax reputetur, ibi audax, vel timidus de fortitudine commendetur: hic gulę, vel veneris titillatio grauiter arguatur, ibi vel excusetur, vel extenuetur: hic mercator restitutioni obnoxius reputetur, ibi à restituendo penitus excusetur: hic officijs onustus incompossibilibus alleuietur, ibi & alijs quoque oneretur: & demum iniustè possidenti absolutio denegatur, ibi cum dilatione temporis pœnitens suo arbitrio relinquatur, vt periculum sit, ne forensia solum tribunalia (si horum consulentiũ audirent exempla) iniustitias meditentur, sed & animarum iudices in tremendo conscientiarum tribunali, doctrinis peregrinis imbuti, probabilitates improbandas, & improbabiles tolerandas edoceant. Ipsa etiam malitia ex præscriptione, & consultatione vires acquiret, quando, vtcumque allegata iura, consentirent (quod absit) peccatis, & inciperet esse licitum, quod publicum est: & iam in tonstrinis, officinis, quilibet cerdo, eodem colore consulentis vestitus, vanaque ratiuncula suffultus, iniustæ probabilitatis allegaret patronos, & sicut nouacula acuta, facerent dolos, & impleretur, quod scriptũ est Psalm. 54. de inordinata, & confusa Republica. *Labor in medio eius, & iniustitia, & non defecit de plateis eius vsura, & dolus.* Quæ ergo mala, quæ Reipublicæ, & Regnorum detrimenta ex laxatis conscientiæ habenis, ex improbabilibus opinionibus non sequetur?

35 At

35 At, inquies, nullus est tamen audax consulens, qui aliquo probabili fundamento non innitatur, possumus autem interdum vnam opinionem probabilem sequi, etiam relicta probabiliori. Quis neget? sed videndum, & attendendum, si probabile sit, quod nouum inauditum, contra Patres, & Scholasticos veteres inducitur. Certè cum vitia manifesta non sint, nec possint vlla ratione defendi, aliquid probabile interdum posset, vel verisimile inueniri, quod simile virtuti videatur, vt etiam scelus ex probabilitatis condimento imaginem, speciemque iustitiæ, cæterarumque virtutum præseferre videantur. *Quæ tamen* (vt dicebat Lactantius libro 6. cap. 6.) *non vtique virtutes, sed virtutum sunt euersiones. In primis enim tollitur humanæ societatis coniunctio, tollitur innocentia, tollitur alieni abstinentia, tollitur denique ipsa iustitia, quæ dissidium generis humani ferre non potest.* Et tunc magis in flammam erumpunt, in Regnorum, & publici boni perniciem, cum reperiuntur, *qui præcepta quoque dant ad iniustitiam, ne stultitiæ, ac malitiæ disciplina, & authoritas desit.*

36 Sed quomodo dicit idem Lactantius, diabolus eius *viæ præcursor*, nempè iniustitiæ, & fraudis, &c. *Cuius vis, & potestas omnis in fallendo est, vniuersos in fraudem posset inducere, nisi verisimilia hominibus ostentaret? Itaque illam perditionis, ac mortis viam multiplicem ostendit, vel quod sunt multa genera vitæ, vel quod Dij multi coluntur*, vel multæ opiniones, quibus conscientia saluari posset. *Huius dux, & præuaricator subdolus, vt videatur esse discrimen aliquod falsi, & veri, mali, & boni, alia*, nempe via, & opinione, *ducit luxuriosos, alia eos, qui frugi appellantur, alia im-*

imperitos, alia doctos, alia inertes, alia strenuos, alia stultos, alia Philosophos, &c. Et tamen subdit idem, *Illa omnia itinera, quæ speciem bonorum ostentant, non sunt alię viæ, sed diuerticula, & semitæ, quæ videntur quidem ab illa communi dextra versum separari, ad eundem tamen, & ad vnum exitum*, nempe mortis, *sub ipso fine referuntur, & vniuersos vno mucrone iugulat.* Ecce quomodo videtur huiusmodi via recta, nouissimè tamen deducit ad mortem, propter multos tramites, & varietates opinionum, & verisimiles apparentias veritatis. Via tamen veritatis vna est, simplex est ad vnum inuitans: angusta est, quia non Dei legem legibus sęculi copulat: ardua est, quæ prohibet impura, licet rideatur ab ea doctrina, quæ extenuat dura, ac proinde scrupulosior iudicatur, quia plerunque negatiua, cum emolliens in affirmatione consistat. Securior tamen est, quia angusta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam. Quod vt veridico istud probemus exemplo, ponamus legentium oculis, quod vir Sanctissimus F. Henricus Susonius nostri Ordinis in tract. de Nouem rupibus c. 22. vtillimè scripsit, de quadam puella annos 14. nata, trahente post se è rupi altissima religiosum hominem, quem sequebatur alius vir grauis sęcularis, cum coniuge sua, qui omnes è rupi cadentes, in diaboli rete inciderunt. Eius rei causa Sancto exposita est, *quod puella ad nubiles perueniens annos, videns mundi fallacis faustum, & superbiam, & vana gaudia, eadem velle habere, à parentibus expetiuit, quæ aliorum filiæ sui similes habebant. Atqui parentes isti, suam à primis ætatis initijs ad suam capessendam originem Deum educare debuissent. Sed ea*

negle-

neglecto, ad suum confessarium sese contulerunt, eique rem ipsam exponentes, eius consilium petierunt. Qui id eis permisit eo fine, vt in eorum, nempe diuitum amicitia permãneat: atque illis ita nunc moris esse, atque idem etiam ipsorum progenitores fecisse, affirmauitque non esse noxiam illam superbiam. Hæc leuis puellæ culpa, directoris consilio excusata, tam seuerè punita. Quid erit existimandũ, si in grauioribus laxarentur habenę? in quos laqueos non incident consultores ex impunitate criminis? quod dum palliatur magis iam crescit, dum extenuatur augetur, dum absoluitur magis religatur, & dum venialia existimantur, velut mortalia non damnantur, peccata intra pectus inclusa medicinam non habent vnde sanentur, & in morem cancri serpens morbus insanabilis fit, vt vix religio reprimere possit, cum nolint morbo affecti veriores Magistros audire, & sub velamine probabilitatis se defendant: vt periculum sit, ne religioni non obtemperantes, relicto Deo, nec Principibus pareant, & regna turbentur, & inclinentur.

38 His ergo malis obuiandis meritò Salmanticenses, maxima prudentia, abdicando noua, retinendo antiqua, occurrendum putarunt. *Vt enim* scripsit Plutarchus in moralibus, *cicatrix admonet cauendum esse vulnus, ita memoria præteritorum malorũ, reddit cautiores.* Quod si aliqui his Sanctis Doctoribus nolint fasces submittere (quod absit) & synceritati doctrinæ detrahere audeant, sciant potius hęc nobis adiumento, quàm nocumento fore, lędentium detrimento. *Magna enim*, ait Hilar. 7. de Trinitate, *vis est veritatis, quæ cum per se intelligi possit, per ea ipsa, quæ ei aduersantur elucet, & in natura immobilis manens, firmitatem*

tem naturæ suæ, dum attentatur, acquirit.

39 Quibus ergo laudibus vos celebrē inuictos veritatis pugiles, ò Salmanticenses Doctores? Sal terræ appellabo, nedum ob prçseruationem, à putredine, & corruptione erroris populos saliendo, sed ne reędificentur rebelliũ vrbes doctrinæ catholicæ serendo. Lumē mũdi dicã: At non decipiar, cũ iam sit descripta Academia V. ciuitas Solis, *Sale, & Sole, dixit ille: at nil vtilius:* At quid vtilius doctrina vestra, quæ ex deposito sano descendit, qua condiũtur discipuli, vt spiritualiter sapiant, & quod obscurum erat, lucidum, & clarum appareat? Ciuitas, in monte tamen sublimis intelligentiæ reposita, quæ (vt verba Ruperti libro 4. in Matth. adaptem) *ad hoc ædificata est, ad hoc mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium, vt omnes, qui inter aduersarios, inter Iudæos, Hęreticos pro fide agonizantur, recurrere sciant ad ciuitatem istam, vt in ea communiri, de ea sumptis armis, vt habeant, vnde animam, pro qua illis res est, defendere possint.* Probatos trapezitas, & nummularios depositi Apostolici nuncupabo, *quorum* (vt dicit Cassianus collat. 1. cap. 20.) *summa peritia est, ac disciplina, quod nam sacrorum dogmatum,* tàm speculationem, quàm praxim concernentiũ, *probare, quodnam aurum purissimum sit, vt vulgo dicitur, obrizum, quodue minus purgatione ignis excoctum, Ęreo quoque, vilique denario; si preciosum numisma sub colore [seù indumēto] auri fulgentis, imitetur prudentissima discretione non falli; & non solũ numismata tyrannorũ vultus exprimentia sapienter agnoscere, sed etiam illa, quæ sunt veri quidem Regis imagine, sed non legitimè figurata, peritia sagaciori discernere: deinde ne quid illis à legitimo pondere diminutum*

sit,

ſit, cenſura trutina diligenter inquirere. Meritò doctrinam SS. Auguſtini, & Thomæ aurum obrizum antiquitate, vniuerſitate, conſenſione probatum, agnouiſtis: & ne pro auro depoſito, auricalchum ſupponeretur, inuigilaſtis; vel ne auri puriſſimi doctrinæ purioris metallum vile, indumento veſtitum, metalli pretioſitate nos falleret, prouidiſtis. Gratias inceſſantes agimus charitati, & prudentiæ veſtrę, rogantes (vt dicam cum Baſilio epiſt. 77.) *vt dilectionem erga nos ſyncerã custodiatis,* PATRVMQVE *fidem infractam, ac ſanam ſeruetis, & apud Dominum, tanquam veritatis amici deprehendamini.* Creſcatis in millia, digni quos poſteritas imitetur, quæcunque alia Vniuerſitas ęmuletur, orbis demiretur: ijdemque Sancti Auguſtinus, & Thomas, orbis columnæ, meritorum cumulum impetrent, pro quorum doctrina laboraſtis, & laboratis, imo pro depoſito fidei Catholicę illibatè ſeruando deſudaſtis, & deſudatis; mihique ex veſtra ſapientia materiam huius ſcribēdi operis miniſtraſtis, cui finem impono. Neapoli, die 2. Maij 1628. S. Antonini celebritati conſecrato, in noſtro Conuentu Montis Dei.

Ad ſolam Dei gloriam, Prędicatorum ſtemma.

NOs vero, fratres dilecti, modici quidem momenti ſumus, & humiles; ſemper tamen in eodem, per gratiam Dei, conſtantes, nunquam ad rerum innouationē conſenſimus.] Baſil. epiſt. 72.

Perora-

Peroratio ad Iesum Christum Dominum N.



AEC, Bone IESV, pro depositi tui defensione, te adiuuante, dictaui. *Magna* (dicam cum Hilario 12. de Trinitate.) *mihi erga res tuas religio*, ex gratia tua, magna mihi æmulatio, quod veneranda Patrum canities, Apostolicorum dogmatum testis, & cum ea depositi doctrina ab Apostolis consignata, in discrimen à nouitatum architectis adducatur. *Conserua* ergo (subdo cum eodem Hilar.) *hanc fidei meæ intemeratam confessionem*, vt depositũ illibatum (vt minimus catellus Gregis tui Dominici) seruem, & docendo, & scribendo, ne dum integrum semper cõsignem, sed etiam pro fidei Cath. Rom. proprio cruore obsignem, propitius elargiri digneris. Resistentes corrige, & imprudentes, qui hoc, *quod errant*, *volunt* prudentiam ęstimare. Et si quicquam dictãdo erratum est, vt dicebat tibi deuinctus Petrus Damianus opusc. 5. in actib. Mediol. *ad Petri Magisterium, Romanam scilicet Ecclesiam, libenter accedo, & retractationis opprobrium non verebor. Hæc est enim officina fabrilis, cui nimirum tu, qui fabri dicebaris filius, præsides: ad cuius regulam omnis meritò moneta reducitur, ad cuius retractationis lineam*, quicquid vspiam deprauatũ fuerit, reformatur.

FINIS.



Pro ſincera lectione ad lectorem.

Si legendo in aliquod mendum incides, ad hunc erratorum indiculum recurrito, & prior numerus pagellam, ſecundus lineam, vel verſum indicabit.

Pag. 20. 15. ſemel, adde traditę. 23. 10. pro incedentes, lege incedente, & adde eccleſia. 43. 4. poſt verbum appareat, dele ſed, & lege ſæpe etiam. Ibid. v. 5. pro probanda, lege improbanda. 45. 27. ſed & iterum. 75. 4. Filium & Spiritum S. Dei. 83. 6. à Patribus, & ſũmis. 85. 19. lege & 1. 2. q. 91. a. 3. dele cap. & verſ. 27. lege quodlib. 12. a. 26. pag. 89. 16. pro occaſionibus, lege viſionibus. 139. 5. poſt illa verba, putandum eſt, adde. Poſt Leonem Benedictus III. ſedit in cathedra, depoſiti vigil cuſtos. 142. 16. Theodorus Papa, qui poſt Romanum intruſum. 155. 21. pro Clemens 4. lege Cęleſtinus 4. p. 170. v. 14. 600. à Chriſto annis. 204. 22. Stephanus VII. 268. 22. non habet, vt gratia. 292. v. 3. pro Aug. & Amb. lege Gregorio, & Beda. v. 5. lege lib. 5. decret. 3. n. 41. vtilius. 299. v. 9. illud non eſſe diuinum. 296. 7. diſtulit quondam. 300. 11. in altiorem, adde finem.

Item 116. 25. trophęa, adde mendaciter. 122. 12. Romanum indicit. 133. 12. dictum eſt, 161. 10. erroneas. 204. 22. Stephanus 7. 231. 28. Hormiſda. 308. 20. recurrimus, pro reuertimus. 319. 15. Prou. 8. ego. 332. 11. dele in. ver. 31. eſt (Macrinam. v. 32. illam) 333. 21. antiquitatis, pro ambiguitatis. 358. 27. clauſtris, adde fumus. 361. 2. in eorundem. 379. Peregrinus, hęreticos. 472. 16. 422. 13. lege q. 2. a. 1. q. 1. 430. 17. lege Hil. 8. de Trin. 462. 14. tantam. 463. 5. laxatis, adde, comis. 473. 1. eſt tàm. 476. 6. vrbes, Sal. v. 8. dele &.

Minutissima errata. Numerus primus fol. secundus versum designat.

Pag.7.15.dogmatum. 8.20.mensuretur. 15.32.vnus exitus. 26.15. inficitur;29.4.mirum est. 32.27.solas. 60.31. pertinentia.61.5. nimium. 63.8.insequentis. 68.20.Solon. 73.4.Aufer. ibid.13. plerumque.ibid.15.imaginatione.77.25.Anacharsis. 80.19.cognoscit. ibid.ignorabat. 89.29.primo. 91.13.innitamur. 95.24.legem. 96.3.Arthemonitæ.ibid.21.tempora.98.10.Petilia. 100.10.mulieres. ibid.promiscuè. ibidem 19.hæretico.101.10. adoriri. ibid.Pseudoapostolos.ibid.22.hæres.63. 102. 13. laboratur.105.11.pertinet. 106.3.cœca sunt. ibid.5.sancta. 107.16. aliquam.108.15.in cunabulis.112.4. terram.ibid.20. Thebutes. 116.14.Manete.ibid.15.adoriente. 117.21.Pontificis. 118.29. Synodus. 119.1.Siricius. 120.7.Chartaginensis, & Vincentij. 121.9. Eutychetem. 123.13. permittenda. 153.28. exorros. 166.14.deprehensum.187.31.volsellis.198.29.prouocatur. 202. 11.non consenserunt, & vers. 30. multorum Patrum. 204.5. authoritate.206.1.cum moribus. ibidem.etiam immobile. 208.3. monstrum.

Item 217.10.nouos vtres.v.12.repleti.v.30.simili.218.12.cuderet. 219.8.fundamenta.v.14.lapide. 223.1.triticeam. 228.4.nouæ, sed.231.5.pro. 237.24.Sycophantiarum. 251. n.2. haberetur; ad.v.8.consulentibus.v.13. Dominũ Deum.256.8.ar de.261.10. sunt.266.14.animã.269.30.vertendi.273.28.pro. 277.4. Apostolica.v.9.dissensione.278.20.existis,&.280.7. Possessor. 186.14. insigniti.288.17.fraudem.289.18.nebulis. 291. 8. in Ecclesiam. 293.12.placitum. v.31.pro. 301.9.fortunatos. v.12.;vnde qui. 310.4.vel prudentia.v.21.;sed statim. 311.25.tortoribus. v. 27. committantur.312.8.de eccl.317.28.ad illum.318.32.dicit.322. 24.Eutychetem.v.30.videbantur. 336.22. defendendi. 339.30. inuulgandarum.447.31.suffumat.ibidem.ep.130. 351. 15. nam vt ait.387.27.quodcunque. 390.9.disput.℞

Item 393.15.variæ.v.18.peripheriam. 395.21.quotquot. 398.12. temerandas,& v.23.obortæ.399.4.patrias.405. 2. acclamatum. v.24 accidit.409.9.tàm.408.27.pro & si,lege,&c.410. 6. scrupulosi.430.22.insipiẽtis.v.23.coaptantur.436.7.contendendo.444. 29.quantæ.447.14.Augustiniana,& Thomistica.

Si quæ alia discernes, per te corrigito.